R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE

LIBRI
DONATI DAL
DOTTOR ANNIBALE GIULIONI
GIURISTA
Nato a Firenze il 7 Febbraio 1807
e morto il 1º Dicembre 1895 in Firenze.

16 Maggio 1896

NAZIONALE
- FIRENZE
17

EPITOME
JURIS CANONICI,

Juxta Decretalium Libros
GREGORIANÆ COLLECTIONIS
EXPLANATI,

Quam,

In uſum maxime Diſcipulorum,
E ſuis Libris collegit Auctor ipſe,

NEMPE

R. P. VITUS PICHLER

E Societate JESU.

Sac. Theologiæ, & SS. Canonum Doctor, horumque in Dilingana, & Ingolſta-dienſi Univerſitate olim Profeſſor.

PARS PRIOR.

VENETIIS, MDCCLV.
Apud Nicolaum Pezzana.
Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

B·17·8·19

Typographus Lectori.

EPitomen Juris Canonici, a Vito Pichler, R.R. inter JURISCONSULTOS celeberrimo, in lucem editam, magna ubilibet, quo pervaſit, cum laude exceptam, potiſſime ob nitorem ac perſpicuitatem, cum mirifica brevitate conjunctam, hac prima editione Italica exhibemus tibi, Lector benevole, multis, quibus affluebat Germanica, mendis typographicis expurgatam. Aliquot præterea pro argumenti varietate innuimus Conſtitutiones noviſſimas Bened. XIV. quæ prodierunt, poſtquam Cl. Pichler diem extremum obierat. Ab iis autem, ut religioſe præſtitit erga illas, quæ a ſuperioribus Pontificibus perfectæ fuerant, ne latum quidem unguem diſceſſiſſet Auctor noſter; ſi, ſe ſuperſtite adhuc, emanaſſent: quod ſentire nos cogit tum perſpecta morum ejus ac vitæ probitas, tum poſtrema, quibus hanc Epitomen clauſit, verba, ſummam ejus obedientiam Apoſtolicæ Sedi, veritatis magiſtræ, redolentia. Probe item noſcimus, quanti hæc Epitome ſit facienda; Virorum enim, quibus SS. Ca-

nonum ſtudium magnopere cordi fuit, & qui nocturna diurnaque manu illam verſarunt, judicium id extitit, aliorum etiam auctoritate confirmatum: eadem a Juvenibus perlecta, una cum aureis ſapientiſſime Pontificis hodiedum regnantis feliciter Operibus, quæ ad Jus Canonicum attinent; nihil admodum videri ad eos in Juriſprudentia perficiendos poſſe amplius deſiderari. Verumtamen, ut facilius in Adoleſcentium animis inſiderent potiora ſaltem, quæ indicatis ab hac Epitome Auctoribus, Operibuſque Pontificis O. M. continentur; neceſſe eſſet, ut quæpiam inde Inſtitutio exprimeretur, & Canonicæ Critices Regulis, & vigentibus nunc Italiæ uſibus accommodatior. Hæc porro, ut aliquando evulgetur, optandum maxime; neque id laboris prætermiſſum iri confidimus. Interim, amice Lector, vota ſtudiumque erga te noſtrum ne deſpice; ac diu ſoſpes atque integer vive.

ELEN-

ELENCHUS
TITULORUM.

LIBER PRIMUS.

PRolegomena. pag. 1

TITULUS I. De Summa Trinitate, & Fide Catholica. 27

TITULUS II. De Conſtitutionibus. 32

TITULUS III. De Reſcriptis. 75

TITULUS IV. De Conſuetudine. 86

TITULUS V. De poſtulatione Prælatorum. 97

TITULUS VI. De electione, & electi poteſtate. 100

TITULUS VII. De translatione Epiſcopi. 126

TITULUS VIII. De auctoritate & uſu Pallii. 128

TITULUS IX. De Renuntiatione. 130

TITULUS X. De ſupplenda negligentia Prælatorum. 134

TITULUS XI. De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum. 136

TITULUS XII. De ſcrutinio in Ordine faciendo. 150

TITULUS XIII. De Ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiavit Epiſcopatui. 153

TITULUS XIV. De ætate & qualitate, & ordine præficiendorum. 154

TITULUS XV. De Sacra Unctione. 158

TITULUS XVI. De Sacramentis non iterandis. 160

TITULUS XVII. De Filiis Presbyterorum Ordinandis, vel non. 161

TITULUS XVIII. De ſervis non Ordinandis, & eorum manumiſſione. 165
TITULUS XIX. De obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non. 166
TITULUS XX. De corpore vitiatis ordinandis vel non. 167
TITULUS XXI. De Bigamis non Ordinandis. 169
TITULUS XXII. De Clericis peregrinis. 171.
TITULUS XXIII. De Officio Archidiaconi. 172
TITULUS XXIV. De Officio Archipreſbyteri. 174
TITULUS XXV. De Officio Primicerii. 175.
TITULUS XXVI. De Officio Sacriſtæ. 176.
TITULUS XXVII. De Officio Cuſtodis. 177.
TITULUS XXVIII. De Officio Vicarii. ib.
TITULUS XXIX. De Officio & Poteſtate Judicis Delegati. 184
TITULUS XXX. De Officio Legati. 194
TITULUS XXXI. De Officio Judicis ordinarii. 197
TITULUS XXXII. De Officio Judicis. 206
TITULUS XXXIII. De majoritate, & obedientia. 215
TITULUS XXXIV. De tregua & pace. 216.
TITULUS XXXV. De Pactis. 219
TITULUS XXXVI. De Tranſactionibus. 234.
TITULUS XXXVII. De Poſtulando. 237
TITULUS XXXVIII. De Procuratoribus. 240.
TI-

TITULUS XXXIX. De Sindico. 245
TITULUS XL. De his, quæ vi metuſve cauſa fiunt. 246
TITULUS XLI. De in integrum Reſtitutione. 254
TITULUS XLII. De alienatione Judicii mutandi cauſa. 261
TITULUS XLIII. De Arbitris. 262

LIBER SECUNDUS.

TITULUS I. De Judiciis. 266
TITULUS II. De Foro competente. 273
TITULUS III. De oblatione libelli. 312
TITULUS IV. De mutuis petitionibus. 318.
TITULUS V. De Litis Conteſtatione. 322
TITULUS VI. Ut lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam definitivam. 325
TITULUS VII. De Juramento calumniæ. 326.
TITULUS VIII. De Dilationibus. 329
TITULUS IX. De Feriis. 332
TITULUS X. De Ordine Cognitionum. 336.
TITULUS XI. De Plus Petitionibus. 338
TITULUS XII. De Cauſa Poſſeſſionis & Proprietatis. 339
TITULUS XIII. De Reſtitutione Spoliatorum. 358
TITULUS XIV. De Dolo & Contumacia. 364
TITULUS XV. De eo, qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ. 373
TITULUS XVI. Ut lite pendente nihil innovetur. 375

TITULUS XVII. De Sequeſtratione Poſſeſſionum & Fructuum. 377
TITULUS XVIII. De Confeſſis. 380
TITULUS XIX. De Probationibus. 390
TITULUS XX. De Teſtibus & Atteſtationibus. 397
TITULUS XXI. De Teſtibus cogendis, vel non. 414
TITULUS XXII. De Fide Inſtrumentorum. 417
TITULUS XXIII. De Præſumptionibus. 431
TITULUS XXIV. De Jurejurando. 436
TITULUS XXV. De Exceptionibus. 455
TITULUS XXVI. De Præſcriptionibus. 460.
TITULUS XXVII. De Sententia, & re judicata. 517
TITULUS XXVIII. De Appellationibus, Recuſationibus, & Relationibus. 529
TITULUS XXIX. De Clericis peregrinantibus. 541
TITULUS XXX. De Confirmatione utili, vel inutili. 542

LIBER TERTIUS.

TITULUS I. De Vita & honeſtate Clericorum. 545
TITULUS II. De Cohabitatione Clericorum & Mulierum. 549
TITULUS III. De Clericis conjugatis. 552
TITULUS IV. De Clericis non reſidentibus in Eccleſia vel Præbenda. 558
TITULUS V. De Præbendis, & Dignitatibus. 568
TITULUS VI. De Clerico ægrotante vel debilitato. 599

TITULUS VII. De Inſtitutionibus. 602
TITULUS VIII. De Conceſſione præbendæ & Eccleſiæ non vacantis. 605
TITULUS IX. Ne Sede vacante aliquid innovetur. 611
TITULUS X. De his, quæ fiunt a Prælato ſine conſenſu Capituli. 615
TITULUS XI. De his, quæ fiunt a Majori parte Capituli. 618
TITULUS XII. Ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur. 621
TITULUS XIII. De Rebus Eccleſiæ alienandis, vel non. 624
TITULUS XIV. De Precariis. 636
TITULUS XV. De Commodato. 638
TITULUS XVI. De Depoſito. 642
TITULUS XVII. De Emptione & Venditione. 646
TITULUS XVIII. De Locato & Conducto. 670
TITULUS XIX. De Rerum Permutatione. 689
TITULUS XX. De Feudis. 694

Reliqui Tituli transferuntur ad Partem poſteriorem.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. Fra Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitor Generale del Santo Uffizio di Venezia nel Libro intitolato *Epitome Juris Canonici juxta Decretalium Libros Gregorianæ Collectionis explanatæ, quam in uſum maxime diſcipulorum e ſuis Libris collegit Auctor ipſe, nempe R. P. Vitus Pichler e Societ. Jeſu*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a Niccolò Pezzana, che poſſi eſſer ſtampato oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padoa.

Dat. li 26. Novembre 1753.

{ *Gio: Emo Proc. Rif.*

{ *Marco Foſcarini Kav. Proc. Rif.*

{ *Alviſe Mocenigo 4.° Kav. Proc. Rif.*

Reg. in Lib. a c. 31. al n. 222.

Gio: Girolamo Zuccato Seg.

Adi 3. Decembre 1753.

Regiſtrato al Magiſtr. Eccell. degli Eſec. contra la Beſtemmia.

Alviſe Legrenzi Seg.

DE-

DECRETALIUM
GREGORII PAPÆ IX.

LIBER PRIMUS.

Prolegomena.

SUMMARIUM.

1 *Jus varie accipitur.*
2 *Quid ſit Jus naturale. An ſit immutabile.*
3 *Quid & quotuplex ſit Jus poſitivum.*
4 *Quid & quotuplex Jus divinum.*
5 *Quid Jus gentium proprie & improprie dictum.*
6 *Quid & quotuplex ſit Jus civile, quibus libris comprehenſum, & quomodo allegetur. Aliquod datur etiam extra* Corpus Juris.
7 *Quid Jus canonicum, ejus finis, & objectum.*
8 *Quibus libris comprehendatur, & quomodo citetur.*
9 *Quam habeat auctoritatē Decretum Gratiani.*
10 *Quam reliqua 5. volumina in Corpore Juris canonici contenta. Ubi etiam de Rubrica.*
11 *Quam habeat Tridentinum ; & alia Concilia.*
12 *Declarationes Cardinalium.*
13 14 15 *Regulæ Cancellariæ: Deciſiones Rotæ: & Bullarium Magnum.*

16 *Quando Jus canonicum ſit obſervandum in utroque foro.*

17 *Jus canonicum ſubinde ſuppletur a Jure civili, & viciſſim Jus civile a canonico.*

1 OMiſſis aliis *Juris* acceptionibus notatu digniores ſunt 1. quando jus ſumitur pro poteſtate aliquid agendi aut omittendi, vel alterum obligandi ad aliquid dandum, faciendum, vel omittendum, vocaturque *jus activum*, cui reſpondens ex parte alterius obligatio dandi, faciendi, vel omittendi aliquid, appellatur *jus paſſivum*, vel debitum. Si autem illa poteſtas alios obligandi ad aliquam actionem vel omiſſionem principaliter reſpicit bonum & utilitatem obligantis, nominatur jus *proprietatis*, ac aliud eſt *jus in re*, ſeu *reale*, quando nempe res ipſa alicui eſt devincta, ſeu obligata, paritque *actionem realem*, vi cujus rem talem tanquam ſuam poteſt coram Judice perſequi, & vindicare a quocumque illius poſſeſſore vel detentore: aliud vero *jus ad rem*, ſeu *perſonale*, quando nimirum non ipſa rem immediate alicui eſt devincta, ſed perſona, ſive ex contractu vel quaſi contractu, ſive ex delicto vel quaſi delicto paritque *actionem perſonalem*, ſeu *condictionem*, ideſt, jus cogendi perſonam in Judicio; ut ſatisfaciat. Si quis habeat tale jus in re ſeu reale proprietatis, quod ordinarie per traditionem aut apprehenſionem actualem acquiritur, non per contractum vel conventionem, ut poſſit libere diſponere de re, utendo, deſtruendo, alienando, itaut per neminem propter jus, quod habet in tali re, impediri a libera diſpoſitione poſſit, nuncupatur *dominium plenum*: ſi vero diſponere valeat de re non perfecte, ſed ſolum

vel

vel de ſubſtantia & proprietate, ut dominus directus in re feudali aut emphyteutica, vel ſolum de fructibus & utilitate illius, uti feudatarius aut emphyteuta, vel alius quoque in eadem re jus habet, propter quod libere de illa diſponere nequeat, dicitur *dominium imperfectum*, ſeu *non plenum*, uti feudum, emphyteuſis, *fidei commiſſum*, aut *jura realia*, uti ſervitutes, & poſſeſſio effective ſumpta, ſeu pro jure, quod oritur ex rei detentione, vocaturque *poſſeſſio juris*.

2. Sumitur *jus* pro Juriſprudentia, ſeu juris nempe Canonum & Legum, ſcientia, quam Ulpianus *l.* 1 *ff. de I. & I.* vocat *artem æqui & boni*, Imperator vero, nempe Juſtinianus, §. 1. *Inſt. eod.* appellat *Divinarum atque Humanarum rerum notitiam*, *juſti atque injuſti ſcientiam*, ex quo textu apparet præſtantia Juriſprudentiæ.

3. Et huic loco propriiſſime accipitur *jus* pro Regula juſti, ſeu pro Canone vel Lege. Et in hoc ſenſu jus dividitur in Naturale & Poſitivum: iſtud vero in Divinum & Humanum: hoc vero in jus Gentium, Civilem, & Canonicum.

2 Dico 1. *Jus naturale* recte dicitur eſſe *voluntas Dei neceſſario obligantis*, *intimata per lumen rationis*, *a Deo ut authore naturæ omnibus inſitum*. Sicut enim promulgatio Legis Humanæ non eſt tota lex, ita & lumen rationis, per quod nobis innoteſcit voluntas Dei obligantis, non eſt totum jus naturale, ſed ſolum una cum Dei voluntate partialiter illud conſtituit. Definitum paulo ante jus naturale eſt proprie & abſolute tale, quia præcipit illa, quæ ſunt intrinſece bona & eſſentialiter, uti ſunt colere & amare Deum, obedire eidem præcipienti &c. atque ideo neceſſario facienda: ac econtra prohibet intrinſece & eſſentialiter mala, uti ſunt blaſphemare vel odiſſe Deum, pejerare, mentiri &c. atque ideo neceſ-

neceſſario omittenda. Atque hoc Jus naturale *abſolutum* eſt *immutabile*, ita ut nec Deus in eo diſpenſare valeat, cum eſſentias rerum mutare non poſſit, nec ex eſſentialiter honeſto facere inhoneſtum, aut ex eſſentialiter vel intrinſece inhoneſto facere honeſtum vel bonum. Dixi, *abſolutum*; nam aliud Jus naturale eſt *conditionatum*, ſeu ſub certis conditionibus tantum obligans, vel in certis tantum circumſtantiis: quod contingit, quando materia Juris naturalis dependet a dominio vel poteſtate Dei, aut Magiſtratus humani, vel etiam hominis privati, obligationem, quæ alias eſſet Juris naturalis, libere remittentis, vel licentiam dantis: ſic occiſio innocentis tantum eſt prohibita Jure naturali conditionato, niſi nempe Deus, in cujus dominio plena eſt vita hominum, dederit poteſtatem occidendi innocentem: ſic rem alienam, poſtquam præſcripſeris, licite retines, quia Jus naturale retentionem tantum prohibet ſub conditione, niſi Magiſtratus, in cujus dominio alto ſunt res ſubditorum, per leges ſuas ex juſta cauſa transferat dominium rerum ab uno in alium: ſic licite non ſolvis, quod alteri promiſiſti, vel ex contractu debes, ſi promiſſarius vel creditor ſponte tibi remittat; quia Jus naturale ſolum ſub hac conditione te adſtringit, niſi alter, in cujus poteſtate hoc eſt, tibi obligationem remiſerit; ſic, quia obligatio juramenti vel voti tantum eſt Juris naturalis ac Divini ſub conditione, niſi Superior Eccleſiaſticus in lege humana, quam quis ſibi per juramentum vel votum poſuit, tollat hanc legem humanam, in quam Superior poteſtatem obtinet, per diſpenſationem; Hinc ea lege ſublata, cui innititur obligatio Naturalis & Divina juramenti vel voti, conſecutive ceſſat obligatio juramenti vel voti, Atque hoc Jus naturale condi-

ditio-

ditionatum dici poteſt *mutabile*, nimirum mutatione impropria & indirecta, eo quod per mutatas circumſtantias, vel certas conditiones poſitas, mutetur materia vel objectum Juris naturalis: conſequenter nec Jus naturale amplius obligat, vel potius pro circumſtantiis mutatæ materiæ, vel ſub hujuſmodi conditionibus poſitis, nunquam obligavit: & hinc mutatio dicitur ſolum impropria vel indirecta. Sic etiam Jus naturale *permittens* aliquid non datur pro circumſtantiis, in quibus illud prohibetur vel præcipitur a Lege Poſitiva, Divina vel Humana. Porro ad Jus naturale non modo pertinent principia & dictamina quædam generalia, uti ſunt, *declina a malo: fac bonum: quod tibi non vis fieri, alteri non feceris &c.* ſed etiam alia, quæ ex illis in particulari per neceſſariam conſequentiam vel evidenter deducuntur, uti ſunt, *Deum eſſe colendum, parentes honorandos, non occidendum, non pejerandum, non furandum, non adulterandum &c.* adeoque tam præcepta affirmativa, quam negativa, circa materiam particularem.

3 Dico 2. Jus Poſitivum vocatur, quod aliquid ponit ultra ea, quæ Jus naturale præcipit, vel prohibet, vel permittit: Si Deus aliquid libere ſuperaddat, eſt *Poſitivum Divinum*: ſi homo, eſt *Poſitivum Humanum*. Adeoque Jus Poſitivum libera Dei vel hominum voluntate introductum eſt, vi cujus præcipiuntur vel prohibentur non intrinſece & neceſſario bona aut mala (hæc enim ad Jus naturale pertinent, & neceſſario præcipiuntur, quia bona, vel prohibentur, quia mala ſunt) ſed ex libera Legiſlatoris diſpoſitione; cum potuiſſent non præcipi, non prohiberi.

4. Dico 3. *Jus Divinum* (nempe *Poſitivum*; nam naturale, quamvis etiam ſit a Deo, ut Auctore naturæ cordibus noſtris inſitum, ordinarie non ap-

appellatur Divinum, quamvis revera ſit) eſt, quod a Deo ipſo latum, & promulgatum eſt vel per Moyſen & Prophetas in antiquo Teſtamento, vel a Chriſto Deo-homine, ejuſque Apoſtolis, in novo Teſtamento, ſive dein ſcriptum ſive traditum ſit. Itaque *jus Divinum* eſt Verbum Dei, & præcepta in utriuſque Teſtamenti tabulis, ſeu Scripturis Sacris comprehenſa, vel per Traditionem Divinam propagata. Vetus Teſtamentum, quod duravit uſque ad Chriſti adventum & mortem, complectebatur triplicis generis præcepta. 1. *Cęremonialia*, quæ præſcribebant modos Deum colendi, maxime per Sacrificia & multiplicis generis hoſtias. 2. *Judicialia*, quæ ordinabant regimen Politicum Reipublicæ Judaicæ, præſertim in ordine ad adminiſtrandam juſtitiam tam in cauſis Criminalibus, quam in Civilibus. 3. *Moralia*, nempe Decalogi, & ſimilia; quamvis enim hæc ſint Juris Naturalis, & in eo fundentur, tamen ut eorum vim efficacius & clarius cognoſcerent paſſionibus excæcati mortales, illa ſpecialiter etiam, & ſenſibili modo promulgare voluit Deus. *Cęremonialia* potiſſimum in *Levitico* ſunt prodita: *Judicialia* vero in *Exodo*. Utraque ſunt abrogata, & expirarunt per mortem Chriſti, ut Catholici omnes intelligunt *c.7. Hebr.* ibi: *translato ſacerdotio neceſſe fuit, ut etiam legis translatio fieret*. Concordat *c.3. de Conſtit.* Moralia tamen perſeverarunt, utpote juris naturalis. *Opponunt* Hæretici: Papiſtæ tenentur obſervare diſcrimen ciborum, abſtinendo a carnibus die veneris &c. ſicut olim Judæi abſtinere debebant a carne ſuilla: ergo apud Catholicos viget adhuc lex cæremonialis. R. Imprimis Catholici non obſervant illud diſcrimen ciborum, quod Judæi, quia non prohibent carnem ſuillam tantum, & ſemper,

ſed omnem carnem ac certis tantum diebus. Dein etſi idem omnino obſervarent, non tamen obſervarent ut præceptum cæremoniale antiquæ legis, ſed tanquam legem in novo Teſtamento de novo latam ab Eccleſia.

5 Dico 4 *Jus Gentium*, proprie dictum, eſt, quo Gentes qua tales mutua obligatione, ex conſenſu tacito vel expreſſo ſibi impoſita, conſociantur in ordine ad ea, quæ ad communem eorum felicitatem & commercium pertinent. Vel brevius: eſt jus ab hominibus pro commodo humani commercii inventum. Ad hoc pertinet jus legationum, vi cujus admittuntur legati, & dimittuntur incolumes: jus Belli ad vindicandam injuriam, vel damnum ab alio populo illatum, vi cujus Bellum debet prius denuntiari per officialem, antequam inchoetur: fœdera pacis & induciarum, cum rationabiliter petuntur: jus commercii quæſtuoſi apud exteras & non hoſtiles nationes &c Neceſſe tamen non eſt, ut omnes ſimpliciter gentes conſpirent, modo aliquæ, magis moratæ, ita conſocientur. Et hinc barbaræ Gentes, quas nunquam conſenſiſſe facta contraria probant, jure Gentium non obligantur. Sed unde provenit obligatio juris Gentium, cum hæ in ſe ipſas juriſdictionem vel poteſtatem legislativam non habeant, ſed ſingulæ Gentes ſint ſupremæ Poteſtates, nec aliis, ſeu ſimul ſeu ſeorſim ſumptis ſubjectæ? R. Ex illo principio juris naturalis: *fides data eſt ſervanda*: fidem autem Gentes dederunt ſibi mutuo, dum convenerunt vel expreſſis verbis in quædam mutua commercia, vel tacite moribus, aut uſu conſtanti, quo modo poſteriori plerumque fit, & promulgatur. 1. Jus hoc differt a jure naturali. 1. Quia ortum habet a libera gentium plurium voluntate, non a Deo ut conditore naturæ humanæ. 2. Quia non obligat

ligat Gentes, niſi quæ illud receperunt vel voluntate expreſſa, vel tacita per uſum & conſuetudinem declarata. 3. Quia, quæ præcipit vel prohibet, non ſunt intrinſece ac eſſentialiter honeſta aut inhoneſta, ſed contingenter tantum &c. Dixi. *Jus Gentium proprie dictum*; aliqua enim dicuntur in communi uſu eſſe Juris Gentium, quod proprie tale non eſt, quia citra ullam obligationem recepta ſunt apud & inter Gentes vel omnes, vel complures ſaltem, uti uſus panis pro cibo, conſtructio ædium, munitio civitatum, rerum diviſio ſeu dominiorum diſtinctio, contractus non pauci, uti emptio, venditio, locatio, conductio, & plerique modi acquirendi, quæ, ſicut pro fine non habent communem Gentium inter ſe felicitatem, ita nec mutuam inter illas obligationem inducunt, ſine qua, tanquam neceſſario effectu, tamen nulla datur lex ſeu Jus proprie dictum.

6 Dico 5. Jus civile in §. 1. *Inſt. de I. N. G. & C.* dicitur eſſe, quod quiſque Populus vel Civitas ſibi proprium conſtituit. Per antonomaſiam, & ex recepto uſu, per illud intelligitur *jus Romanorum*. Fundatur proxime in voluntate Legislatoris humani, remote autem in illo principio naturali: *Legislatori juſte imperanti parendum eſt*. Reſpicit tantum unius Reipublicæ bonum, & particularis communitatis felicitatem: per quod differt a jure Gentium. Dividitur in *Commune*, quod apud nos hodie eſt *Romanum*, vel potius *Romano Germanicum*, atque obligat omnes Imperii Romano-Germanici provincias, urbes, & populos. Et in *Particulare*, ſeu *Statutarium*, quod eſt vel Provinciale, vel *Municipale*, eo quod tantum unius provinciæ vel Civitatis Imperialis ſubditos adſtringat, uti jus Bavaricum, Saxonicum, Lubecenſe jus Romanum

com-

commune pro diverſitate Conditorum ſortiebatur varia nomina, & modo *Lex*, modo *Plebiſcitum*, modo *Senatus conſultum*, modo *Reſponſa Prudentum*, modo *Edictum Prætoris*, modo *Placitum Principis*, vel *Conſtitutio* appellabatur; quamvis hodie communi uſu omnes hæ ordinationes promiſcue vocari ſoleant *leges*. Et quia populus hodie non amplius habet poteſtatem leges ferendi, ſic deſcribi poteſt jus Civile: eſt jus Poſitivum, authoritate Principis, vel Magiſtratus Sæcularis conditum, ad Politicam Reipublicæ Civilis gubernationem, pacem, ac felicitatem temporalem civium conſervandam & promovendam immediate ordinatum. Libri, in quibus continetur jus Civile commune, vocantur

Corpus juris Civilis, quod complectitur quatuor volumina. 1. Inſtitutiones. 2. Digeſta. 3. Codicem. 4. Authenticum ſeu Novellas. Quibus additur *Feudum*, ſeu duo libri Feudorum. *Inſtitutiones* (vel *Inſtituta*) ſunt quaſi quoddam compendium legum, prima elementa Scientiæ Legalis exhibens, authoritate Juſtiniani Imperatoris ſenioris, qui antonomaſtice *Imperator* ſalutatur a Juris-peritis ex *Digeſtis* & *Codice* Juſtinianeo antiquo, aliiſque antiquioribus Conſtitutionibus collectum, ac in quatuor libros, certis titulis & paragraphis diſtinctos, diviſum. Quando citatio fit ex Inſtitutionibus, primo loco ponitur §. deinde *titulus*, in hunc modum §. inter *eas Inſtitutis*. *de nuptiis*. vel loco *initii* §. ponitur numerus v.g. §.2. *Inſt. de nuptiis*. vel ponitur & initium & numerus, ſic: §. *inter eas* 2. *Inſt, de nuptiis*. Si quid allegetur, quod habetur initio tituli ante §§. ponitur *pr.* quod denotat principium v.g. *pr. Inſt. de nuptiis*. Inſtitutiones nonnumquam exprimuntur per unicam litteram *I.* vel *S.*

Di-

Digeſta, Græce *Pandectæ*, vocantur, quia Imperator omnia veterum juris conſultorum reſponſa, quibus auctoritatem juris tribuit, in 50. libros digeſſit, in tria volumina diſpertitos. 1. Vocatur *Digeſtum vetus*, conſtans 24. libris. 2. *Digeſtum Infortiatum*, forte ſic dictum, quia continet Leges de Teſtamentis & ultimis voluntatibus, quæ ſunt fortiſſimæ, vel quia verſatur circa *fortuitas* ſucceſſiones: complectitur 14. libros. 3. *Digeſtum novum*, quod abſolvitur 12. libris. Hi libri habent plures *titulos*, tituli *leges*, & leges longiores ſub ſe §§. Quando citantur Digeſta, formatur duplex *ff.* vel majuſcula littera *D.* vel Græca littera π. primo loco allegatur lex per litteram *l.* deinde initium, vel numerus, vel initium & numerus ſimul legis, ſubinde etiam §. ſi lex ſit longior, tum additur *ff.* demum *titulus* libri ſeu Rubrica, hoc modo: *l. Juris Gentium 7. §. ait Prætor 7. ff. de Pactis*. vel: *l. 7. §. 7. ff. de Pactis* vel *l. Juris Gentium*. *§. ait Prætor ff. de Pactis*. Subinde poſt §. ſi longior ſit, additur *V.* h. e. verbum, ubi res habetur, v. g. *l. 7. §. 6. v. Sed cum ff. de Pactis.*

Codex modernus, & Juſtinianeus, quem ex triplici Codice antiquiori, Gregoriano, Hermogeniano, & Theodoſiano concinnavit Juſtinianus, quædam ex illis expungens, alias autem & ſuas & anteceſſorum leges inſerens, complectitur 12. libros. Modus citandi fere eſt idem, qui in Digeſtis, niſi quod loco *ff.* ponatur *C.* vel *Cod.* & quod ſubinde Codex per majus *C.* ſtatim allegetur primo loco, Speciale eſt, quod, ſi lex aliqua in lib. X. XI. & XII. comprehenſa citatur, addi ſolet numerus libri, hac ratione: *l. 1. C. de Jure Fiſci lib.* 10. Ceterum quaſdam *Novellas* (nempe Conſtitutiones Imperatorias) in epitomen redactas quibuſdam titulis Codicis inſeruit Irnerius, quæ appellantur *Authenticæ*, ſic citantur:

Auth.

Auth.bona damnatorum C.de bonis proſcriptorum. vel ſic: *l.generaliter C. de Epiſc. & Cleric. auth.* Hæ authenticæ in tantum obtinent vim juris, in quantum cum ſuo fonte conſonant.

Authenticum (alio nomine *Novellæ*) continet novem *Authenticas Collationes*, quæ diſtinguuntur in *titulos & capita*, quandoque etiam in §§. Vocantur hæ conſtitutiones *Novellæ*, vel *jus Noviſſimum*, quia eas fecit Juſtinianus poſt Codicem ſuum editum. Modus allegandi eſt hujuſmodi: *Nov.* (vel *N.*) 118. *c.* 2. *v. ſi autem*. Vel: *cap. ſi igitur* 2. *v ſi autem Nov.* 118. vel *Nov.* 118. *de hæredib. ab inteſtato*. Vel: *in Authentico de hæredib. ab inteſt. cap. ſi igitur collat.* 9. Vel: *authentica de hæredib. ab inteſt. collat.* 9. *tit.*1.*c.*2. Notandum tamen, quod, quando citantur *authenticæ*, plerumque non intelligantur iſtæ, ſed aliæ, quas diximus Codici eſſe inſertas ab Irnerio: iſtæ ſub nomine *Novell.* allegari ſolent, quæ ſunt numero 168.

Feudum, ſeu liber (vel potius duo libri feudorum) comprehendit conſuetudines feudales, partim ex obſervationibus, quas initio collegerunt ſine ordine duo Conſules Mediolanenſes, Gerardus Niger, & Obertus de Orto, partim ex Conſtitutionibus quibuſdam Imperatorum, Conradi II. Henrici II. Lotharii III. Friderici I. depromptas. Dividuntur hi libri in *titulos* iſti in *capitula* (alii vocant *capita*) hæc rurſus in §§. Quando citantur, ponuntur initio libri feudorum per unum *F.* vel duplex *FF.* majus, vel vocem *Feud.* quamvis ſubinde etiam prius *cap.* exprimatur, vel etiam *Feud.* vel *F.* omnino omittatur, expreſſo tamen titulo, in hunc modum: *F.*1.*tit.* 8.*cap.*2. vel: 1. *FF.tit.* 8. *cap.*2. vel: *cap.*2. *de ſucceſſione feudi* §. *in alio*. vel: *cap. filia* §. *in alio de ſucceſſione feudi*, vel: *cap.*2. *de ſucceſſio-*

ceſſione feudi in uſibus feudorum (aut *conſuetudinibus feudorum.*) Poſt hos duos libros ſubjungitur alius, qui vocatur *quintus* de feudis: qui omnes obtinent vim juris, exceptis textibus, qui poſt libri II. titulum 58. uſque ad librum V. extant, quia adjecti ſunt a Cujacio & aliis Iuriſconſultis Papienſibus, juris condendi poteſtate deſtitutis, niſi & his authoritatem tribuat uſus & conſuetudo.

Præter recitata juris Civilis volumina dantur adhuc aliæ Conſtitutiones, vim juris obtinentes in Imperio Romano-Germanico, in ordinario *Corpore Juris* non clauſæ, uti 1. Bulla Aurea, per *B.A* citari ſolita. 2. Capitulatio Cæſarea. 3. Pax Profana. 4. Pax Religioſa, nempe Pontificatio Paſſavienſis de anno 1552. firmata Auguſtæ anno 1555. & extenſa per Inſtrumentum Pacis Oſnabrugenſis, quod per *P. O.* exprimi ſolet, anno 1648. in qua certarum Sectarum, nempe initio Lutheranæ, poſtmodum & Calvinianæ, liberum exercitium in Imperio permiſſum eſt præter Religionem Catholicam. 5. Ordinatio judicii Cameræ Imperialis. 6. Ordinatio judicii Aulico-Imperialis. 7. Nemeſis, ſeu Ordinatio Criminalis Carolina. 8. Receſſus Imperii, per initiales litteras majuſcula *R. I.* denotari ſoliti, quos etiam Conſtitutiones Imperii nominant.

7 Dico 6. *Jus Canonicum*, a Græca voce κανὼν, Latine, regulam denotante, appellatum, quia continet regulas ab Eccleſia propoſitas ad Chriſtiani populi actiones in ordine ad felicitatem ſupernaturalem dirigendas, ſic deſcribi poteſt: eſt jus Poſitivum a Summis Pontificibus, Eccleſiæ Catholicæ nomine traditum, vel conſtitutum, vel approbatum, quo actiones & mores Chriſtianorum ad cultum Divinum, ad ordinem politicum in ſtatu Eccleſiaſtico, ad pacem & juſti-

ſti-

ſtitiam in populo fideli conſervandam & augendam, ultimato autem ad finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis diriguntur. Unde differt a jure Civili ex parte cauſæ efficientis, quæ eſt Summus Pontifex, Chriſti in terris Vicarius; ex parte ſubjecti, ſeu illorum, qui jure Canonico obligantur, qui ſunt omnes omnino Chriſtiani per totum Orbem diffuſi, quouſque nulla poteſtas Sæcularis per ſuas leges ſe poteſt extendere; atque ex parte finis, qui eſt homines dirigere ad Deum per fidem & pia opera; ad honeſte vivendum ſecum ipſo, juſte cum proximo, ac ultimato ad beatitudinem animæ ſupernaturalem & æternam conſequendam. Ex quo præſtantiſſimo fine elucet eminens præſtantia, utilitas, ac neceſſitas juris *Canonici*, quod etiam appellatur *Pontificium*, *Eccleſiaſticum*, *Sacrum*. Et cum ex fine ſuo principali & immediato dirigat actiones fidelium ad recte pie & juſte vivendum, patet, quod Habitus Canonicus ſit directivus, conſequenter *Practicus*, actiones vero fidelium, quas immediate dirigit, ſint ejus *objectum materiale*, immediatum & principale, eo quod actus eliciti juris Canonici ſint Regulæ, Canones, leges, præcepta. Unde melius vocatur *Prudentia*, quæ eſt ſpecies virtutis intellectualis practica, ficuti *Ars*, vel potius *Jurisprudentia*, quam *Scientia*, cum non tam cognitionem vel demonſtrationem veritatis per ſuos actus intendat, quam directionem morum & actionum humanarum.

8 Dico 7. Jus Canonicum in *Corpore juris*, prout de facto circumfertur, clauſum continet ſex volumina. 1. Decretum Gratiani. 2. Quinque libros Decretalium Gregorii Papæ IX. 3. Sextum Decretalium Bonifacii VIII. 4. Clementinas conſtitutiones Clementis V. 5. Extravagantes Ioannis XXII. 6. Extravagantes Communes. Dixi,

Prout

prout defacto circumſertur; nam anthac ſolum Gratiani Decretum erat in corpore juris Canonici, excluſis etiam Decretalibus Gregorii IX. & ideo, quando eorum fiebat citatio, addebatur vox *extra*, vel ejus loco littera X. x. ut indicaretur, *titulum* & *capitulum* citatum non in *Decreto* reperiri, ſed extra illud v.g. *c. dilectus 19. extra de Præbendis.* quod & hodie, ſed raro, a quibuſdam obſervatur: ſicut, quando fit citatio ex ſexto Decretalium, addi ſolet ac debet *in 6.* v.g. *c. licet de ſepulturis in 6.* h.e. *in ſexto*.

Decretum, quod Gratianus, Monachus Bononienſis Ord. S. Benedicti, circa annum 1151. ex SS. Litteris, SS. Patrum ſententiis, Summorum Pontificum variis Reſponſis, & Conciliorum tum Generalium tum Particularium decretis, quin & ex juris Civilis quibuſdam textibus collegit, illudque, quia ad conciliandos textus in ſpeciem contrarios ſuam quandoque ſententiam adjecit, *Concordiam diſcordantium Canonum* appellavit, dividitur in tres partes. Prima complectitur 101. *diſtinctiones*, diviſas in *Canones*, vel, ut a quibuſdam vocantur, *capitula*, atque ſic citari ſolent: *can. Jus Gentium 9. D. 1.* vel *can. 9. D. 1.* vel *D. 1. can. Jus Gentium 9.* vel *Diſt. 1. c. 9.* vel *c. 9. diſt. 1.* Secunda pars continet 36. *cauſas*, ſeu caſus controverſos, quarum fere ſingulæ habent plures *quæſtiones*, iſtæ autem *Canones*, quos iterum aliqui vocant *capitula*. Citantur ſic: *Can. ſi juſtus 30. cauſ. 1. q. 1.* vel *c. ſi juſtus 1. q. 1.* vel *1. q. 1. Can. ſi juſtus §. quia per illum*. Nota, vocabulum *cauſa* ſæpiſſime non exprimi ſcripto, licet pronuntiari debeat: ut autem ſcias, num cifra indicet numerum *cauſæ* vel *Canonis*, attendere debes, utrum ſtatim ſequatur littera *q.* ſeu *quæſtio*; ſi enim ſequitur *q.* præcedens cifra, etiam ſolitarie poſita, ſignificat quotam *cauſæ, non Canonis*, v.g. 2. *q.* 3.

c. Eu-

c. Euphemium. Rurſus nota, *cauſa* 33. *q.* 3. ſubdividi in 7. *diſt. de Pœnit.* tractantes, quæ ſic allegantur: *can. homicidior.* 24. *d.* 1. *de pœnit.* vel *c. homicidior. diſt.* 1. *de pœnit.* vel *de pœnit. d.* 1. *c. homicidior.* Tertia pars inſcribitur *de conſecrat.* & habet 5. *diſtinct.* diviſas in *canones*, quos iterum aliqui appellant *capitula*. Modus citandi eſt hujuſmodi: *can. Filius Dei* 8. *diſt.* 4. *de conſecrat.* vel *can. filius Dei d.* 4. *de conſecr.* vel *de conſecrat. d.* 4. *c.* 8. In fine Decreti recenſentur *canones pœnitentiales n.* 47. in quibus pro gravioribus criminibus publicis ſtatuitur certum tempus & modus agendi pœnitentiam: ſed horum Canonum rigor hoc tempore antiquatus & fere abolitus eſt. Sequuntur poſtea *Canones Apoſtolorum*, ſic dicti, quia ab ipſis Apoſtolis traditi ſunt: eos collegit S. Clemens Pontifex Romanus, D. Petri Diſcipulus. In *corpore juris* noſtri recenſentur 84. quamvis Baronius recenſeat tantum 52. tanquam Authenticos cum Turriano (qui integrum de iis librum conſcripſit) & ingens opinionum varietas circa illorum numerum reperiatur apud Auctores. Aliqui abierunt in deſuetudinem, ut *can.* 36. ubi jubetur, ut bis in anno celebretur Epiſcoporum Synodus: nec enim faciunt Jus Divinum, ſed ſolum Eccleſiaſticum, utpote ab Apoſtolis ſolum ut Eccleſiæ Prælatis conditi.

Decretales (intellige *epiſtolæ* variorum Pontificum, ad propoſitas ſibi quæſtiones reſpondentium) juſſu & auctoritate Greg. IX. per S. Raymundum de Pennafort Ord. S. Dominici, Pœnitentiarium ejuſdem Pontificis, collectæ & vulgatæ anno 1230. conſtant ex 5. libris, diviſis in *Titulos*, qui ordinarie ſub *Rubrica*, quæ præmittitur, habent plura *capitula*. Et hi libri

explicantur in ſcholis tanquam Jus Eccleſiaſticum Univerſale, in Foro & Judiciis obſervandum. Citari ſolent hoc modo: *c. ſuper litteris* 20. *X.* vel: *c.* 20. *de Reſcr.* vel: *c. ſuper litteris de Reſcr.* In libro I. poſt generalia principia Juris agitur præcipue de modo conſtituendi Prælatos, & ordinandi perſonas Eccleſiaſticas, ipſumque Judicem Eccleſiaſticum: in II. de Proceſſu Judiciali: in III. de Clericorum tum Sæcularium tum Regularium vita, rebus, obligationibus: in IV. de Sponſalibus & Matrimonio: in V. de Delictis, eorumque Pœnis. Quæ omnia in dictis V. libris Decretalium comprehenſa exprimere ſolent unico hoc verſu: *Judex: Judicium: Clerus: Sponſalia: Crimen.*

Sextus Decretalium, ita appellatus, quod quinque libris Gregorii IX. tanquam complementum additus ſit a Bonifacio VIII. circa annum 1300. collectus fuit ex Summorum Pontificum, Gregorio IX. poſteriorum, Reſcriptis & Conſtitutionibus, item ex duorum Conciliorum Generalium Lugdunenſium Decretis: complectitur pariter 5. libros, qui rurſus dividuntur in *Titulos* (eoſdem quidem, quos habent 5. libri Decretalium Greg. IX. at non omnes, cum plures ſint omiſſi) iſti autem in *capitula:* unde & eadem hic citandi ratio obſervatur, additis tamen in fine vocibus in *ſexto*, ſeu *in* 6. nimirum ſic: *ut quis* 25. *de Elect. in* 6. vel: *c. un. de Bigamis in* 6. Si vero prius ex libris Greg. IX. fuit aliquid citatum, & quidem ex eodem titulo, v. g. de *Electione*, non amplius reperitur *titulus*, ſed ponitur illius loco vox *eodem.* v. g. *c.* 25. *eod. in* 6. Id quod etiam obſervatur, quando prius fuit aliquid citatum ex Jure Civili, poſtea ex Jure Canonico, vel viciſſim, quando utrumque

Jus habet *titulos* ejuſdem rationis v. g. *l.* 19. *ſeqq. ff. de Procurator. c.* 2. *eod. in* 6.

Clementina (conſtitutiones) auctorem habent Clement. V. quis eas vel ante-vel in-vel poſt Concilium generale Viennenſe in Galliis anno 1310. celebratum a ſe latas compilari juſſit, ſed morte præventus non vulgavit: publicavit tamen ejus Succeſſor Joann. XXII. Avenione reſidens anno 1317. Conſtant itidem 5. libris, iiſdem *titulis*, licet paucioribus, qui rurſus dividuntur in *capitula*. Citantur hoc modo: *Clem. un.* (unica) *de renunt.* vel: *Clem. cum illuſio de renunt.* vel: *c. un. de renunt. in Clementinis*, vel: *de renunt. cum illuſio in Clement.*

Extravagantes Joann. XXII. ſic appellatæ, quia diu extra *Corpus juris*, quaſi incerta ſede vagabantur, & a dicto Joanne ſunt editæ numero viginti, habent iterum 5. libros, diſtributos in eoſdem *titulos*, ſed valde paucos, & in *capitula*, more Clementinarum, Decretales imitantium, in quarum modum etiam citantur, nempe ſic: *Extravag. Joan. XXII.* 3. *de V. S.* (h. e. de *verborum ſignificatione*) vel: *Extrav. ad conditorem*, 3. *Joann. XXII. de V. S.* vel: *c. ad conditorem de V. S. in Extravag. Joan. XXII.* Pro voce *Extrav.* ſubinde ponitur ſyllaba *ex*, vel littera *X.*

Extravagantes communes, ſic nominatæ, quia a pluribus Pontificibus editæ, adeoque pluribus communes ſunt, & diu extra *Corpus juris* vagatæ; habent itidem 5. libros, & communes cum Decretalibus *titulos*, licet pauciores. Citari ſolent ſicut Extravag. *Joan. XXII.* cum hoc ſolo diſcrimine, quod locó *Joan. XXII.* addatur *commun.* vel *inter communes*, vel *in comm.* v. g. *extrav. ambitioſæ int. commun. de reb. Eccleſ. non alien.* vel: *c. ambitioſæ, int. extrav.*

comm. de reb. eccl. non alien. vel: *in extrav. comm. ambit. de rebus eccl. non alien. &c.*

Atque ex his Partibus conſtat hodie *corpus juris canonici;* nam *Liber VII.* (ſeptimus) *Decretalium* conſtans ex Conſtitutionibus poſteriorum Pontificum, a Petro Matthæo J. C. Lugdunenſi collectus, licet Corpori Juris ſit inſertus, pars tamen Juris Canonici non eſt, nec vim Juris Canonici obtinet, cum iſta collectio non ſit facta alicujus Pontificis auctoritate, ſed ſolum illam habent vim, quam independenter ab iſta collectione obtinent, ſicut Bullæ, quæ continentur in *Bullario*, de quo poſtea. Pariter Pars Juris Canonici non ſunt *Inſtitutiones juris canonici* a Lancelloto J.C. conſcriptæ, & *corpori juris* adjici ſolitæ. Idem judicium eſt de *Gloſſa*, & *Notis*, quæ reperiuntur in corpore Juris *Gloſſato*, vel *Notis illuſtrato*. Gloſſa, quæ eſt uberior textuum explicatio in margine appoſita, facta eſt ab Accurſio J.C. Notæ autem adjectæ a Dionyſio Gothof. J. C. quando in textu vel Gloſſa occurrit litt. I. ſignificat *infra*, quando litt. S. ſignificat *ſupra* quando litt. C. ſignificat *contra*. Gloſſa fundat quidem magnam auctoritatem & probabilitatem, ita ut cujuslibet alterius Doctoris opinioni præferenda ſit, cedit tamen plurium Doctorum conſenſui, vel etiam unius Doctoris opinioni, ſi hæc meliori nitatur Juris fundamento, ubi adverſatur Gloſſæ.

Extra *Corpus juris canonici* dantur adhuc & aliæ ſanctiones Canonicæ, nimirum 1. liber Concilii Trid. 2. Bullarium Magnum, uti & aliæ Bullæ, quæ identidem a Summis Pontificibus eduntur. 3. Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ. 4. Declarationes Cardinalium. 5. Deciſiones Rotæ Romanæ. Quæ quantam habeant auctoritatem, declarandum quoque eſt, prius

tamen

tamen de iis, quæ extant in *corpore juris* tanquam partes illius.

9 Dico 7. *Decretum* Gratiani per ſe non habet auctoritatem legalem, ſeu vim juris deciſivi in Foro & Scholis: quamvis in eo contenta retineant vim illam, quam habent fontes, ex quibus deſumpta ſunt; quia Compilator Gratianus, utpote vir privatus caruit poteſtate legis condendæ, nec ejus operi auctoritatem legalem ullus Pontificum attribuit. Illud tamen juſſu Gregorii XIII. ab erroribus ita purgatum eſt, ut Canones in Gratiani Decreto contenti cenſeantur eſſe conformes fontibus, ſeu ſcriptis originalibus, ex quibus collecti ſunt. Unde ſi textus, in dicto Decreto repertus, ex *SS. litteris* ſit deſumptus, habet auctoritatem Divinam: ſi ex *Conciliis Generalibus*, vel *particularibus* quidem, ſpecialiter tamen approbatis a Pontifice aliquo, vel ex *Decretis Summorum Pontificum*, vim legis Eccleſiaſticæ: ſi ex *SS. Patribus*, majorem quidem probabilitatem, quam aliorum Doctorum ſententiæ, non tamen vim legis, quia SS. PP. in materia diſputabili cenſentur eſſe inſtar Doctorum privatorum: ſi ex *Conſtitutionibus Imperatorum*, vel *jure civili*, tunc obtinent vim juris in foro etiam Eccleſiaſtico, quando ſupplet defectum Juris Canonici, nec immunitati Eccleſiaſticæ contrarium ſtatuit, nihilque determinat circa res & perſonas Eccleſiaſticas, vel quando approbatur ab Eccleſia, aut communi uſu: ſi Gratianus de ſuo aliquid addit, propriam dicendo ſententiam, facit probabilitatem, ſicut judicium alterius viri periti.

10 Dico 8. Reliqua 5. Volumina in *corpore juris canonici* comprehenſa, nempe 5. Decretales, 6. Decretalium, Clementinæ, Extravagantes Joan. XXII. & Extravagantes communes,

imo ſinguli illorum textus deciſivi pollent auctoritate legali, niſi vim Juris amiſerint per conſuetudinem contrariam, vel per conſtitutionem recentiorem. Ratio: quia hæc volumina (& ſinguli eorum textus deciſivi) a Legislatore Eccleſiaſtico edita, vel approbata ſunt in vim Juris, ac per modum legum ad dirigendas actiones Chriſtianorum.

Quæres, quid ſit *Rubrica*, & cujus auctoritatis? R. 1. Rubrica ſic dicta, quia, olim ſaltem, rubris exprimi ſolebat litteris, eſt duplex, una *titulorum*, alia *canonum* & *capitulorum*. Neutra in Decreto Gratiani habet vim Juris, quia auctorem non habent Summ. Pontif. imo nec Gratianum, ſed alium ignotum, poteſtate legiſlativa deſtitutum. R. 2. Rubrica *titulorum* (ſeu ipſi tituli) in aliis Juris Canonici voluminibus, ſi contineat ſenſum ſeu orationem perfectam, v.g. hæc, *ut Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione conferantur*, obtinet auctoritatem legalem: non vero, ſi orationem perfectam non contineat, uti hæ: *de conſtitution. de conſuetud. de poſtulando* &c. licet & iſtæ in dubio habeant magnam auctoritatem interpretativam, & declarativam. v.g. ex eo, quod *c.cum Monaſterium de elect.* ponatur in tit. *de Elect.* non *de Poſtulat.* recte infertur, quod in caſu dicti capit. fuerit celebrata Electio, non Poſtulatio. Gl. *in d. c. v. poſtulantis*. Et hinc dicitur *rubrum explicare nigrum*. R. 3. Rubricæ *Capitulorum*, quæ continent ſummam brevem materiæ in textu ſubjecto comprehenſæ, atque ideo etiam *Summarium* vel *Summaria* appellantur, vim Juris non ſortiuntur, niſi in quantum concordant cum textu ſubſequenti, adeoque doctrinales tantummodo ſunt, quia additæ ſunt non a Pontificibus Legislativam poteſtatem habentibus, ſed a variis Doctoribus,

uti

uti Abbate Panormitano, Joanne Andreæ &c. pro majori legentium commoditate.

11 Dico 9. *Conc. Trid.* quod anno 1545. inchoatum, & 1563. finitum, complures Fidei articulos contra Lutheranos & Calviniſtas definivit, ſimulque plurima ac ſaluberrima fecit morum decreta. Quoad *articulos Fidei* definitos eſt infallibilis auctoritatis, & ab omnibus Chriſtianis ubique recipi, atque conſtanter retineri debet, utpote congregatum, directum, & approbatum a Papa, infallibili in rebus Fidei Doctore; quoad *Decreta morum* & *reformationes* autem pollet auctoritate Legali, & Jus Noviſſimum ac univerſale conſtituit, ubicumque promulgatum, vel contraria conſuetudine aut privilegio Apoſtolico derogatum ei non eſt; cum in Eccleſia Dei non ſit major poteſtas legislativa, quam Conc. Generale ſuo Capiti, Rom. Pontifici, unitum. Et hæc intelligenda quoque veniunt de aliis *Conciliis Generalibus Legitimis*, qualia octodecim a Conc. Nic. I. uſque ad Trid. celebrata ſunt, & a me recenſita in *Curſu Theologiæ Polemicæ*, quem in aliis quoque materiis, Juri Canonico affinibus, utiliter inſpicies propter Hæreticos, quibus circumdamur. Aliud eſt de Conciliis Particularibus, nempe unius tantum Nationis, Provinciæ, vel Diœceſis; hæc enim, præterquam quod nullos Fidei articulos definire valeant, leges & decreta morum ac ſtatuta non pro univerſali Eccleſia, ſed ſolum pro certa natione, provincia, Diœceſi condere poſſunt, niſi a Pontifice approbata & recepta fuerint pro tota Eccleſia: ſic a Leone IV. *can.* 1. *diſt.* 20. recepta & approbata ſunt Ancyranum, Neo-Cæſareenſe, Gangrenſe, Antiochenum, Laodicenſe, & quædam alia. Ceterum *Concilia Generalia* legitima ſunt, quæ

congregantur auctoritate Summi Pontif. convocatis omnibus Chriſtiani Orbis Epiſcopis (licet non omnibus comparentibus) quibus præſidet Papa vel per ſe, vel per ſuos Legatos. Unde & *Oecumenica*, quaſi Orbis terræ Concilia, dicuntur, aut *Plenaria*. Econtra *Particularia* ſunt, quæ celebrantur convocatis ſolum certi diſtrictus Epiſcopis aut Clericis. Quando a Papa, vel Patriarcha ſeu Primate aliquo, convocantur integræ Nationis vel Regni Epiſcopi, dicuntur *Nationalia*: quando ab Archiepiſcopo convocantur ſui Epiſcopi ſuffraganei, Abbates, & Clerici totius Provinciæ, *Provincialia*: & quando ab Epiſcopo convocantur Abbates & Clerici ſuæ dioeceſis, *Dioeceſana* vel *Epiſcopalia*.

12. Dico 10. *Declarationes S. Congr. Cardinalium*, qui nempe conſtituti ſunt a Papa *Interpretes* Conc. Trident. quoad decreta morum, adempta omnibus aliis facultate Gloſſas, annotationes, commentarios, & quodvis interpretationis genus in præfatum Concilium edendi, probabilius tunc faciunt Jus univerſale (alias certe non) ſi ſint *comprehenſivæ*, h. e. comprehendantur in verbis Concilii, ſeu ſi ſint ſecundum propriam & communi uſu receptam verborum ſignificationem, atque eam ſolummodo declarent, non extendant, ac inſuper Papa prius conſulto, hujuſque expreſſo in litteris nomine datæ ſint, uti ſtatuit Sixtus V. & Greg. XIV. Card. de Luca *in annot. ad Conc. Trid. diſc.* 1. *n.* 17. Notat autem Pelliz. *Man. tr.* 4. *n.* 108. ex Salas, quod Cardinales raro conſulant Pontificem. Requiritur præterea, ut producantur in forma Authentica, h. e. ut ſigillo S. Congregat. Cardinalium munitæ, & a Cardinale Præfecto, ac Secretario ſubſcriptæ ſint, ut ordinavit Urbanus VIII. anno 1631. Card. de Luc. *l. c.* Pelliz.

liz. *l. c.* Si proin habeant has tres conditiones, ſunt declarationes authenticæ, & vim Juris obtinent, ſaltem ſi dentur generaliter & ſine reſtrictione tacita vel expreſſa ad certum locum; quia cenſentur eſſe datæ ab ipſo Pontifice: id quod confirmat quoque Praxis, præſertim Rotæ Romanæ, dictas declarationes reverenter & abſque ambiguitate recipientis, & merito, quia, ſi ſint comprehenſivæ, cenſentur eſſe ipſum Jus Tridentini, jam antecedenter conditum & promulgatum debite, ad quod retrotrahuntur etiam quoad caſus præteritos, *arg. Nov. 145. inf.* non vero Jus Novum. Idem fere dicendum eſt de aliarum Congregationum Romanarum, uti Congregationis *ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium*, Congregationis *Rituum*, Congregationis de *Indice librorum prohibitorum*, Congregationis *de Propaganda fide*, Congregationis S. *Officii Inquiſitionis* contra Hæreticam pravitatem &c. declarationibus, quod nempe tunc tantum ſortiantur vim Juris, quando explicant Jus Commune, nempe ſi habeant tres prædictas conditiones. Ceterum Sanch. Salas, Fagnan. alii DD. apud & cum P. Schmalzgrueber *in diſſert. proœm. n.* 386. obſervant, haud ægre deferri dictarum Congregationum declarationibus, licet ſigillo & ſubſcriptione debita munitæ non producantur, modo referantur a probatis Doctoribus, & aliunde non reddantur ſuſpectæ, v. g. quod a Jure Communi, proprietate verborum, vel recta ratione recedant; tunc enim in praxi ab iis non facile recedendum eſſe ajunt.

13 Dico II. *Regulæ Cancellariæ*, hoc nomine appellatæ, vel quod magna earum pars concernat expeditionem litterarum Apoſtolicarum, quæ fit in Cancellaria Papali, vel quod in Cancellaria Apoſtolica publicentur, vim Juris univerſa-

lis non obtinent quoad ea, quæ ſpectant ad expeditionem litterarum in Cancellaria faciendam, ſed ſolos Cancellariæ Officiales ligant: bene tamen quoad illa, quæ generaliter ſtatuunt, v.g. de reſervationibus & reſignationibus Beneficiorum, de diſpenſationibus & indulgentiis impetrandis, de triennali & annali poſſeſſore beneficii &c. etiam obſervandæ in Judicio, modo producantur impetratæ a S.R.E. Vice-Cancell. ſub plumbo. Chokier in *earumdem Regul. rubr. n.*22.23. Id præterea ſpeciale habent hæ Regulæ, quod in morte Summi Pontif. expirent, ac Sede Papali vacante nullam retineant vim, donec a Succeſſore iterum reſuſcitentur & reaſſumantur vel omnes, vel aliquæ tantum, vel etiam quibuſdam additis, ad libitum recens electi Pontificis, qui altero mox ab electione die eas inſtaurare ſolet. Neque extra Curiam Rom. promulgari ſolent, ſicut aliæ Leges; imo effectum nullitatis actus in contrarium geſti ſortiuntur etiam ante hanc publicationem. Initium ſumpſiſſe dicuntur circa tempora Joann. XXII.

14 Dico 12. *Deciſiones Rotæ*, quæ nihil eſt aliud quam Tribunal Rom. Pontificis ad decidendas cauſas litigioſas ordinatum, conſtans ex 12. Prælatis, partim Italis & Hiſpanis, partim Gallis & Germanis, iiſque in Jure verſatiſſimis, qui vocantur *Auditores Rotæ*, eo quod in orbem ſedentes audiant controverſias ad ſe delatas, examinent, & dirimant, faciunt quidem jus inter partes litigantes, ſicut aliæ ſententiæ Judiciales, non tamen inter alios, vel jus univerſale; quia huic tribunali non reperitur conceſſa poteſtas Legem vel Jus novum condendi. Fere ſicut deciſiones Cameræ Imperialis non faciunt jus, niſi inter Partes litigantes, licet majoris cenſeantur eſſe auctoritatis, quam inferiorum Tribunalium,

lium, &, ſi plures extant uniformes ſuper eadem quæſtione, indicant conſuetudinem & ſtylum Curiæ, cui & alii Judices non immerito ſe conformant, uti & Doctores.

15 Dico 13. *Bullarium*, ut vocant *Magnum*, quod auſpicio Sixti V. primitus vulgatum a Laertio Cherubino JC. Romano, & poſtea ab ejus filio Angelo Maria Cherubino continuatum & augmentatum, diverſas Romanorum Pontificum Bullas & conſtitut. extravagantes complectitur; majori auctoritate præditum non eſt, quam Bullæ, in Bullarium non relatæ, utpote a nullo Pontificum in vim juris approbatum. Sed quam auctoritatem debemus tribuere Bullis extravagantibus in Bullario non contentis, & poſt illius vulgationem hinc inde editis, & quæ hodiedum adhuc emanant; R. Si de illis certo conſtet, & ſint promulgatæ pro tota Eccleſia debito modo, faciunt jus univerſale: at quia ſæpe de iis non certo & legitime conſtat, an nempe verè & ſine ſubreptione emanaverint, item an ſuis originalibus concordent exempla, quæ circumferuntur, an pro tota Eccleſia latæ, promulgatæ, & uſu receptæ ſint, ſæpe juris auctoritate deſtituuntur, & negliguntur. V. Card. Tuſchum *litt. E. conc. 679. n.* 1. 2. Ceterum Bulla Pontificia differt a Brevi Apoſtolico per hoc, quod illa ſit ſcriptura in membrana, plumbo de funibus pendente munita, ſalutationem cum narratione, & conceſſionem Papæ &c. continens: iſtud vero ſit diploma ſeu reſcriptum a Papa (aut Pœnitentiario Magno) emanatum, ſitque ſcriptura modica in parvis conceſſa negotiis, in papyro frequenter ſcribi ſolita, cera rubra annuloque Piſcatoris ſigillata, ac ſigno Secretarii notata, & ſubſcripta.

16 Dico 14. Jus Canonicum (non Civile, ſi

hoc diſcrepat ab illo) in utroque foro, eccleſiaſtico & ſæculari, obſervandum eſt 1. quando agitur de Eccleſiis, perſonis, vel rebus eccleſiaſticis, per *c.* 10. *de conſtit. c.* 4. *de cenſib. in* 6. Ratio eſt, quia Legislator ſæcularis nullam in his cauſis habet juriſdictionem, ut ex claris textibus tenent omnes. 2. Quando agitur de rebus ſpiritualibus, v. g. de Matrimonio & aliis Sacramentis, de beneficiis eccleſiaſticis & Decimis &c. *c.* 2. *de judic. c.* 12. *de ſent. excom. in* 6. Ratio eſt eadem . 3. Quando agitur de peccato *c. fin. de præſcr.* Ratio: quia ubi agitur de peccato coram Deo, agitur de re ſalutem animæ ſpiritualem concernente.

17 Dico 15. Quando agitur de materia profana, Clericos, aut animarum ſalutem non concernente, v. g. de Contractibus, Teſtamentis, actibus civilibus &c. & Jus Canonicum diſcrepat a Jure Civili, quodlibet eſt obſervandum in ſuo foro, canonicum in eccleſiaſtico, & territorio temporali Papæ. Civile in politico & ſæculari *arg. can.* 6. *diſt.* 96. *c.* 7. *&* 13. *qui filii ſint legit.* Ratio eſt, quia in hujuſmodi materiis nec poteſtas ſæcularis ab eccleſiaſtica, nec iſta dependet a ſæculari, ac neutra alteri ſubordinata.

18 Dico 16. Quando jus canonicum in materia profana nihil decernit, vel tantum dubie, jus vero civile circa illam diſponit clare, ſequi oportet jus civile in foro etiam eccleſiaſtico: & viciſſim, quando jus civile nihil decernit vel tantum dubie, jus vero canonicum diſponit clare, ſtandum eſt deciſioni juris canonici in utroque foro. Ita regulæ inſtar tradunt Doctores ex *c.* 1. *de N. O. N.* ubi: *ſicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum ſtatuta Canonum Principum conſtitutionibus adjuvan-*

vantur. Itaque jus civile ſupplet defectum juris canonici, & jus canonicum ſupplet defectum juris civilis, quando deſunt propriæ leges. Dixi, *in materia profana*, nam ſi jus civile aliquid diſponat circa res vel perſonas eccleſiaſticas, nullius eſt auctoritatis, niſi ejus leges contineant merum favorem vel privilegium, uti *in auth. Item nulla C. de Epiſc. & Cleric.* ubi Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ perſonæ pronuntiantur exemptæ ab exactionibus & oneribus per Sæculares Magiſtratus imponendis: talis enim favor, nullum onus habens annexum, in concedente non requirit juriſdictionem, ſed etiam non ſubdito concedi poteſt: vel niſi tales leges juris civilis a jure canonico vel expreſſe ſint approbatæ, vel Eccleſiæ uſu receptæ: ſic jus canonicum approbavit leges civiles de cognatione legali, matrimonium dirimente, *Rubr. & c. de cognat. legali*.

TITULUS I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

SUMMARIUM.

1 *Quid de SS. Trinitate, & præcipuis Fidei noſtræ Myſteriis credendum.*
2 *Quid intelligatur per Fidem Catholicam.*
3 *Quinam teneantur edere profeſſionem Fidei.*
4 *Quam pœnam incurrant illam omittentes.*

1 CUm juris canonici finis ſit fideles dirigere, ad Deum, unum & trinum, *per quem Reges regnant, & Legum conditores juſta decernunt*. *Prov.* 8. & ad felicitatem ſupernaturalem, quæ nonniſi per Fidem ſupernaturalem, cogno-

cognoſcitur, & per media Divinitus revelata obtinetur, recte ante omnia de *Fide Catholica*, ejuſque præcipuo objecto: *Summa Trinitate*, initium capitur. Per *Summam Trinitatem* intelligitur ens increatum, ineffabile, unum & ſimplex in Natura ſeu eſſentia, ſubſiſtens tamen in tribus Perſonis (Patre, Filio, & Spir. S.) quæ quidem inter ſe realiter diſtinguuntur, cum eſſentia tamen Divina in ſe ſimpliciſſima realiter identificantur. Sicut autem datur diſtinctio in Perſonis, ita & in proprietatibus Perſonalibus atque prædicatis Relativis, ut vocant, quæ ſunt *generare*, *generari*, *procedere*. Nam Natura Divina nec generat, nec generatur, nec procedit, ſed *Pater* generat, *Filius* generatur a Patre, & Spir. S. *procedit* ab utroque, Patre & Filio, tanquam ab uno principio (non a duplici) adeoque ab una ſpiratione activa. Omnes autem tres Perſonæ ſunt conſubſtantiales, coæquales, quælibet omnipotens, æterna, immenſa, Deus &c. non tamen tres ſunt Dii, immenſi, æterni, omnipotentes &c. ſed unus unicus. Unum itaque Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate venerari oportet, ut nos docet & jubet Fides Catholica in *Symbolo S. Athan. in c. firmiter c. damnamus h. t. n. c. un. in 6. & Clem. un. eod.* Ubi & alia Fidei noſtræ myſteria præcipua ſpecificantur, & nobis credenda proponuntur, uti ſecundam Trinitatis perſonam, Dei Filium, Patri conſubſtantialem, aſſumpſiſſe Naturam humanam, ac in ea pro nobis paſſum, & mortuum eſſe, reſurrexiſſe, aſcendiſſe in cęlum &c. in Sacrificio Miſſæ offerri & immolari Jeſum Chriſtum ſub ſpecie panis & vini, in corpus & ſanguinem Chriſti per veram transſubſtantiationem converſi: dari unam Sanctam Catholicam Eccleſiam, extra quam nulla ſalus ſperanda, &

quæ

quæ ſit infallibilis in definiendis ac declarandis Fidei veræ articulis, a Deo revelatis &c. Unde ſaltem implicite ac generaliter credenda ſunt prorſus omnia firmiſſime, quæ ab Eccleſia Catholica proponuntur credenda, nimirum ab Eccleſiæ ſupremo capite, Chriſti in terris Vicario, ſive dein proponat in Conciliis Generalibus, ſive extra illa, loquens tamen *ex Cathedra*, ut ajunt, h. e. invocato Dei auxilio, & debita diligentia adhibita, intendens docere totam Eccleſiam tanquam Caput Eccleſiæ, & Paſtor univerſalis ab ipſo Chriſto conſtitutus.

2 Per *Fidem* hic non intelligitur actus Fidei, quo firmiſſime amplectimur per aſſenſum ea, quę Divinitus revelata nobis ab Eccleſia proponuntur credenda, ſed objectum Fidei, ſive res a Deo revelatæ & a nobis credendæ; adeoque intelligitur Fides objectiva, imo Fides maxime hic ſumitur pro ſumma, & collectione præcipuorum Fidei noſtræ articulorum, quos Eccleſia non ſolum a nobis credi in ſpecie cupit interius, ſed etiam a quibuſdam per publicam profeſſionem teneri exterius præcipit; quos articulos Conc. Trid. & Pius IV. qui illud confirmavit, in certam formulam redegit, ſecundum quam hodie Profeſſio Fidei externa & publica a quibuſdam quandoque fieri debet, uti dicemus. Per *Catholicam* vero, quæ vox idem ſonat, ac *univerſalis*, intelligitur illa fides, quam tenet & tradit Eccleſia *Romana;* hæc enim ſola eſt, & ſemper vocata fuit Catholica, ſeu univerſalis, teſte S. Auguſt. *l. de vera Relig. c. 7.* etiam ab inimicis & Adverſariis ſuis: quod hodiedum adhuc videmus; ſiquidem moderni Hæretici, utut honorificum hoc nomen ſummopere invideant Eccleſiæ Romanę, ejuſque membris, tamen, ſi intelligi velint, *Catholicam*, appellare debent, ac ſolent: ſic in

Inſtrumento pacis Monaſterienſis Romanæ Eccleſiæ addicti pluſquam octuagies appellantur *Catholici*, neſcio qua vi adigente, ceteri vero vocantur *Acatholici*, *Proteſtantes*, *Reformati*, *Confeſſioni Auguſtanæ addicti* &c. nec immerito, quia teſte Vincentio Lirinenſi, Doctore antiquiſſimo, *l. cont. Hæreſ. c.* 3. *vere proprieque Catholicum eſt tenere, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt*. Sola autem Eccleſia Romana fuit *ubique* & per totum mundum diffuſa, extitit *ſemper* a temporibus Chriſti, veræ Eccleſiæ auctoris, & quod credidit unus ejus verus alumnus, credidere *omnes*, atque ſic ſola fuit, & adhuc eſt, Catholica ſeu univerſalis quoad locum, tempus, & doctrinæ unitatem, adeoque eſt illa Eccleſia, contra quam portæ inferi numquam prævaluerunt, nec deinceps prævalebunt, juxta Chriſti promiſſionem *Matth.* 16.

§ Dico 1. Publicam Fidei Catholicæ profeſſionem juxta Formulam Tridentini, & Pii IV. cum juramento, ſe in Eccleſiæ Romanæ obedientia permanſuros, edere tenentur ſequentes. 1. Promovendi ad Epiſcopatus, in prima Synodo Provinciali, cui interfuerint. 2. Proviſi de Canonicatibus & Dignitatibus in Eccleſia Cathedrali intra duos menſes a die pacificæ & fructiferæ poſſeſſionis. 3. Proviſi de beneficiis, curam animarum habentibus, pariter intra duos menſes a die adeptæ poſſeſſionis, *Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 2. *de ref.* & *ſeſſ.* 24. *c.* 12. *de ref.* Rurſus 4. Prælati Regulares, & 5. non tantum Doctores, Magiſtri, Regentes, & quicumque artem aut diſciplinam, ſacram vel profanam, docere vel profiteri volunt, ſed etiam qui ad gradus litterarios, & *licentiam* docendi in Academiis promoveri cupiunt

piunt, ubi nempe Conſtitut. *Injunctum* Pii IV. & *in Sacroſancta* Pii V. ſunt uſu receptæ.

4 Dico 2. Proviſi de canonicatu vel dignitate in Eccleſia Cathedrali, item proviſi de beneficio curato, ſi intra duos menſes ab adepta poſſeſſione culpabiliter omiſerint edere profeſſionem Fidei, non poſſunt fructus facere ſuos poſt illud bimeſtre perceptos, donec dictam profeſſionem emittant, ſed eos non obſtante profeſſione poſtea ſecuta tenentur erogare in pauperes, aut in Eccleſiæ fabricam. 2. Probabilius etiam ante ſententiam Judicis. Pars prima habetur Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de ref. cit.* Altera probatur ex eodem Trident. quia noluit, ut proviſi faciant fructus ſuos poſt bimeſtre perceptos, niſi ſub conditione intra id temporis emiſſæ profeſſionis: ergo iſti fructus, poſt lapſum duorum menſium percepti, donec emittatur profeſſio Fidei, non ſunt in abſoluto dominio proviſorum: ergo ſunt res aliena: atqui res aliena debet reſtitui ante omnem ſententiam: ergo. *Objicies* cum Sanch. Barb. & P. Vvieſtner *h. t. n.* 48. Tridentinum privans fructibus ob non emiſſam profeſſionem Fidei eſt lex pœnalis: ſed lex pœnalis non obligat ante ſententiam Judicis, ſaltem declaratoriam criminis, *arg. c.* 19. *de Hæretic. in* 6. ergo: Reſp. *neg. maj.* non enim tam eſt lex pœnalis: quam conventionalis & conditionalis: quia fructus non concedit, niſi *ſub conditione* emiſſæ intra duos menſes profeſſionis: fere ſicut contrahentes ſubinde adjiciunt ſuis conventionibus certas conditiones, ſub quibus, & non aliter, velint tranferre dominium rei in alterum.

TITU-

TITULUS II.

De Conſtitutionibus.

SUMMARIUM.

1 *Conſtitutiones ſunt leges. Differunt a præceptis.*
2 *Quid ſit lex.*
3 4 5 6 *Quæ ejus materia. An etiam actus interni.*
7 *Quæ forma.*
8 9 *Promulgatio eſt de eſſentia legis. Fieri debet probabiliter in ſingulis Provinciis, ut ubique obliget lex Eccleſiaſtica univerſalis.*
10 *Acceptatio legis non eſt de ejus eſſentia.*
11 12 *Quæ ſit cauſa finalis, efficiens, & effectus legis.*
13 *Leges Eccleſiaſticas univerſales fert Papa ſolus.*
14 *Particulares etiam inferiores Prælati.*
15 *Leges Civiles Univerſales Imperator, at non ſolus.*
16 *Particulares, ſeu Statuta Principis & Status Imperii, etiam juri communi contrarias.*
17 *Poteſtas Legislativa tam eccleſiaſtica quam ſæcularis reſtringitur ad ſuum forum.*
18 *Omnis Legislator humanus obligare poteſt per legem ſuam etiam in conſcientia.*
19 *Imo omnis lex, etiam humana neceſſario obligat in conſcientia ſaltem ad aliquid.*
20 *Qui ſit effectus legis irritantis.*
21 22 *Lex ſimpliciter prohibens non hoc ipſo irritat actum.*
23 *Lex ſimpliciter irritans actum non hoc ipſo irritat eumdem pro foro etiam interno.*
24 *Quod ſit ſubjectum legis. Quotuplex ejus ceſſatio.*

25 *Legiſlator an teneatur legibus ſuis.*
26 *An pueri, & puellæ legibus humanis. An ebrii ignorantes legem &c.*
27 *An Peregrini legibus locorum, ubi morantur:*
28 *An legibus ſui domicilii.*
29 *An vagi legibus locorum, ad quæ veniunt.*
30 *An Clerici legibus civilibus.*
31 32 *Quomodo Lex interpretanda & intelligenda.*
33 *An per interpretationem extendi poſſit.*
34 *An quoque epiikia habeat locum.*
35 *Quotuplex ſit interpretatio legis.*
36 *Quando Lex ceſſet ceſſante fine.*
37 *Quis in lege diſpenſare poſſit.*
38 *An valide ſine juſta cauſa.*
39 *Quæ ignorantia excuſet ab obſervantia legis.*
40 *Et an metus.*
41 *Nec illa, nec iſte impedit effectum Legis irritantis.*

§. I.

De eſſentia: cauſa Materiali: Formali: & Finali Legis.

PEr *Conſtitutiones* in Rubrica poſitas intelliguntur *leges*, quo vocabulo, utpote brevióri, deinceps utemur: *lex* quidem ſæpe ſumitur pro jure Civili, ut à SS. Canonibus diſtincto, & ideo Juris Civilis interpretes appellantur *legiſtæ:* at nos ſumimus in ampliori ſignificatione, prout complectitur jura tam eccleſiaſtica quam civilia. Unde apparet, quam nobilém iſte Titulus tradat materiam, utpote per totum jus utrumque diffuſam, & generalia principia, non modo Juriſtis, ſed etiam Theologis, ſcitu perneceſſaria complectentem, ac per aliquot §§. explicandam. Differt *Lex a Præcepto*, ſeu

mandato 1. Quod lex detur communitati quâ tali præceptum vero homini privato, & perſonis ſingularibus. 2. Quod lex ſit ex ſe perpetua, præceptum vero expiret per mortem tum præcipientis, tum ejus, cui datum eſt. 3. Quod lex immediate afficiat locum, & territorium Legislatoris, præceptum vero adhæreat ipſis perſonis immediate. Nihilominus tamen Lex & Præceptum quandoque ſumuntur pro ſynonimis, uti & Statutum ac Jus; quamvis *Statutum* ſtricte dictum denotet legem particularem, a Principe ſubordinato, vel Magiſtratu civitatis, pro loco particulari latam, *Jus* vero a Supremo Principe, plures Magiſtratus ſibi ſubordinatos habente, pro tota amplitudine ſui territorii univerſaliter conſtitutum.

2 Dico 1. Lex nempe poſitiva humana, eſt ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. S. Th. 1.2. *q.* 90. *art.* 4. *in corp.* & cum eo communis. Senſus eſt iſte: *Lex eſt rationabile decretum Superioris legitimi, ſubjectam ſibi communitatem obligare volentis ad aliquid faciendum vel omittendum communis boni gratia, legitime promulgatum.* Unde de eſſentia Legis eſt 1. ut procedat a Superiore juriſdictionem & poteſtatem legislativam obtinente. 2. Ut ſit honeſta, & rationabilis, nec repugnans juri naturali aut divino. 3. Ut ſit poſſibilis, nec nimis ardua. 4. Ut reſpiciat integram communitatem. 5. Ut ſit utilis communitati. 6. Ut ſuperior intendat obligare ad aliquid; alias enim foret conſilium, non lex. 7. Ut ſit promulgata. Sed quia de promulgatione, uti & acceptatione communitatis, eſt aliquod dubium, poſtea de his ponemus ſpeciales aſſertiones. Neque dictis obſtat, quod detur lex *permittens*: lex autem permittens non obli-

ɔbliget. 2. quod finis legis tendat in bonum privatorum hominum, puta pupillorum, minorennium, mulierum, nobilium &c. nam R. ad 1. lex permittens non obligat quidem illum, ui aliquid permittit: obligat tamen alios, ne illum impediant a faciendo vel omittendo id, uod ipſi permittitur a lege. Ad 2. Hoc ipſo, quod ex faveat pupillis, minoribus, mulieribus &c. altem indirecte & mediate cedit in bonum commune ſeu communitatis, quia hujus intereſt has erſonas defendi privilegiis ſpecialibus. Deine hujuſmodi leges non attendunt bonum ſingularium perſonarum, qua talium, ſed ſub aliua ratione communi, prout omnes pupilli &c. onſtituunt aliquam communitatem. Ceterum cet aliquæ ſanctiones extent, quæ ſunt directæ l unam perſonam ſingularem, & ad caſum parcularem, hoc ipſo tamen, quod relatæ ſint in ɔrpus juris communis, ſe extendunt ad om:s caſus ſimiles quarumcumque perſonarum, : vim legis communis ſortiuntur.

3 Dico 2. Cauſa materialis; ſeu materia legis nt actiones hominum, quæ vel præcipiuntur, :l prohibentur, vel permittuntur, vel puniunır, *l.7. ff. de legib.* hi enim quatuor actus legis i exprimuntur, verbis: *legis virtus hæc eſt imrare, vetare, permittere, punire*. Adeoque Lex nnis vel eſt præcipiens, vel prohibens, vel permitns, vel puniens (uti eſt pœnalis) humanas actio:s, bonas, vel malas, vel ſaltem indifferentes ex ſe.

4 Dico 3. Legis humanæ objectum ſeu materia recte probabilius non ſunt actus mere interni: leoque præcipi vel prohiberi per ſe & directe queunt. Ita ingens agmen cum S. Thom. 1. 2. 1 co. *ar.9.* & P. Suar. *l.3. de legib. c.13. n.2.* & . *c.12. n.4.* contra *gl. in Clem. 1. de hæret. verum v. eo ipſo*, Adrian. Roſell. Clarum,

Bal-

Baldum, Jo: Card. & plurimos alios. Prob. 1. negat. quia hucuſque nondum ſufficienter probatum eſt, quod Deus vel Chriſtus dederit Magiſtratui humano, vel politico vel eccleſiaſtico, poteſtatem præcipiendi per ſe & directe ac ſolitarie actus internos; cum per actus externos, ſi rite fiant, felicitas humana ſufficienter obtineri poſſit, licet per accidens ad actus externos rite ponendos requirantur actus interni, propter quod indirecte præcipi poſſunt a Lege humana. 2. ex *c.* 34. *de ſimon.* ubi Pontifex fatetur: *nobis datum eſt de manifeſtis tantummodo judicare*. Et *can. cogitationis diſt.* 1. *de Pœnit.* dicitur: *nemo patitur cogitationis pęnam*, nempe in foro humano. Unde 3. Poteſtas legislativa debet eſſe conjuncta cum poteſtate coactiva, ſeu punitiva tranſgredientium leges; alias eſt inefficax teſte Ariſtot. *l.* 3. *Ethic. c.* 5. ergo legem ferens debet poſſe cognoſcere tranſgreſſionem legis: ſed legis, actum mere internum reſpicientis, tranſgreſſionem Legislator humanus cognoſcere nequit: ergo actus mere internus eſt extra ſphæram poteſtatis humanæ, nil niſi ſenſibile cognoſcentis.

5 Objic. 1. Eccleſia exercet juriſdictionem in actus mere internos, v. g. abſolvendo a peccatis mere internis & pravis cogitationibus, diſpenſando in voto mere interno &c. ergo non eſt, cur negetur eidem poteſtas ferendi legem de actibus mere internis; cum in hos habeat juriſdictionem. 2. præcipit *devotam & attentam* Breviarii recitationem, *c. dolentes de Celeb. Miſſ.* præcipit Confeſſionem validam peccatorum, & Communionem annuam reverentem, & non ſacrilegam in paſchate, ut patet ex propoſitionib. ab Alex. VIII. & Innoc. XI. damnatis, contrarium aſſerentibus: ſed devotio ac attentio in precibus, dolor animi ad validam confeſſionem neceſſarius, & pro Communio-

munione Euchariſtica requiſita reverentia & de-
ita animæ diſpoſitio, ſunt actus interni: ergo.
.Confeſſio doloroſa peccatorum,& devota Com-
iunio vel oratio ſunt actus miſti, h.e. invol-
unt ſimul actum externum & internum: cum
rgo Eccleſia præcipiat directe hos actus miſtos,
ræcipit ſimul directe actus internos. 4. Utique
otuiſſet Eccleſia prius præcipere actum mere ex-
rnum, v.g. orationem vocalem, dein ex in-
rvallo ſuperaddere præceptum de attentione
iterna; ſed hoc modo adjeciſſet directe præ-
ptum actus mere interni. 5. Jus eccleſiaſti-
ım directe ſpectat finem ſupernaturalem: ſed
te non poteſt obtineri ſine actibus internis fi-
ei, ſpei, charitatis &c. ergo 6. Innoc. XI. in
irtute S. obedientiæ prohibet, ne quis propoſi-
ones a ſe damnatas deducat ad praxim, in-
r quas tamen aliquæ verſantur circa actus in-
rnos, v.g. hæc: *non tenemur proximum dili-
re actu interno & formali*: ergo prohibetur
niſſio amoris interni directe. 7. Noſtra ratio
rtia ſupponit falſum, nempe omnem legem
ımanam debere eſſe *coactivam* ſimul, & non
ıere *directivam*, nam leges civiles reſpectu cle-
corum habent tantum vim directivam, non
ɔactivam vel coercitivam: ergo.

R. Ad 1. *diſt. ant.* exercet juriſdictionem & po-
ſtatem legislativam in actus mere internos, ab-
ɔlvendo a peccatis internis, diſpenſando in vo-
s internis, *n. ant.* Non legislativam ſed extraor-
inariam pro foro interno tantum a Deo & Chri-
o ſpecialiter ipſi conceſſam, & nomine Dei
ɛercendam, non nomine proprio *c. ant. & n.
nſ.* Juriſdictio pro foro interno, de qua hic
ıæritur legislativa non eſt, utpote non con-
ntioſa, ſed voluntaria. Ad 2. His exemplis plus
ɔn probatur, quam quod Eccleſia indirecte

poſſit

poſſit præcipere vel prohibere actus internos, de quo poſtea. Ad 3. Eccleſia præcipiendo actus miſtos ex interno & externo præcipit quemlibet eo modo, quo poteſt, nempe externum directe, internum indirecte. Ad 4. Quando Eccleſia ex intervallo præciperet actum internum cum externo conjungendum, iterum indirecte tantum præciperet, cum necdum probatum ſit, directe, vel ſolitarie, eum cadere defacto poſſe ſub legem humanam. Ad 5. *diſt. maj.* ſpectat finem ſupernaturalem, vi legis eccleſiaſticæ procurandam per actus externos tantum, *c. ma.* per actus internos directe ab Eccleſia præceptos vel præceptibiles, *n. ma.* Argumentum hoc rurſus plus non probat, quam quod actus interni a jure eccleſiaſtico præcipi poſſint indirecte, in quantum nempe ſine his actus externi rite, & ut oportet, poni nequeunt. Ad 6. Innoc.XI. ſolum declaravit, ad quid obliget jus divinum & naturale circa dilectionem proximi, & Dei, non poſuit novam legem humanam, cum hujus materia eſſe nequeant actus mere interni. Ad 7. Quamvis poteſtas *directiva* ſpeculative loquendo ſit ſeparabilis a *coactiva*, non tamen moraliter, & juxta præſentem Dei ordinationem, Suar. *l.*4. *de LL. c.*12.*n.*8. Clerici neque vi directiva, quatenus hæc eſt vis obligandi a poteſtate ſæculari deſcendens, obligantur lege civili, quamvis obligentur ex decentia naturali, quam aliqui vocant vim *directivam*.

6 Dico 4. Poſſunt tamen a Legiſlatore humano præcipi vel prohiberi actus interni indirecte & concomitanter, quantum nimirum neceſſarii ſunt ad actum externum in ſuo eſſe phyſico vel morali rite ponendum, v. g. ut contractus in ſuo eſſe phyſico rite ponatur, debet libere & cum conſenſu interno poni: ut Sacramentum in ratione morali rite cóficiatur, requiritur intentio faciendi

id,

l, quod Chriſtus inſtituit: ut oratio rite peraga-
ır, opus eſt attentione aliqua interna &c. & qui
los actus internos non poneret, peccaret contra
gem Eccleſiæ. Ita cum Suar. *l.4. cit. c.13. a n.5.*
ommunior contra Vaſq. Silv. Dian. & alios, quo-
ım ſententiam Fill. & Laym. cenſent probabi-
m. Ratio eſt, quia præcipi actum internum in-
recte & concomitanter nihil eſt aliud, quam
lum præcipi quidem, at non immediate ratio-
: ſui, ſed ratione actus externi, ad quem rite
onendum neceſſarius eſt internus: ſed Eccleſia
a præcipere poteſt, & defacto ita præcipit,
i patet in lege de devota recitatione Breviarii,
: ſimilibus. Ieem procedit de lege vel præce-
:o, quo præcipitur intentio applicandi ad cer-
ım finem v. g. Sacrificium Miſſæ, orationes:
:l gratis adminiſtrandi Baptiſmum, digne ſuſci-
endi Sacramenta &c. quamvis enim hujuſmo-
intentio ad hos actus externos in ſuo eſſe phy-
:o vel morali rite ponendos non ſit intrinſece &
oſolute neceſſaria, tamen extrinſece cum iiſdem
nnectitur, ut fiant certo modo; & ideo hu-
ſmodi intentio ſaltem eſt neceſſaria ad *aliquod*
e morale actus externi. Suar. *l. c.*

7 Dico 5. Cauſa formalis, ſeu forma Legis, ſunt
;na externa, quibus voluntatem ſuam obligandi
giſlator manifeſtat, & promulgat ſubditis. Hæc
ıtem ſigna & verba debent eſſe talia, ut clare in-
cent, legiſlatorem non ſuadere tantum, ſed
æcipere ac jubere, qualia verba ſunt, *Præcipi-*
us, *mandamus*, *obligamus*, *prohibemus*, *inter-*
cimus, *teneantur*, *neceſſe eſt*, *non liceat*; *nemo*
ſſit &c. Si ſint verba dubiæ obligationis, uti hæc,
ıtuimus, *ordinamus*, *ſancimus*, *decrevimus*, *volu-*
us &c. ex circumſtantiis, v. g. ex conſuetudine
ci, materiæ gravitate vel neceſſitate &c. colligen-
m erit, an ſuperior obligare intenderit, nec ne: ſi

omnibus conſideratis maneat dubium de voluntate obligandi, non pro lege, ſed pro conſilio haberi debet; cum ſubditorum libertas ſit in poſſeſſione. Dixi, *& promulgat ſubditis*: quare ad formam Legis ſpectat etiam *promulgatio*, & quidem talis, quæ apta ſit populo & toti communitati, voluntatem Legislatoris obligare intendentis notam facere, uti quæ fit per vocem præconis, aut per programma in publico loco affixum. Nec ſufficit ſolemnis conſtitutio legis in conſiſtoria Principis vel decretum in Senatu factum, vel Conſiliariis intimatum; cum lex eſſentialiter reſpiciat totum populum & communitatem, atque ideo neceſſe ſit, ut legislator tamquam perſona publica modo publico ſeu modo communitati accommodato illi loquatur publice, ac voluntatem ſuam taliter promulget, ut innoteſcere communitati valeat ratione modi, quo fit promulgatio. Quæſtio jam eſt, utrum promulgatio prædicta requiratur ſolum ut conditio ex parte populi, qui obligari non poteſt, niſi legem cognoſcat; vel an requiratur etiam ex parte legis, ita ut hæç eſſentialiter non ſit completa, niſi debito modo ſit promulgata, ſeu an ſpectet ad formam legis accidentalem tantum, vel ad ſubſtantialem. Ad hoc

8 Dico 6. Promulgatio legis eſt de eſſentia legis, & neceſſaria non tantum per modum conditionis ex parte hominis, qui ſine notitia legis obligari nequit, ſed etiam ex parte ipſius legis, itaut iſta vim obligandi completam obtineat per promulgationem tanquam partem eſſentialem. Ita communis cum Suar. *de legib. l.1. c.11. n.3. 6.* Ratio; quia lex eſt regula totius communitatis, & locutio Principis vel legislatoris ad communitatem & totum populum directa, itaut ab omnibus ſubditis intelligi poſſit, per *l.9. C. de legib.* ibi; *leges Sacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas intel-*

intelligi ab omnibus debent: ſed locutio hæc publica Principis eſſentialiter involvit ſignum vel verba, voluntatis obligandi manifeſtativa, nec apta eſt ab omnibus percipi iſta voluntas obligandi ſine hujuſmodi ſigno vel verbis: ergo lex eſſentialiter involvit pro parte ſignum vel verba, quibus manifeſtatur, vel promulgatur lex: ergo promulgatio eſt de eſſentia legis. Confirmatur ex definitione legis ſupra data, quæ involvit promulgationem: *ab eo qui curam communitatis habet, promulgata*. Unde promulgatio legis ſe non habet ad obligandum, ſicut applicatio ignis ſe habet ad urendum; nam promulgatio partialiter tribuit vim obligandi, non vero applicatio vim urendi. Poſtquam vero promulgatio legis debite facta eſt, ſtatim in actu primo obligat omnes, cum totam vim obligandi jam ſit conſecuta; non vero in actu ſecundo illos, ad quos notitia non pervenit: quæ proin notitia requiritur ſolum per modum conditionis, ut detur obligatio in actu ſecundo; quamvis enim omnes jam ſint obligati, per accidens tamen ignorantes legem ſunt excuſati, itaut contraveniendo non peccent.

Quæres, an lex univerſalis a ſupremo Principe lata cenſeatur debite promulgata, ut vim obligandi ſtatim obtineat in omnibus provinciis, quamprimum fuerit per Præconem aut publicum programma affixum promulgata in ſola Urbe præcipua, ſupremi Principis Sede? R. 1. Loquendo de lege civili, pro toto Imperio lata, non ſtatim obligat; ſed debet promulgari in ſingulis provinciis Imperii, ac inſuper expectari fluxus duorum menſium ab hac promulgatione facta. Ita quoad utrumque ordinatur in *Rubrica & c. 1. Nov. 66.* Ratio eſt, ut tollatur confuſio, & ne aliqui citius, alii ſerius obligari incipiant. Unde infertur, incolas illius provinciæ, in qua

 non-

nondum promulgata eſt lex, licet ſciant alibi eſſe promulgatam, non obligari: nec illos ſubditos, in quorum provincia jam facta eſt promulgatio, ante lapſum duorum menſium, licet in notitiam legis jam prius venerint.

R. 2. Loquendo de lege eccleſiaſtica univerſali probabile admodum eſſe, eamdem ſolemnitatem promulgationis regulariter requiri, itaut non obliget in Provinciis & Diœceſibus, antequam in iis fiat ſpecialis promulgatio, & ab hoc fluxerint duo menſes. Gl. in *c.2. h.t. v.ante prohibitionem*, *& in c. 1. de conceſſ. præb. in 6.* Abb. Arm. Sot. Bec. Leſſ. *de J. & J. l.2. c.22. dubit.* 13. Nicol. Serar. *diſp. de legib. a n. 56.* Mol. *tr. 2. de J. & J. d.395. a n.6.* Zypæus *Anal. Jur. Pont. ad h.t. nu.* 1. Gibal. *de Scient. Can. l.7. c.2. q.*1. Nav. in Manual. *c.*23 *n.*44. & utramque ſententiam ex Nav. & Alex. communem dici notat Cherub. in Comp. Bullar. *to.* 3. *ad Conſt.* 95. Proh. 1. ex communi regula *in c. 1. de N. O. N.* tradita, vi cujus jus canonicum ſequitur leges civiles, ubi ipſum nihil clare diſponit, diſponunt tamen leges civiles in re non ſpirituali, aut peccatum vel immunitatem eccleſiaſticam non concernente, 2. ex *c.* 13. *de Pœnit. & remiſſ.* ubi ſtatuitur, pœnam in Medicos ibi decretam non incurri, antequam *Prælati locorum* particularium illam legem promulgaverint. 3 Ex Bulla Pii IV. *Sicut ad Sacrarum*, ubi Pontifex vult, decreta Conc. Trid. non obligare ante lapſum 3. menſium a finito Concilio, & niſi in ſingulis parochiis fuerit promulgatum prius, ſubjungens hanc rationem, *quia jure etiam communi ſancitum eſt, ut conſtitutiones novæ vim nonniſi poſt certum tempus obtineant:* ergo approbat leges civiles. Neque dicas, hæc exempla ex *c.*13. *cit. & Bulla Pii IV.* deſumpta non eſſe approbationem juris civilis, ſed *exceptionem* a via

a via ordinaria, per quam firmatur potius regula in contrarium, ac tacite inſinuatur, obligationem legis eccleſiaſticæ ſtatim, ubi Romæ fuerit promulgata, ſeu publice affixa in *Campo Floræ* ut ſolet fieri, vel ad *valvas Baſilicæ Apoſtolorum*, induci per totum mundum Chriſtianum, niſi Pontifex ſpecialiter velit, ut promulgetur in ſingulis provinciis vel diœceſibus, vel niſi ſtatuat certum obligationis inchoandæ terminum. Negatur enim, quod ſint exceptiones a communi regula; ſed ſunt potius declarationes recepti generaliter juris civilis pro caſibus, in quibus jus canonicum nihil diverſi ſtatuit, adeoque ſunt exempla hujus approbationis: quod inde etiam confirmatur, quod Pontifices *ordinarie* non ſtatim ſolent obligare poſt promulgationem Romanam, & ubique intra idem tempus, ſed bimeſtre pro regionibus intra montanis & Italiæ vicinioribus, quadrimeſtre autem pro ultra-montanis ad inducendam obligationem ſtatuere. 4. Ex ratione; quia eadem videtur pugnare ratio pro lege eccleſiaſtica, quæ induxit Imperatores pro novis legibus civilibus totum Imperium ſpectantibus, ut nimirum vitetur confuſio, & alii non obligentur citius; præſertim cum in particularibus locis dari poſſint ſpeciales rationes, propter quas Epiſcopi Diœceſium juſte ſe poſſint opponere novæ legi: & hinc expedit, ut Papa non obliget, niſi prius per Epiſcopos, qui melius norunt mores & indolem ſuorum ſubditorum, aliaſque circumſtantias particulares, curet promulgari, & aliquo tempore poſt promulgationem ſuſpendat obligationem. Ceterum in legibus *reſervationem caſuum* continentibus, privilegiorum vel Indulgentiarum *revocatoriis*, contractus, matrimonium, & alios actus *irritantibus* &c. etiam Ad-

verſarii paſſim nobiſcum ſentiunt. Dixi tamen, *regulariter*; niſi nempe Papa per ſpecialem clauſulam indicet, ſe ſtatim & ubique poſt promulgationem Romanam obligare velle: vel niſi uſus & actualis obſervantia alicujus legis ſuppleat vicem promulgationis particularis: ſic *Bulla Cœnæ*, & *Regulæ Cancell.* obligant apud nos, licet ſpecialiter non promulgentur apud nos.

Objic. 1. Papa non dependet in ſuis legibus ferendis a modo promulgandi, a legibus civilibus præſcripto: ergo. 2. Pro oppoſita ſententia ſtat praxis & ſtylus Curiæ Romanæ. R. ad 1. *diſt. ant.* non dependet dependentia neceſſitatis. *C. ant.* dependentia ultroneæ acceptationis. *N. ant. & conſ.* Ad 2. eſto, quod forſan praxis moderna Curiæ Romanæ, fundantis ſe in probabilitate opinionis contrariæ, pro foro externo ita judicet; in foro tamen interno, propterea non prohibentur ſubditi noſtram benigniorem ſequi ſententiam, vere probabilem. Non igitur eadem eſt neceſſario praxis in foro interno, quæ forte eſt Romæ in foro externo, ut apud Palao *p.* 1. *tr.* 3. *diſp.* 1. *pun.* 12. *n.* 3. docent Valent. Reginal. Menoch. Imo Gibal. *l. c.* fuſe oſtendit, praxim veteris Eccleſiæ pro noſtra ſtetiſſe ſententia.

10 Dico 7. Acceptatio legis humanæ, ſi ſumatur pro conſenſu populi in legem conſtituendam, non eſt de eſſentia legis, extra ſtatum Democraticum, ſeu ubi ſuprema poteſtas non eſt penes totum populum. 2. Neque ſi ſumatur pro voluntate recipiendi legem, a Principe vel Magiſtratu promulgatam. 3. Ad durationem tamen & ſtabilitatem legis accidentaliter neceſſaria eſt acceptatio populi, vel potius actualis obſervatio legis. Pars 1. ſumitur ex *l.* 1. *ff. de conſt. Princ.* ubi habetur, quod populus, penes quem olim erat ſuprema poteſtas,

etiam

etiam legislativa, hanc poſtea abſolute tranſtulerit in Principem in ſtatu Monarchico. Idem dic, quod tranſtulerit ad optimates ſeu Proceres in ſtatu Ariſtocratico. In ſtatu autem eccleſiaſtico poteſtas legislativa numquam fuit penes populum, ſed a Chriſto immediate Summo Pontifici, a quo etiam derivata eſt in Epiſcopos pro ſuis Diœceſibus, cum limitatione tamen, ne contra jus commune legem ferant: ergo leges in ſui conſtitutione non dependent ab acceptatione vel conſenſu populi. Pars 2. ex prop: ab Alex. VII. damnata hujus tenoris: *populus non peccat, etſi abſque ulla cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam*: ergo leges obligant; conſequenter totam habent eſſentiam, antequam recipiantur a populo; alias non peccaret non recipiendo: ergo voluntas recipiendi legem non eſt de ratione legis. Et ſi hæc populi acceptatio requireretur, exigua plane foret poteſtas legislatorum, qui præciſe tantum poſſent, quantum vellet populus: quod non tam eſſet regere populum, quam regi ab ipſo. Pars 3. ex *l.* 32. *ff. de legib.* ibi: *cum ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ ſint*, item ex *can* 3. *d.*4. ibi: *leges inſtituuntur, cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium approbantur: ſicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ ſunt; ita moribus utentium ipſæ leges confirmantur*. Atque in hoc ſenſu verum eſt axioma: *lex non acceptata non obligat*; uti contingit in multis Bullis Pontificis tum in Germania, tum aliis locis. Si lex numquam fuit deducta in uſum; ceſſavit per *deſuetudinem*: ſi aliquando viguit ejus obſervantia, & poſtea vigere deſiit, ceſſavit per *conſuetudinem*: plus tamen temporis requiritur ad conſuetudinem, quam ad deſuetudinem legi contrariam.

Objic. Suavior eſt modus regendi populum, ſi ad inducendam vim obligandi legum requiratur conſenſus & acceptatio populi: ergo dicendum, quod populus ſub conditione ſui conſenſus tranſtulerit poteſtatem legislativam in Principes, & Magiſtratus. R. Non tam attendi debet, quis modus regendi ſit ſuavior; quam qui ſit efficacior, & bono communi utilior: ſed longe efficacior, & utilior modus regendi eſt, ſi populus, ex quo longe plures averſari ſolent leges etiam utiliſſimas reipublicæ, in leges conſtituendas conſentire non debeat, ſed latas a Principibus recipere: unde ſub conditione ſui conſenſus prudenter non potuit transferre ſuam poteſtatem legislativam in Principes: certe de tali conditione non fit mentio in *l.* 1. *cit.* & §. 6. *Inſt. de I. N. C.* & *C.* ubi populus ſuam poteſtatem in Principes ſæculares tranſtuliſſe refertur.

11 Dico 8. Cauſa finalis legis eſt bonum commune, ſeu utilitas publica, quam velut finem omnis lex ſpectare debet. Patet ex *can.* 2. *d.* 4. & definitione legis. Unde quando lex deſinit eſſe utilis communitati, ceſſat & ipſa.

§. II.

De cauſa efficiente, & effectu legis.

12 Sicut *cauſa efficiens* legis eſt legislator, ſeu ille, penes quem eſt condere leges, poteſtate gubernativa ſeu juriſdictione legislativa inſtructum in alios tamquam ſubditos, ſeu in integram communitatem perfectam; ita *effectus* præcipuus omnis legis eſt obligatio ſubditorum in conſcientia ſaltem ad aliquid *l.* 2. *ff. l.* 3. *C. de legib.* Vis obligandi ſub culpa vocatur *vis directiva* legis, & vis obligandi ad pœnam appellatur *vis coactiva*. Præter obligationem, quam lex inducit ad aliquid

quid faciendum vel omittendum, & ad pœnam ſubeundam, quam infligit lex *pęnalis*, datur adhuc ſubinde alius effectus, nempe irritatio ſeu nullitas actus, quam ſtatuit lex *irritans*. De his omnibus modo agendum.

13 Dico 1. Leges eccleſiaſticas univerſales, quibus obligentur omnes Chriſtiani per totum mundum, ferre poteſt Papa, & quidem ſolus. Prob. quia Summus Pont. eſt ſucceſſor S. Petri, cui Chriſtus ipſe, & quidem ſoli independenter a reliquis Apoſtolis, licet præſentibus, dedit univerſalem poteſtatem gubernandi totam Eccleſiam, adeoque juriſdictionem in omnes Eccleſiam ingreſſos per Baptiſmum, Catholicos & Hæreticos, ubicumque extiterint, per illa verba Matth. 16. *tibi dabo claves regni cœlorum, ſuper te ædificabo Eccleſiam meam, quodcumque ligaveris ſuper terram*, ſive legibus ſive alio vinculo. Item *Jo*: 21. *paſce oves meas*, illimitate omnes.

14 Dico 2. Leges Eccleſiaſticas particulares pro ſuis Eccleſiis, provinciis, Diœceſibus, & diſtrictibus ſuæ curæ paſtorali commiſſis condere poſſunt. 1. Cardinales. 2. Legati Sedis Apoſtolicæ. 3. Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi. 4. Abbates & Prælati alii juriſdictionem quaſi Epiſcopalem obtinentes. Sumuntur hæc ex *c*. 2. 11. *de majorit. c. fin. de offic. legat. c*. 2. *h. t. in* 6. *cum can*. 4. *ſeqq. cauſ*. 9. *q*. 3. *& c*. 6. *de ſtatu Monachor*. Idem conceſſum eſt Conciliis particularibus, *can*. 6. *d*. 18. Capitulo Cathedrali Sede Epiſcopali vacante, *c*. 11. 14. *de majorit*. & communitatibus Religioſis, ſive per ſolum caput, ſive per membra in capitulo vel congregatione capiti unita. Innoc. *in c*. 7. *de ſtatu Monach*. quia nempe his omnibus competit juriſdictio & poteſtas gubernativa alicujus communitatis. Limitatur tamen horum omnium poteſtas 1. quod nequeant

queant ſtatuta vel leges facere juri communi Pontificio contrarias, aut ſtatutis a Pontifice confirmatis adverſantes; cum inferior ſecundum *Clem.* 2. *de elect. pr.* nequeat immutare legem Superioris. 2. Quod eorum poteſtas ſe non extendat ad res gravioris momenti, utpote quæ Summo Pontifici in ſignum ſupremæ poteſtatis reſervantur, vel propter arduitatem ſublimius tribunal requirunt, per plures *can.* 6. 18. *d. majores de Baptiſ. c.* 1. *de translat. Epiſ. c. fin. de Offic. Vicar. in* 6. cujuſmodi cauſæ ſunt, quæ pertinent ad declarationem articulorum fidei, vel ad ſtatum univerſalis Eccleſiæ, ad canonizationem Sanctorum, ad uniendos vel dividendos Epiſcopatus, ad translationem Epiſcoporum, ad matrimonii impedimenta dirimentia &c.

15. Dico 3. Leges civiles univerſales, ſeu totum Imperium Romanum obligantes, ferre poteſt Imperator vel ſolus, ut olim *l.* 1. *& ult. C. de legib.* vel cum conſenſu Statuum Imperii, ut hodie; cum ipſi ſucceſſu temporis ita reſtricta ſit poteſtas legislativa ab Imperii Principibus & Statibus partim in *Imperii Receſſibus*, partim in *Capitulationibus*, ut vocant, ſeu pactis publicis cum eligendo in Imperatorem iniri ſolet. Cum enim Imperatores initio a populo, poſtea a Proceribus Imperii ſuam poteſtatem obtinuerint, ac obtineant, ab his limitari & reſtringi poteſt: non vero poteſtas Pontificis, utpote qui non a populo fideli, vel ab Epiſcopis eam accepit, ſed immediate a Chriſto Domino. Eamdem cum Imperatore poteſtatem ferendi leges obtinent Reges, Principes, & optimates Reipublicæ, ſuperiorem in temporalibus non agnoſcentes, pro ſuis regnis & provinciis ſibi ſubjectis, per *l.* 9. *ff. de J. & J.*

16. Dico 4. Leges civiles particulares, ſeu ſtatuta

cuta localia, pro ſuis territoriis condere poſſunt Principes & Status Imperii, tam eccleſiaſtici quam ſæculares, uti Electores, Epiſcopi, Principes, Civitates liberæ & Status immediati Imperii; & quidem etiam juri communi contraria. Sumitur ex *l. 9. cit.* ibi: *quod quiſque populus ipſe ſibi jus conſtituit, id ipſius proprium civitatis eſt.* Suffragatur praxis & conſuetudo, in qua fundatur illud vulgatum: *quivis Imperii Status tantum poteſt in ſuo territorio, quantum Imperator in Imperio*, exceptis tamen iis, quæ Imperatori in ſignum eminentiæ ſpecialiter ſunt reſervata. Ergo, inferes, potuerunt etiam Epiſcopi ferre leges juri communi Pontificio adverſantes. R. non ſequitur, quia jus canonicum id non concedit inferioribus Prælatis & Epiſcopis, bene tamen jus civile Statibus Imperii. *Urgebis:* per conſuetudinem poteſt derogari juri communi eccleſiaſtico in loco particulari: ergo etiam per Epiſcopum talis loci. R. *n. conſ.* Quia conſuetudo rationabilis fulcitur conſenſu ſaltem legali Papæ *c. fin. de conſuet.* ſtatutum vero Epiſcopi non fulcitur tali conſenſu Papæ, imo reprobatur expreſſe *Clem. 2. de elect.*

17 Dico 5. Nec Imperator, vel ullus Princeps ſæcularis, ferre poteſt leges concernentes Eccleſiam, rem ſacram vel ſpiritualem, cauſas pias, aut perſonas eccleſiaſticas, præſertim ſi his oneroſæ ſint. 2. Nec Summus Pontifex (minus inferior illo Prælatus eccleſiaſticus) per ſe & directe leges circa res temporales & perſonas ſæculares extra ſuum territorium temporale. Pars prior conſtat tuum ex *c. 7. 10. h. t. c. 49 de ſent. excomm. Bullæ Cœnæ caſu* 18. Suffragatur, & id agnoſcit etiam jus civile in *Auth. Caſſa C. de SS. Eccleſ.* tum ex defectu juriſdictionis in Eccleſiam, res ſacras, & perſonas eccleſiaſticas, utpote jure tam divino quam eccleſiaſtico exemptas a juriſdictione Lai-

cali Trid. *ſeſſ.* 25. *c* 20. *de ref.* Hinc Principes laici non poſſunt eccleſiaſticis perſonis imponere collectas, angarias, vectigalia &c. auferre jus hæreditariæ ſucceſſionis, auferre poteſtatem emendi bona immobilia a ſæcularibus, aut his prohibere, ne ea illis vendant &c. Si dicas, rationem & bonum publicum exigere tales leges, præſertim ne bona immobilia veniant ad manus mortuas, & ſic nervus fere omnis & optimus ſubtrahatur Reipublicæ politicæ; repono, ſi ita ſe res haberet, & vere tales circumſtantiæ adeſſent, recurrendum foret ad Summum Pontificem, qui re ad ſe delata, & juſtitia legis cognita, facile in illam conſentiet: & tunc laici obtinebunt finem ſuum licite ac valide. Neque tantum periculi verſatur in eo, quod bona immobilia ad Eccleſias vel perſonas eccleſiaſticas deveniant, uti paſſim clamatur; quia non permittuntur tranſire ad illas ſine priſtino onere concurrendi ad neceſſitates Reipub. politicæ. Accedit, quod teſte experientia tantundem, vel plus bonorum temporalium a perſonis eccleſiaſticis, præſertim ad Epiſcopatum evectis &c. perveniat ad Laicos, præſertim nobiles familias, quam ab his ad illas: ut nihil dicam de pauperibus. Pars poſterior ſumitur *ex can.* 8. *d.* 10. ubi Nicolaus I. aſſerit, Chriſtum eccleſiaſticæ & politicæ poteſtatis officia diſcreviſſe, nec Pontificem ſæcularibus ſe debere negotiis immiſcere, & ex *can.* 6. *d.* 96. ibi: *cum ad verum ventum eſt, ultra ſibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium uſurpavit.* Ratio, quia nec Chriſtus, nec Principes ſæculares poteſtatem ferendi leges circa res & perſonas ſæculares Pontifici extra ſuum territorium unquam tribuiſſe leguntur. Addidi tamen, *per ſe & directe;* nam per accidens & indirecte competit Papæ leges Imperatorum &

Re-

Regum iniquas, libertati Eccleſiaſticæ præjudicioſas, & peccatum foventes, corrigere.

18 Dico 6. Legislator humanus, civilis æque ac eccleſiaſticus, per leges ſuas obligare poteſt ſubditos ſub peccato in conſcientia coram Deo. Ita Catholici omnes contra modernos hæreticos libertatis, ut jactant, evangelicæ aſſertores, ut nempe jugum Summi Pontificis excutiant, ejuſque legibus ſe liberent. Ratio eſt clara, quia legislator humanus quilibet agit vices Dei. *Proverb*. 8. *Luc*. 10. *Matth*. 18. *Non enim eſt poteſtas, niſi a Deo*. *Rom*. 13. ergo legislator humanus quilibet fert leges nomine & auctoritate Dei, & qui his legibus non paret, mediate agit contra legem Dei, & juris naturalis, præcipientis, ut ſuperiori juſte imperanti pareatur: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Poteſtas enim Dei miniſter eſt* ∴ *ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam:* verba & mandata ſunt D. Pauli *Rom*. 13. Idem jubet D. Pet. *Ep*. 1. *c*. 2. *ſubjecti igitur eſtote propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum; quia ſic eſt voluntas Dei*. Quis igitur dubitet de doctrina Fidei Chriſtianæ tam pathetice in SS. Litteris expreſſæ, quod ſit obligatio in conſcientia & ſub peccato coram Deo parendi legislatoribus humanis, tam ſæcularibus quam eccleſiaſticis, juſte ac juſta præcipientibus? ergo & penes hos eſt poteſtas ſic obligandi.

Obji. Peccatum in conſcientia conſiſtit in actu voluntatis mere interno: ſed juxta nos legislator humanus non poteſt, ſaltem directe, præcipere actum mere internum: ergo. R. Syllogiſmus tam eſt vitioſus, quam non ad rem; ſi enim velis inferre

ſe legitimam concluſionem, debet eſſe hæc: ergo Legiſlator humanus non poteſt præcipere peccatum in conſcientia; quod quidem eſt veriſſimum; at non ad intentum tuum, aut contra nos. *In forma* negatur ſuppoſitum *Minoris*, quod Legiſlator humanus obligando in conſcientia directe præcipiat actum mere internum; præcipiendo enim actum externum hoc ipſo obligat in conſcientia ad ponendum actum externum, non multum ſollicitus, qua mentis interna diſpoſitione ſubditus ponat vel non ponat actum externum.

19 Dico 7. Omnis lex, etiam humana, neceſſario obligat in conſcientia, ſaltem aliquid. Suar. *de legib. l.3. c.22.* Glettle *in ſelect. qq. p.1. q.3. n.4.* Gibal. Palao &c. Ratio; quia lex eſſentialiter differt a conſilio per hoc, quod obliget ad aliquid, non vero conſilium, uti fatentur omnes: ſi autem obliget, hoc ipſo obligat in conſcientia & coram Deo; quia jus divinum & naturale, quæ utique obligant in conſcientia & coram Deo præcipiunt, ut obediatur legitimo Superiori aliquid juſte præcipienti vel prohibenti per legem ſuam, ut vidimus in aſſertione præcedente. Confirmatur. Si aliqua lex non obligaret in conſcientia, ea eſſet vel lex pure pœnalis, vel lex irritans ſeu valorem auferens actui, v. g. Teſtamento non ſecundum ordinationem Legiſlatoris facto, vel fundata in falſa præſumptione. Sed & iſtæ leges obligant in conſcientia, ſaltem ad aliquid, & quidem 1. *Lex pure pœnalis*, quia licet non obliget ad actum, vel omiſſionem, v. g. venationis, directe intentam, obligat tamen in conſcientia ad pœnam ſubeundam, ſi delinquenti imponatur propter culpam juridicam; imo & judicem inferiorem obligat in conſcientia ut pœnam a lege determinatam infligat. Dixi, *pure pœnalis*, quæ nimirum præciſe ſtatuit pœnam, & nihil prohibet, vel

vel præcipit, ut ſi ſic ſonet: *qui exportaverit frumentum ex provincia, 50. florenis mulctabitur:* vel ſi conſuetudo aut communis ſenſus declaret legem, quod præciſe ad pęnam obliget; ſi vero ſit pœnalis miſta, ſeu præter pœnam ſtatutam aliquid prohibeat vel præcipiat, ut ſi dicat: *nemo exportet frumentum, & qui exportaverit, ſolvet mulctam 50. florenorum*: per ſe obligat in conſcientia ad utrumq; & ad non exportandum, & ad pœnam, ſi quis exportaverit, & condemnatus fuerit; niſi nempe lex pœnalis fuerit miſta disjunctive hoc modo tendens: *vel nemo exportet, vel ſi exportaverit, 50. ſolvet*; tunc enim ad ſolam pœnam obligaret in conſcientia. 2. *Lex irritans*, licet non obliget ad certas ſolemnitates, ſine quibus voluit actum, v. g. teſtamentum eſſe nullum & irritum, adhibendas, obligat tamen in conſcientia, ut actum ſine requiſitis ſolemnitatibus nulliter generens eum non defendat ut validum, & ut Judex ei vires non tribuat. 3. *Lex fundata in falſa præſumptione* obligat tamdiu, quamdiu manet lex, nam poteſt lex fundari in præſumptione dupliciter. 1. In præſumptione *univerſalis periculi*, v. g. fraudum, peccatorum, incommodorum &c. uti lex requirens ad valorem matrimonii præſentiam parochi & 2. vel 3. teſtium, item lex requirens 7. teſtes ad valorem teſtamenti. 2. In præſumptione *particularis facti*, qualitatis, culpæ, negligentię &c. uti lex pręcipiens redditionem debiti conjugalis poſt contractum matrimonium. In priori caſu, licet in caſu particulari periculum fraudis, vel peccati &c. non ſubeſſet, & eatenus præſumptio reſpectu alicujus in particulari eſſet falſa, nihilominus maneret adhuc lex generaliter præſumens periculum (quod generaliter datur vere, & eatenus pręſumptio non eſt falſa) conſequenter obligaret etiam in caſu particulari,

im

in quo periculum non datur per accidens. In poſteriori autem, quando id, quod lex præſumit, in caſu particulari non datur, non amplius manet lex, & ideo nec obligat, & hinc, ſi poſt contractum matrimonium putatitia conjux reſciat impedimentum dirimens matrimonii, v. g. affinitatis, non tenetur parere legi eccleſiaſticæ etiam ſub excommunicatione præcipienti redditionem debiti conjugalis, imo non poteſt: quia matrimonium, quod præſumit lex validum in hoc particulari caſu, revera non eſt validum. Sic ſententia Judicis te condemnantis ad ſolvendum, quod ſcis te non debere, te non obligat in conſcientia; quia fundatur in præſumptione falſa particularis debiti.

Obji. Obligatio legis totaliter pendet a voluntate legiſlatoris, obligare intendentis: ergo in ejus arbitrio eſt obligare, vel non: ergo poteſt dari lex, quæ in conſcientia non obliget. R. Pendet quoad exiſtentiam, h. e. legiſlator poteſt ferre vel non ferre legem, & ſic obligare vel non obligare. *C. ant.* quoad eſſentiam, itaut poſita ſemel lex obliget in conſcientia vel non *n. ant.* & ultimam *conſ.* Id etiam concedo, in arbitrio legiſlatoris humani eſſe, ut in re gravi obliget ſub peccato levi; quamvis non viciſſim, ut in re levi obliget ſub gravi, ut docet communis.

20 Dico 8. Lex irritans actum contra legem celebratum reddit irritum, ſeu nullum, aut invalidum, 2. & quidem *ipſo jure*, ſeu *ipſo facto*, h. e. ante miniſterium & ſententiam Judicis, ſi vel directe irritet actum per verba nullitatem vel irritationem importantia, qualia ſunt: *irritus ſit: non valeat: robur non habeat: pro infecto habeatur: nullam obligationem inducat: teneatur acceptum reſtituere in conſcientia &c.* vel ſi indirecte nullitatem talem ſtatuat inhabilitando perſonas ad gerendum

actum,

actum, aut ſolemnitatem per modum formæ ſubſtantialis, aut aliquid per modum *conditionis ſine qua non* requirendo. 3. Non autem ipſo jure, vel facto, ſi requirat ad nullitatem inducendam miniſterium Judicis, vel declarantis, actum eſſe nulliter geſtum, ſine qua declaratione non vult actum haberi pro nullo, vel per ſententiam reſcindentis, ut ſi dicat: *irritetur: annulletur: reſcindatur: pronuntietur nullus &c.* Idem contingit, quando lex irritat pœnaliter, ſeu in pœnam principaliter, licet utatur verbis directe nullitatem ipſo jure incurſam denotantibus; quia pœna regulariter non incurritur ſine ſententia judicis, uti nec ab ignorantibus, pœnam ſtatutam eſſe. 4. Si legislator irritet actum principaliter in pęnam delicti, vocatur & eſt *irritatio pœnalis*, uti juxta me eſt irritatio matrimonii propter impedimentum criminis, utpote principaliter in pęnam introductum: ſi vero principaliter propter bonum commune, vel certarum perſonarum, vocatur & eſt irritatio *non pœnalis*, ac incurritur etiam ab ignorantibus legem. Ratio horum omnium patet ex intelligentia terminorum, & modo loquendi apud Auctores uſitato.

21 Dico 9. Lex ſimpliciter prohibens aliquem actum, & non addens clauſulam irritantem, nec perſonas reddens ad agendum inhabiles, actum non facit irritum, ſed ſolum illicitum. Ita cum pleriſque Theologis & Canoniſtis, Felino, Innoc. & Suar. *l. 5. de legib. c. 25. n. 169.* ubi hanc ſententiam putat communiter eſſe receptam, contra Baldum & Legiſtas innumeros, contra Panorm. P. Kon. & alios Canoniſtas; quorum tamen non pauci nobiſcum ſentiunt quoad leges juris canonici, licet diſſentiant quoad leges juris civilis; quod diſcrimen omnino conſideratione dignum eſſe patebit ex ſequentibus. De jure canoni-

nonico non magna eſt difficultas, utpote in quo generalis regula in *c. 16. de regular.* traditur hæc: *multa fieri prohibentur, quæ, ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*: ergo tamdiu pro validis habenda ſunt omnia, quæ de jure canonico prohibentur, quamdiu non oſtenditur, expreſſe vel tacite, irritationem eſſe adjectam prohibitioni, ut patet etiam ex variis exemplis: ſic matrimonium clandeſtinum olim in *c. fin. de cland. deſp.* fuit quidem prohibitum, at non irritum: ſic hodie contractum cum voto ſimplici caſtitatis, aut alio impedimento impediente, eſt quidem prohibitum, at non irritum: ſic ſuſceptio Ordinum Sacrorum multis, imo omnibus irregularibus eſt prohibita, non tamen invalida &c. Accedit ratio efficax: *prohibere* actum, & *irritare* actum, ſunt effectus valde diverſi, & ſeparabiles, ſicut actum eſſe *illicitum*, & eſſe *invalidum* ſunt prorſus diverſa, ut patet in allatis exemplis: ergo lex ſimpliciter *prohibens* ſiſtendo in verbis mere prohibitoriis non eſt hoc ipſo *irritans*. Confirm. irritatio omnis eſt odioſa, & repugnans naturæ actus, utpote qui de jure naturæ eſt validus: ergo verbum *prohibendi* non debet extendi ad effectum *irritandi*, quem ex ſe non ſignificat, per *c. 15. de R. J. in 6.* præſertim cum *in obſcuris minimum ſit ſequendum c. 30. eod.* Interim tamen

Obji. 1. Et opponitur reg. 64. *eod. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*: ergo de jure canonico generaliter ſunt irrita, quæcumque ſunt prohibita. 2. Lex naturalis prohibendo actum facit illum irritum: ergo & lex poſitiva. R. Ad 1. ut concordentur jura, & ſalvetur allata ratio pro noſtra aſſertione ſatis evidens, *diſt. ant.* quæ contra jus irritans fiunt. *C. ant.* quæ ſolum contra jus prohibens. *N. ant.* Imo & hæc pro *infectis* habentur, h. e. pro infirmis, ita ut judex

judex talem actum poſſit ac debeat diſſolvere & reſcindere, adeoque facere, quaſi factus non fuiſſet, & vires poſt reſciſſionem nullas habeat amplius. Dices: Matrimonium & Ordines ſacri, contra legem prohibentem ſuſcepti, non poſſunt reſcindi, & in dicto ſenſu pro infectis aut non ſuſceptis haberi. Repono: poſſunt diſſolvi aut reſcindi ſecundum quid a judice eccleſiaſtico, nempe conjuges ſeparando ad tempus, ordinatos ſuſpendendo ab exercitio Ordinis. Ad 2. N. *ant.* nam jus naturale generaliter non irritat actum, quem prohibet, ſed, ut docet Suar. & Sanch. tantum in duobus caſibus irritat. 1. quando actus fit ab eo, qui caret poteſtate eum celebrandi, ut ſi quis donet rem non ſuam. 2. quando actus perpetuam continet malitiam, & ipſa etiam executio turpitudinem, ut ſi quis paciſcatur de fornicatione committenda, de uſuris illicitis accipiendis; nam ad illicitum non poteſt dari obligatio, & talium uſurarum acceptio, imo & retentio perſeverat eſſe illicita.

22 Quæres, an idem procedat etiam de jure civili? R. De hoc major eſt difficultas; quia ibi reperitur unus & alter textus, qui per modum regulæ generalis videntur ſtatuere, omnia, quæ prohibentur a legibus civilibus, hoc ipſo eſſe irrita; niſi nempe ex verbis legum, vel aliunde colligi poſſit, quod ſtent in ſola prohibitione, uti v.g. contingit in *l.* 1. §. *biduum ff. quando appellandum*, ubi ſententia ſub conditione ferri prohibetur, ſic tamen lata valet; & in *l.* 15. *ff. de R.V.* ubi prohibetur res vendita iterum vendi alteri, venditio tamen altera, ſi accedat traditio, valet ac tenet. Generaliter autem jus civile videtur ſtatuere claris verbis oppoſitum; ſiquidem in *l. non dubium* 5. *C. de legib.* ſic ait: *nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contra-*

ctum

ctum inter eos videri volumus ſecutum, qui contrahunt lege contra prohibente, ... ut ea, quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolum inutilia, ſed etiam pro infectis habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere, quod factum eſt &c. Concordat *l.6. C.de pactis*, ibi: *pacta, quæ contra leges conſtitutioneſque fiunt, nullam vim habere, indubitati juris eſt*. Hæc juris civilis tam clara diſpoſitio cogit me, ut cum Suar. *l.5.c.28.n.9. de legib.* & Laym. *c.1.6. de legib. n.3.6.* loqui, & limitare cogar traditam ſuperius doctrinam. Dico proin: lex prohibens actum de jure civili eumdem non hoc ipſo irritat *cum effectu* in foro etiam externo, antequam a judice declaretur aut judicetur irritus actus. Ratio ſic interpretandi allegatos textus eſt 1. quod *l. non dubium cit.* non dicat, actum abſolute eſſe nullum, ſed *nullum videri volumus*, h.e. declarari, judicari nullum, 2. quod dicat, *pro infectis habeantur* (*nullam vim habeant*, ut ait *l.6.cit.*) nempe in Judicio juxta *can.10.d.10.* ibi: *quod contra leges accipitur, per leges diſſolvi meretur*. 3. Quod interſerat, *nec pœnas inſertas legibus evitabit*: ergo de irritatione pœnali, quæ ante ſententiam non incurritur, intelligenda eſt. 4. Quod hoc modo jus civile aliqualiter concilietur cum jure canonico, ſecundum quod lex prohibens non eſt hoc ipſo irritans, ut ſatis clare oſtendimus: debet autem fieri conciliatio jurium, quantum poteſt, ac ſpecialiter in hac materia ideo, quod 5. plane ſint prorſus diverſa *prohibere, & irritare actum*: ſi ergo propter dictas leges abſolute negari non poſſe videatur, actum contra leges factum de jure civili eſſe irritum, ſaltem limitandum eſt jus civile in tantum, ut non cenſeatur per prohibitionem actus illum irritare in effectu, antequam Judex declaret nullum: quæ tamen declaratio id

habet

habet ſingulare a ſententia Judicis reſciſſoria actus prohibiti, quod illa declaratio retrotrahat nullitatem ad tempus, quo celebratus eſt actus, ita ut retro etiam habeatur pro nulliter geſto: ſententia reſciſſoria autem nullitatem inducat, & vim actui auferat a tempore, quo per Judicem reſciſſus eſt. Denique cum aliis forte etiam reſponderi ad dictas leges poſſet, de jure civili actus prohibitos eſſe quidem irritos in tantum, ut non pariant actionem civilem efficacem, non tamen eſſe ita irritos, ut non ſubſiſtant, & obligationem naturalem non pariant.

23 Dico 10. Lex ſimpliciter irritans actum non hoc ipſo irritat pro foro interno, niſi addat clauſulam, ex qua colligi poſſit, quod etiam irritet pro foro interno, & obligationem in conſcientia tollat: vel niſi Judicis ſententia declaraverit nullitatem actus. Abb. Innoc. Fel. Vvading. Molin. Sichard. Clarus, Suar. Leſſ. Mantic. Fachin. P. Vvieſtn. *ad tit. de Elect. an.* 191. ubi adhuc alios allegat Laym. *l. c. nu.* 9. contra Vaſq. Bonac. Dian. Dicaſt. Azor. Cov. Menoch. Arnold. Rath, Engel, & recentiores Juriſconſultos paſſim. Probat. 1. Irritatio pro foro interno & externo ſimul eſt effectus diverſus & ſeparabilis ab irritatione pro foro externo tantum, uti eſt innegabile: ergo lex ſimpliciter irritans: & nihil dicens de irritatione pro foro interno, pro hoc foro non irritat, partim quia lex irritans actum ipſo jure recedit a jure naturali, quo ſolo ſpectato actus foret validus pro utroque foro: ergo eſt odioſa & ſtrictæ interpretationis, adeoque non extendenda ad forum internum: partim quia *in obſcuris minimum eſt ſequendum*, *c.* 30. *de R. J. in 6.* h. e. quod minus obligat vel gravat: partim quia ſæpe ad obtinendum finem legis ſufficit, modo actus pro foro externo ſit irritatus; tunc enim Judex jam te-

netur

netur eum pronuntiare nullum, eique omnem vim auferre, poſt quam ſententiam declaratoriam fateor naſci obligationem in foro etiam interno parendi. Prob. 2. Aliquæ leges, præſertim juris canonici, quando irritant actum, ſubinde addunt clauſulam, qua inſinuant irritationem etiam pro foro interno, v. g. dicendo: *etiam in foro animæ non ſuffragetur: quod obtentum eſt, non valeat retineri: viribus careat abſque omni alia declaratione &c.* ergo. Ubi ſimilis clauſula non reperitur, recte cenſetur legislator non irritare pro foro interno.

Obji. 1. Lex juſta pro foro externo, eſt etiam juſta pro interno, ut habet receptum axioma: ergo etiam lex irritans pro foro externo eſt etiam irritans pro interno. 2. Lex irritans actum aufert ipſi valorem, conſequenter omnem obligationem, etiam naturalem: ergo talis actus nec in foro conſcientiæ obligat. 3. Lex irritans actum reddit homines inhabiles ad illum ponendum: ſed actus geſtus ab inhabili, & poteſtatem gerendi non habente, idem eſt, ac actus omnino non geſtus: ergo. R. ad 1. *c. ant. n. conſ.* & paritatem; quia non poteſt dari lex juſta, quæ non pariat obligationem in conſcientia ſaltem ad aliquid, ad quod nempe obligare intendit, adeoque ſenſus eſt primæ propoſitionis: lex juſta pro foro externo obligat etiam pro foro interno, quod eſt verum: at irritatio pro foro externo tantum, dari poteſt abſque irritatione pro foro interno, ut nemo negat: ergo lex irritans ſimpliciter, vel pro foro externo, licet juſte, non hoc ipſo eſt irritans pro interno; quia ſunt effectus ſeparabiles. Ad 2. *diſt. ant.* aufert omnem obligationem, etiam naturalem, ſi lex irritet, vel valorem actui auferat pro utroque foro per clauſulam id denotantem, vel ſi irritet actum ex natura ſua irreſcindibilem, uti

eſt

eſt matrimonium, & profeſſio religioſa, *c. ant.* Si tantum ſimpliciter irritet, & actus ex ſe ſit reſcindibilis, *n. ant. & C.* Ad 3. *diſt. ma.* reddit homines inhabiles ad agendum, vel poteſtatem agendi adimit, quando id exprimit, uti exprimit Trident. Matrimonia clandeſtina irritans, *c. ma.* quando non exprimit, *n. ma.*

§. III.

De ſubjecto, interpretatione, & ceſſatione Legis.

24 *Subjectum* legis ſunt homines, rationis & doli capaces, ac Legislatoribus ſubditi, ut omnes fatentur. Unde infantes & amentes non obligantur legibus; nec eccleſiaſticis infideles, ſeu non baptizati, *c.* 8. *de divort.* uti Judæi, Gentiles, Turcæ, Pagani &c. *Interpretatio* legis eſt declaratio illius, quouſque nimirum ſe extendat. *Ceſſatio* legis autem datur, quando obligare deſinit, quod fit vel *irritatione*, quando ipſe Legislator ſtatim initio vult, ut neminem obligare incipiat: vel *abrogatione*, quando poſtquam obligare cœpit, totaliter omnem vim obligandi rurſus amittit, vel per revocationem Superioris expreſſam, aut per legem, conſuetudinemve ei contrariam: vel *derogatione*, quando lex uno ex dictis modis quoad aliquam partem tollitur: vel *ceſſatione partis conſtitutivæ* legis, ut ſi ceſſet finis totaliter, vel ejus materia reddatur impoſſibilis, inhoneſta &c. vel *privilegio*, quo unus vel plures eximuntur ab obſervatione legis ſtabiliter: vel *diſpenſatione*, qua unus vel plures eximuntur ab obſervatione non ſtabiliter, ſed plerumque quoad unum vel plures tantummodo actus. Hic de duplici tantum modo,

do,

do, quo ceſſat lex, nempe ratione finis ceſſantis, & diſpenſatione, quæ dicitur eſſe *relaxatio legis publica auctoritate facta pro aliquo particulari caſu vel perſona, manente interim aliorum obligatione*. Suar. *de legib. l.6. c.*10. agemus, uti & de *ignorantia*, ac *metu*, quibus per accidens aliqui excuſantur ab obſervatione legum alias obligati.

Dico 1. Legislator Princeps non obligatur legibus qua ſuis, licet ſæpe obligetur vel ex jure naturali, vel ex decentia. Prob. 1. ex *l.* 31. *ff. de LL.* ibi: *Princeps legibus ſolutus eſt*, & *l.*23. *ff. de Legat. III.* ibi: *decet enim tantæ Majeſtati eas ſervare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur.* Prob. 2. Obligatio legis humanæ tota pendet a juriſdictione & voluntate legislatoris: ſed iſte in ſe ipſum juriſdictionem non habet, nec efficaciter ſe poteſt velle obligare, quia ipſi liberum eſt ſemper pro libitu ſe eximere ab obligatione legis, a ſua voluntate penitus dependentis. Dixi 1. *qua ſuis*; ſi enim idem præcipiat jus divinum vel naturale, quod ipſe, utique obligatur, ſicut alii, obedire Deo & Naturæ. Dixi 2. *Licet ſæpe obligetur vel ex jure naturali*, v. g. ex juſtitia commutativa, uti adhibere ſolemnitates ad contractus, quos celebrat cum ſubditis, vel taxam mercibus a ſe præſcriptam obſervare, vel ratione ſcandali, cum exemplum Principis plurimum valeat in populo ad obſervantiam vel tranſgreſſionem legum. Dixi 3. *vel ex decentia*, ſeu æquitate naturali, quando nempe leges reſpiciunt materiam communem, & legislatori æque ac ſubditis convenientem. Atque in hoc ſenſu intelligenda eſt *l.* 4. *C. de LL. digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri*, & *can.* 2. *d.* 9. ubi affirmatur, *Principem legibus teneri ſuis*. Unde Pontifex non audiens Sacrum die feſto non quidem peccat contra legem

gem eccleſiaſticam, utpote ſuam, poteſt tamen peccare contra jus naturale ratione ſcandali, vel venialiter contra decentiam, & juſtitiam legalem, quæ obligat, ut caput ſe conformet corpori, & pars toti, *can.* 2. *d.* 8. Sic teſtamentum Principis abſque ſolemnitatibus a ſe præſcriptis conditum utique valeret, imo & licitum foret per ſe; licet per accidens forte fieri poſſet illicitum.

26 Dico 2. Pueri & puellæ ante 7. ætatis annum completum non obligantur legibus humanis ſub culpa, bene tamen poſt illum completum, licet non ſtatim ſub pœna ſaltem ordinaria, per ſe. Ita communis. Pars 1. fundatur in eo, quod ordinarie ante ætatis annum ſeptimum non cenſeantur capaces rationis & doli, leges autem humanæ non attendant ad ea, quæ Per accidens & raro contingunt: licet jus naturale & divinum obligent, quando citius per accidens adeſt uſus rationis ſufficiens. Pars 2. in eodem principio, quod poſt ſeptennium præſumatur adeſſe uſus rationis, & jura attendant ea, quæ communiter evenire ſolent. Pars 3. in *c.* 1. *&* 2. *de deliƐ. pueror.* ubi pœnis a jure humano decretis non ſubjiciuntur impuberes, imo de jure civili pœna ordinaria regulariter mitiganda eſt, quamdiu delinquunt minorennes *l.* 37. *ff. de minor.* Ebrii, & dormientes, item ignorantes legem, ea quidem obligantur, ſed per accidens excuſantur a peccato formali, ſi eam tranſgrediantur. Eodem modo infantes, & perpetuo amentes, licet non obligentur legibus humanis, comprehenduntur tamen ſub legibus divinis & naturalibus, quamvis per accidens excuſentur ab illis, ut agendo contra non peccent formaliter. Unde infertur, dictis perſonis apponere carnes in die jejunii non eſſe quidem illicitum, quia a legibus humanis non compre-

henduntur, non vero licitum eſſe eas concitare ad blaſphemias, actus laſcivos &c.

27 Dico 3. Peregrini (h. e. qui e loco Domicilii ſunt egreſſi, & alibi tranſeunt vel commorantur, non fixo ibidem domicilio vel quaſi domicilio) non obligantur legibus particularibus locorum, ubi tranſeunt vel morantur, ſaltem regulariter. Valde communis cum Sanch. & Laym. contra Navar. & Suar. alioſque. Ratio; quia peregrini & advenæ non ſubſunt juriſdictioni Magiſtratuum, in quorum territoriis exiſtunt. Unde ſi veneris ad locum ubi eſt feſtum particulare, quod in loco tui domicilii non celebratur, non teneris audire Sacrum per ſe. Dixi, *ſaltem regulariter*, nam obligari poſſunt per accidens. 1. Ratione ſcandali, quod forte darent in loco, ubi commorantur, ignorantibus ſuam exemptionem ab obſervatione legis. 2. Si in tali loco extent leges in ipſos peregrinos latæ; his enim ultro ſe ſubjicere cenſentur, qui talem locum adeunt; v. g. ad ſolvenda vectigalia &c. 3. Si in tali loco delinquant, vel celebrent contractus; tunc enim ſortiuntur forum, & fiunt ſubjecti ratione delicti, vel contractus. 4. Poſſunt in tali loco confiteri & ſic alienæ juriſdictioni, quam Parochus loci, vel alii Confeſſarii, ex tacito conſenſu proprii Paſtoris peregrinorum in hos obtinent delegatam in tali caſu, ſe ſubjicere.

Objic. illud axioma: *ſi fueris Romæ, Romano vivito more; ſi fueris alibi, vivito ſicut ibi*. Ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ait S. Aug. *can.* 11. *d.* 12. R. iſta dicta habent rationem conſilii propter convenientiam, non præcepti: vel intelligenda ſunt de caſu, quo quis jam eſt ſortitus domicilium, vel celebrat contractum, vel timor ſcandali &c. obſervan-

vantiam exigit. Poſſunt igitur peregrini ſentire commoda locorum, ubi exiſtunt, licet per ſe non teneantur ad onera legum; quia hæc Magiſtratus loci propter defectum juriſdictionis illis nequit imponere.

28 Dico 4. Iidem peregrini, ſeu forenſes, neque obligantur legibus ſui domicilii aut patriæ, ſi tales leges non obligent in loco, ubi morantur vel tranſeunt. Communis ex *c.* 2. *h. t. in* 6. ibi: *extra territorium jus dicenti impune non paretur*. Leges nimirum non obligant niſi ſubditos, &, quia reſpiciunt territorium, extra illud exiſtentes non amplius ſunt ſubditi, licet eſſent, ſi egreſſi non forent e territorio, ubi habent domicilium. *Domicilium* habere dicitur qui in aliquo loco habitare actualiter cœpit cum animo ibidem perpetuo manendi: *quaſi domicilium*, qui in loco habitare actualiter cœpit cum animo non perpetuo, ſed tantum per notabilem anni partem ibidem ſubſiſtendi, v.g. per dimidium, vel majus anni tempus, vel per plures annos: ſic ſtudioſi in Academiis, famuli, & milites præſidiarii in urbibus obtinent quaſi domicilium. Igitur ad utrumque obtinendum requiritur animus, & factum ſeu actualis habitatio cœpta, copulative. *Obji.* 1. Si peregrinus non obligatur legibus ſui domicilii, tunc veniens ad locum, ubi diſpenſatum eſt in eſu carnis tempore jejunii quadrageſimalis, poterit ibi veſci carnibus, licet in loco ſui domicilii vel quaſi non ſit diſpenſatum. 2. Quod talis etiam ex hoc loco fine; ut poſſit comedere carnes, in talem locum licite ingrediatur: ſed hæc ſunt abſurda, & in caſu ultimo etiam ageretur in fraudem legis: ergo. R. Ad utrumque negando, hæc eſſe abſurda: cur enim aliquis non poſſit uti privilegio & favore loci, ad quem defer-

 tur,

tur, cum leges ſui loci ultra territorium ſe non extendant, eumque non ligent? Dein in fraudem legis non agit, qui utitur jure ſuo: ſed qui egreditur in alium locum etiam ex dicto fine, utitur jure ſuo; quia egreſſus ex hoc fine ipſi nuſpiam reperitur eſſe prohibitus.

29 Dico 5. Neque vagi (qui nempe nullibi habent verum domicilium, vel quaſi domicilium, ut quidam nundinatores, & circumforanei) tenentur legibus particularibus locorum, ad quæ deveniunt. Ratio; quia ex nullo capite ſunt ſubjecti quoad has leges, æque parum ac peregrini. Diſſentit tamen forte communior Doctorum, qui ſic *objiciunt:* hoc modo vagi nullis omnino aſtringuntur legibus, ſed ſunt exleges, conſequenter non ſatis gubernantur ad ſuam ſalutem obtinendam. R. Id non ſequi; nam vagi baptizati ſaltem univerſalibus Eccleſiæ legibus aſtringuntur, alii autem (uti & baptizati) ſaltem obligantur legibus divinis & naturalibus, quæ ſufficiunt ad eos gubernandos, quantum requirit ſalus tum illorum, tum Reipublicæ. Adde, quod legibus particularibus ſubinde obligentur ratione ſcandali, ratione delicti, vel contractus, ſi ibi delinquant vel contrahant, item legibus, quæ ſunt latæ pro extraneis ad certum locum accedentibus.

30 Dico 6. Clerici obligantur vi directivâ iis legibus civilibus; quæ nec lædunt immunitatem eccleſiaſticam, nec dedecent eorum ſtatum, v. g. quæ formam præſcribunt contractibus, taxam ponunt mercibus, exportari prohibent frumenta &c. at non vi legum civilium, cum ab his exempti ſint exemptione & immunitate perſonali; ſed vel ex æquitate & decentia naturali, ut aliqui volunt cum Vaſquez, vel ex voluntate ſaltem tacita Summi Pontificis, quam vide-

videtur exigere æquitas naturalis, & Reipublicæ quies.

31 Dico 7. Lex odioſa ſtricte, favorabilis autem late eſt interpretanda, quantum patitur proprietas verborum. Communis ex regula juris 15. *de R. J. in 6.* ibi: *odia reſtringi, & favores convenit ampliari*. Sic in lege favorabili nomine *Civium* veniunt etiam Clerici, & nomine *Clericorum* etiam Epiſcopi; non item in odioſa. At quia in eadem lege ſæpe concurrunt odium & favor, uti quando in *can. ſi quis ſuadente* 17. *q.* 4. ſtatuitur excommunicatio tamquam pœna in percuſſores Clericorum, in quorum favorem lata eſt lex, difficultas eſt in diſcernendo, an lex pro odioſa vel favorabili habenda ſit. Juxta Covar. & alios lex *Odioſa* abſolute dicenda eſt, quæ ſecundum intentionem legiſlatoris principaliter ſpectat alicujus odium, ſecundario autem alterius favorem. *Favorabilis* viciſſim, quæ principaliter alicujus favorem, ſecundario alterius ſpectat odium. In dubio lex habenda eſt pro favorabili, quia de Principe potius beneficium, quam onus præſumendum eſt. Si vero odium & favor, quos continet eadem lex, ſeparari abinvicem poſſunt, tum, quatenus uni favet, favorabilis; quatenus alterum premit, odioſa dicenda eſt. Lex odioſa duas potiſſimum ſpecies ſub ſe continet, *pœnalem* & *irritantem*, de quibus dictum §. præcedente.

32 Dico 8. Verba legis accipienda ſunt in propria ſignificatione, communi uſu recepta, 2. præprimis autem juxta mentem legiſlatoris unde unde eluceſcentem, 3. atque ita, ut non deroget legi prius exiſtenti, ſi cum hac conciliari poſſit. Ita communis quoad omnia. Ratio regulæ primæ eſt, quia ex verbis in propria ſignificatione acceptis mens legiſlatoris optime

cognoſcitur; ſecundæ, quia mens legislatoris eſt anima & virtus legis: unde illud *can. humanæ aures 22. qu. 5. non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni*: quare non tam verba, quam voluntas legislatoris attendi debet: tertiæ, quia correctio juris & contrarietas omni modo evitanda eſt.

33 Dico 9. Per interpretationem poſſunt quidem & debent Judices in judicando extendere leges ad caſus vel perſonas, non expreſſas, ob paritatem vel ſimilitudinem rationis, 2. non tamen privati homines regulariter in ordine ad aſſerendam obligationem in foro conſcientiæ, 3. licet generaliter ab omnibus poſſit lex extendi ad caſus ſimiles vel etiam majores propter identitatem rationis, modo late & aliquo ſaltem modo ſignificentur per verba legis, præſertim, ſi verba legis ſunt generalia: vel materia favorabilis: vel cogit evitatio abſurditatis, quæ ſequeretur, niſi fieret extenſio: in correlativis; quod enim de uno correlativo eſt diſpoſitum, cenſetur etiam diſpoſitum de altero: in æquiparatis a jure: in connexis: in ſubordinatis, quando nempe unum ſe habet ut pars, alterum ut totum, unum ut continens, alterum ut contentum &c. Pars 1. ſumitur ex *l.* 10. 12. 13. *ff. de LL.* ubi redditur hæc ratio, quia non poſſunt omnes caſus & cauſæ ſingulatim exprimi in legibus: cum ergo Judices debeant omnes caſus & cauſas decidere, debent a caſu ſimili, qui exprimitur a jure, vel a paritate rationis juvari, proin extendere legem poſſunt, vel, ubi aliunde non habent ſufficiens fundamentum decidendi, debent: unde axioma: *caſus ſimilis expreſſo a lege non cenſetur omiſſus*. Pars 2. colligitur tum inde, quod *ratio legis non ſit lex*, ut habet commune effatum, tum ex eo, quod

penes

penes privatos homines non ſit illa neceſſitas, quæ apud Judices, legem extendi ad caſus ſimiles. Pars 3. ex *l. 9. §. 2. ff. de Edendo*, & *l. 32. ff. ad l. Aquil.* ex quibus deduxerunt DD. hanc regulam: *ubi eſt eadem ratio, ibi debet eſſe eadem juris diſpoſitio* (exceptis tamen legibus odioſis & pœnalibus, ubi etiam propter identitatem vel etiam majoritatem rationis non eſt facienda extenſio) quia, ubi eadem prorſus ratio reperitur in aliis quoque caſibus & perſonis ſimilibus, perſona vel caſus, in lege poſitus, cenſetur poni potius per modum exempli, quam reſtrictionis ad hanc perſonam vel caſum dumtaxat. Ceterum in caſibus, ubi reperitur correlatio, vel connexio tanta, ut unum reperiatur in altero tamquam pars in toto, aut contentum in continente, tamquam minus in majore, vel ubi ſequitur abſurdum, ſi non fiat extenſio legis, etiam leges *odioſæ* per interpretationem extendendæ ſunt. Sicut autem dantur cauſæ extendendi legem, ut vidimus, ita dantur cauſæ eam reſtringendi, nempe 1. ſi lex eſt odioſa vel pœnalis, 2. ſi ſpecialis ratio inſinuata in lege non reperiatur in aliis caſibus & perſonis, ſed tantum in expreſſis a jure, 3. evitatio abſurditatis ſecuturæ, niſi lex reſtringeretur, 4. ceſſatio cauſæ adæquatæ, quam ſpectabat legiſlator.

34 Dico 10. Per epijkiam (quæ eſt ſpecies interpretationis, *æquitas* latine dicta, magis mentem quam verba legiſlatoris attendens, & indicans, credibile non eſſe, quod legiſlator in his circumſtantiis, obligare velit, licet caſus in verbis legis alias comprehendatur) licet a quolibet reſtringitur lex omnis (excepta irritante) modo adſit juſta cauſa credendi, mentem legiſlatoris non fuiſſe in & pro his circumſtantiis

obligare. Sumitur ex *l.* 8. *C. de Judic.* ibi: *Placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ, æquitatiſque, quam ſtricti juris, rationem,* & *l.* 90. *ff. de R. J* ibi: *in omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas ſpectanda eſt.* Sic monialibus clauſuræ adſtrictis per epijkiam licitum eſt egredi in caſu incendii, hoſtilis incurſionis &c. fugere, alias enim lex clauſuræ evaderet nimis dura. Ratio aſſertionis eſt; quia legislator non potuit omnes circumſtantias & eventus prævidere aut exprimere in lege, ſed debuit particulares caſus prudentum judicio, ex æquo bono procedentium, relinquere.

35 Dico 11. Si interpretatio legis fit a legislatore, vel ejus Succeſſore aut Superiore, vocatur *authentica*, & habet vim legis, ſi rite promulgetur. Si inducta eſt per conſuetudinem vel uſum, dicitur *uſualis*, & optima legum dubiarum interpres, ac vim legis obtinet, ſi de ea ſatis conſtet. Si autem provenit a Doctoribus, vel Judicibus, vel etiam ab homine privato & docto in tali materia, appellatur *doctrinalis*, quæ legem non facit, quamvis eam ſequi liceat. Et de hac fere hucuſque ſermo fuit.

36 Dico 12. Lex ceſſat ceſſante fine intrinſeco & adæquato legis reſpectu communitatis. Plerique cum S. Thoma 1. 2. *qu.* 90. *art.* 2. Ratio petitur ex definitione legis, ex qua patet, quod eſſentialiter pro fine habeat bonum communitatis: ergo hoc ceſſante ceſſat aliquid eſſentiale legis: ergo & ipſa lex. Ex hoc capite ceſſarunt leges cæremoniales Veteris Teſtamenti. Si finis extrinſecus tantum legis ceſſaret, uti v. g. maceratio corporis reſpectu legis jejunii, non ceſſaret lex: & ſi finis partialis ſolum ceſſaret, nempe in uno vel altero articulo legis, non deſineret totaliter, ſed tantum quoad

illum

illum articulum; nam *utile per inutile non debet vitiari*, *c*. 37. *de R.J. in 6*. Demum ſi finis legis ſolum ceſſaret reſpectu unius tantum vel paucorum, maneret tamen reſpectu majoris partis communitatis. v. g. periculum rixarum, quod ſpectat lex prohibens noctu geſtari arma, pariter non ceſſaret.

37 Dico 13. Diſpenſare in lege poteſt, qui tulit, ejuſque Succeſſor: & in juriſdictione ſuperior. Clarent iſta per ſe. Non vero inferior in lege ſuperioris, niſi expreſſe vel tacite ipſi ſpecialiter ſit conceſſum. Communis contra Cov. & Sot. Conſtat ex *c*. 16. *de major*. & adhuc clarius ex *c*. 15. *de tempor. ord. & Clem*. 2. *de elect*. Expreſſe conceditur diſpenſandi poteſtas Epiſcopo tamquam *ordinario*, quando jus indefinite dicit *diſpenſari poſſe*, quia Papam poſſe, per ſe manifeſtum eſt: tamquam *delegato* Pontificis in Trident. *ſeſſ*.24 *c*.6. *de ref*. quoad irregularitates ex delicto occulto ortas. Tacite autem, quando in aliqua materia valde frequentes occurrunt caſus, in quibus opus eſt diſpenſatio, v. g. in jejuniis& feſtis, quia prudenter præſumitur de mente Pontificis, quod fidelibus non velit imponere tantum onus recurrendi toties ad ſe &c. *Obji*.commune axioma: *quilibet Epiſcopus poteſt in ſua diœceſi, quod Papa in tota Eccleſia*. R. poteſt ea, quæ ſunt præter jus commune & Leges Pontificias, non quæ contra: imo nec illa poteſt omnia, uti pro ſua diœceſi canonizare Sanctos, diſpenſare in matrimonio rato &c.

38 Dico 14. Sine juſta cauſa legislator ipſe in ſua lege diſpenſat quidem valide, 2. at non licite, 3. inferior autem in lege ſuperioris, in qua ipſi diſpenſare conceſſum, nec valide nec licite. Pars 1. videtur certa, ſi legislator ſciat, non adeſſe juſtam cauſam; quia lex pendet ab ejus voluntate, & hinc etiam totaliter abrogare

abſolute poteſt valide: ergo a fortiori diſpenſare cum uno vel altero. Pars 2. probatur tum ex Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. *de ref.* tum ex ratione, quia talis legislator imprudenter abutitur ſua poteſtate. Pars 3. ex hac ratione; quia inferior ſine juſta cauſa diſpenſans in lege Superioris tranſgreditur limites ſuæ poteſtatis, ſibi conceſſæ non ad temere, ſed ad prudenter diſpenſandum: ſed qui tranſgreditur limites poteſtatis ſuæ, agit invalide, *c.* 22. *de reſcr. l.* 5. *ff. mandati*. Ceterum ſi diſpenſans ex errore probabili putavit adeſſe juſtam cauſam, reipſa tamen non adfuit, cenſent plerique diſpenſationem valere. Sicut in dubio, an adſit juſta cauſa, ſuperior poteſt, &, ſic exigente ſuavi regimine Eccleſiæ, debet inclinare in partem benigniorem; alias enim, ſi de ſufficientia cauſæ certo conſtare deberet, anxii ſuperiores fere numquam auderent diſpenſare. Porro poteſtas diſpenſandi, præſertim ordinaria, vel univerſaliter delegata, amplæ interpretationis eſt, utpote favorabilis; cum ex una parte ſit neceſſaria bono communi, ex altera vero juri communi non repugnet. Licet econtra ipſæ diſpenſationes ſint ſtrictæ interpretationis, utpote exorbitantes a jure, ac odioſæ, atque ideo vocentur *vulnera legum*.

39 Dico 15. Ignorantia invincibilis humanæ legis, etiam manifeſtæ, excuſat tranſgredientem a culpa formali, & pœna pro foro interno, per *c.* 2. *h. t. in* 6. *& l. fin. ff. de decretis ab ordine faciendis*. Ratio, quia ignorantia tollit voluntarium, *cum nihil ſit volitum, niſi cognitum*: ſed, quod voluntarium non eſt, formaliter & coram Deo peccaminoſum non eſt: & ubi culpa non eſt, nec pœna locum habet, *c.* 23. *de R. J. in* 6. Dixi 1. *invincibilis*, ſeu inculpabilis, probabilis, quæ nimirum morali dili-

diligentia vinci non potuit vel deponi, ut ſi nihil tibi incidat, v.g. quod hodie lex jubeat obſervari jejunium, vel nullam apprehendiſti obligationem inquirendi, vel incidit quidem, ac poſt diligentem inquiſitionem tibi non innoteſcit. Si vero ſit *vincibilis* ſeu culpabilis, quæ nimirum deponi potuit, & debuit ob apprehenſam obligationem inquirendi veritatem, non excuſaris a culpa, & pœna pro foro interno; multo minus, ſi ignorantia fuit craſſa, ſupina, & valde culpabilis; licet pœnam pro foro externo etiam tali caſu non incurras, ſi lex, pœnam etiam ſecundario ſtatuens, utatur ſimilibus verbis: qui *ſcienter*, *temere*, *præſumptuoſe*, *contumaciter* hoc vel illud fecerit; ut alias ignorantia craſſa, ſupina, vincibilis pro foro ſaltem externo in jure æquiparetur ſcientiæ, & adhuc magis, ſi ſit affectata. Dixi 2. *etiam manifeſta*; quia coram Deo invincibilis *ingnorantia juris manifeſti*, ſeu legis certo exiſtentis, eſt abſque culpa. At pro foro externo ignorantia juris manifeſti ignorantem regulariter non excuſat a culpa juridica, uti nec a pœna; quia leges humanæ facta promulgatione, præſumuntur ſciri ab omnibus: ergo tamdiu habentur pro reis, qui illas tranſgrediuntur, donec probaverint ignorantiam inculpabilem; quod non facile fiet contra præſumptionem juris in contrarium; nam *regula eſt*, *juris ignorantiam cuique nocere*, *facti vero ignorantiam non nocere*, ait *l. regula §. ſed juris ff. de J. & F.J.* Nec permittitur legum ignorantia, *l. penult. C. eod.* Accedit praxis tribunalium. In quibuſdam tamen perſonis toleratur ignorantia juris, & ſcientia non præſumitur, ſi ſe ſciviſſe legem inficientur, quales ſunt minores 25. annis: milites: ruſtici: mulieres, ſaltem quando certant de damno vi-

tando: Et has perſonas excuſat ignorantia legis humanæ, etiam certæ alias, a culpa juridica, & pœna.

40 Dico 16. Metus, vel periculum, gravis mali, v. g. jacturæ in vita, membris, fama, fortunis &c. regulariter excuſat ab obſervatione legis mere humanæ, & quidem in utroque foro. Communis. Colligitur ex *c. 2. de obſerv. jejun. c. 31. de ſent. excomm.* Ratio; quia legislator humanus nec vult, nec poteſt per ſe, cum tam gravi incommodo obligare ſubditos, nempe extra caſum, publicum bonum reſpicientem; cum lex humana non debeat eſſe nimis ardua, nimiumque difficilis infirmitati humanæ. Interim tamen, ſi cum lege humana concurreret lex naturalis, item prohibens vel præcipiens, nullus metus excuſaret ab obſervatione legis, etiam humanæ, utpote urgentis obſervationem legis naturalis, *c. 31. cit. in fin.* Sic, ſi quis in contemptum Religionis Catholicæ per minas mortis te impelleret ad comedendas carnes die Veneris, comedendo peccares contra legem eccleſiaſticam ſimul & naturalem. Atque in hoc ſenſu verum eſt illud *c. 5. de his, quæ vi, licet metus attenuet culpam* (quia minuit voluntarium) *non tamen eam prorſus excludit*, propter ſtringens jus naturale.

41 Dico 17. Nec ignorantia invincibilis, nec metus ullus, impedit effectum legis irritantis non pœnalis, quæ nimirum irritat actum non principaliter in pœnam, ſed principaliter ob bonum publicum. Ratio, quia bonum publicum exigit, actus uniformiter fieri, & quamvis ignorantia, vel metus gravis, excuſare poſſit a culpa, legis tamen irritantis valorem tollere nequit, aut irritationem, quæ non in pœnam propter culpam eſt ſtatuta, impedire. Ad-

de,

de, quod actus ſine ſua forma ſubſtantiali numquam ſubſiſtere poſſit. Sic validum non eſt matrimonium clandeſtinum, licet ignoraveris legem Tridentini irritantem illud, aut licet metu mortis adactus eſſes ad clandeſtine contrahendum.

TITULUS III.

De Reſcriptis.

SUMMARIUM.

1 2 *Quid, & quotuplex ſit reſcriptum.*
3 *Quibus modis vitietur.*
4 5 *Dolo obtentum ſemper eſt nullum totaliter.*
6 *Sine dolo, ſub-vel obreptitie tamen, impetratum reſcriptum gratiæ irritum, Juſtitiæ autem irritabile eſt, ſi ſuppreſſa veritas vel expreſſa falſitas habet rationem cauſæ finalis.*
7 *Quænam in petitione reſcripti exprimi debeant.*
8 *Quomodo interpretanda ſint reſcripta.*
9 *A quibus & quomodo danda executioni.*
10 *An expirent cum concedente.*

1 RESCRIPTUM, quaſi *reſponſum ſcriptum*, dicitur a reſcribendo, ac *in genere* ſumptum comprehendit omnia reſponſa ſcripto data, etiam a privatis: *ſpecifice* autem & in ſenſu Juris denotat reſponſa a Summo Principe, videlicet a Papa, vel ab Imperatore, in ſcripto expedita: ſi hæc late accipiantur, comprehendunt omnia *ſecundum*, *præter* & *contra jus commune* emanata. Si *ſtricte*, ſolum illa, quæ *ſecundum jus* dantur, illud vel

vel explicando, ſi dubium ſit, vel obſervari mandando, ſi clarum. In ſenſu lato & ſtricto conſideratum ſic deſcribi poteſt: *eſt reſponſum Principis* (ſupremi) *ſcripto datum ad inſtantiam vel ſupplicantis vel conſulentis*. Communis ex *l. fin. C. de diverſis reſcr.* Si in reſcripto reperiatur clauſula, *motuproprio*, inde non ſequitur, quod inſtantia, vel ſupplicatio vel conſultatio, non præceſſerit, ſed ſolum indicatur, quod Princeps magis motu proprio & ſua clementia, quam precibus & alicujus inſtantia, inductus ſit ad dandum reſcriptum. Habet tamen illa clauſula hunc effectum, quod vitium *ſubreptionis* opponi reſcripto non poſſit. Ex verbis, *vel ſupplicantis vel conſulentis* colligitur.

2 Diviſio in Reſcriptum gratiæ & juſtitiæ. *Reſcriptum gratiæ* eſt, quo conceditur alicui favor, gratia, indulgentia, beneficium, privilegium, exemptio ad ejus ſupplicationem. *Reſcriptum juſtitiæ* ſeu ad *lites*, ut etiam vocatur, eſt, quo vel ad conſultationem alicujus explicatur jus dubium, vel ad petitionem delegatur judex ad deciſionem alicujus litis, aut alias jubetur adminiſtrari juſtitia. Inter alias differentias inter utrumque eſt etiam hæc, quod Reſcriptum *gratiæ* valorem ac vim ſuam obtineat a die *datæ*, quamprimum nempe expeditum eſt, v. g. in Dataria Romana, *c. 7. & 9. h. t.* econtra Reſcriptum *juſtitiæ* vim & valorem ſuum non ſtatim a die, quo expeditum eſt, ſed primum a die vel tempore *præſentatæ* vim & valorem ſuum conſequitur, h. e. quo litteræ ſunt actu præſentatæ judici delegato, *cap. 12. & 59. de appell.* Expeditionem juxta ſtylum Romanum præcedit ſubſcriptio ſupplicationis pro gratia, dum Pontifex ſubſcribit ſupplicationi

uni-

unicum verbum *fiat*, & ſupplicationi pro decernenda juſtitia verbum *placet*, addita initiali littera ſui nominis. Neceſſaria nihilominus tamen adhuc eſt expeditio litterarum Apoſtolicarum, ſine quibus gratia nondum dicitur *collata*, ſed *conferenda*. Dein Reſcripta gratiæ ſolent bullari cum filo ſerico rubro & croceo, atque dirigi ad ordinarios locorum: Reſcripta vero Juſtitiæ expediri cum filo cannabis, in quo pendet plumbum, & mitti ad ipſos Judices delegatos.

3 Dico 1. Reſcriptum vitiatur 1. per hoc, quod non ſit debite formatum juxta ſtylum curiæ, v. g. ſi in Reſcripto Pontificis non exprimatur ejus nomen, ſi non annus incarnationis & Pontificatus, ſi dies expeditionis non per integras voces, ſed per cifras & notas numerorum, ſi reſcribens debito nomine non compellet illos, ad quos mittit; nam Papa reſcribens Epiſcopos confirmatos vocat *venerabiles fratres*, Imperatorem, Principes, ceteroſque fideles omnes appellat *dilectos filios* &c. ſi contineat ſolecismum non excuſabilem contra latinitatem: ſi contineat raſuram, cancellationem, vel deletionem litterarum in loco ſubſtantiali, ideſt, in concluſione, ſeu in parte diſpoſitiva, niſi facta ſit in ipſa Cancellaria; quod præſumitur, ſi Reſcriptum adhuc clauſum, in quo reperitur raſura, fuerit Ordinario exhibitum. Communis. Vitiatur 2. Si careat clauſula, *ſi preces veritate nitantur*, vel æquivalente, quæ in Reſcriptis Cæſareis exprimi debet, *l. fin. C. de div. reſcr.* in Pontificiis autem, ubi non exprimitur, ſubintelligitur, *c. 2. h. t.* Si careat clauſula, *ſalvo jure tertii*, aut ſimili, ſi Reſcriptum cedat in præjudicium tertii; quia Princeps non ſolet derogare juri alieno, niſi id exprimat.

Si

Si careat clauſula derogativa, *non obſtantibus quibuſcumque privilegiis &c.* caſu quo reſcriptum derogat alienis privilegiis. De clauſulis derogatoriis nota, eas, non ſufficere ad derogandum prioribus diſpoſitionibus, clauſula *prægnante*, ſeu *derogatoria derogatoriarum* inſtructis, vi cujus derogatum eſt derogatoriis ſubſequentibus, niſi nimirum expreſſa fiat mentio derogatoria clauſulæ prægnantis ſeu derogatoriæ derogatoriarum, *cap.* 28. *h. t.* Begnudellius *V. Clauſulæ Apoſtolicæ*, ubi tamen addit, juxta aliquos non opus eſſe hac expreſſione de ſtylo Curiæ. Vitiatur 3. Si adverſetur juri communi, aut conſuetudini legitime præſcriptæ, vel recepto ſtylo Curiæ: niſi id exprimat *c.* 1. *de offic. deleg. c.* 6. *de confirm. util. l.fin. cit Nov.* 134. *c.*6. Item ſi impetretur poſt tranſactionem jam initam a Patribus: ſi contra ſententiam & poſt appellationem deſertam: ſi lite pendente, & quidem in præjudicium litis, ſi nempe horum non fiat expreſſa mentio in reſcripto *l.* 16.*C.de tranſact. l.fin. C.ſententiam reſcindi non poſſe c.* 1. & *fin. ut lite pend.* Vitiatur 4. per ſubreptionem & obreptionem. *ſubreptio* dicitur quando ſupprimitur vel reticetur verum a ſupplicante, quod debeat exprimi: *obreptio* quando exprimitur & narratur falsū aliquid.

4 Dico 2. Reſcriptum tam juſtitiæ quam gratiæ, per dolum ſub-vel obreptitio obtentum, eſt ipſo jure nullum, & vitiatur totaliter, etiamſi ſuppreſſio veri, vel expreſſio falſi non fuerit cauſa finalis, modo tamen pertineat ad ſubſtantiam rei petitæ. Deſumitur ex *c.* 15. *h. t.* ibi: *mendax peccator penitus careat impetratis; quia fraus & dolus ei patrocinari non debent*. Conſonat *c.* 20. *eod. qui per fraudem vel malitiam falſitatem exprimunt, vel ſupprimunt veritatem, in ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex illis literis*

teris commodum conſequantur. Dixi 1. *tam juſtitiæ quam gratiæ;* quamvis enim *cit. cc.* determinate loquantur de Reſcriptis juſtitiæ, ex communi tamen DD. calculo extenduntur etiam ad Reſcripta gratiæ ex ratione a fortiori, quia Reſcripta gratiæ ſunt magis odioſa in jure, utpote contraria plerumque, vel ſaltem non conformia juri communi, illudque relaxant. Dixi 2. *per dolum;* quid tenendum, ſi ob- vel ſubreptio contingat innocenter, vel ex errore inculpabili, dicetur poſtea. Dixi 3. *ipſo Jure nullum:* de Reſcripto gratiæ nemo dubitat: Reſcriptum juſtitiæ vero P. Krimer, Schambogen, & alii putant ſolum eſſe irritandum per exceptionem: melius tamen Gonzal. & alii cenſent, pariter eſſe irritum propter verba textuum citatorum: *careat penitus impetratis*: *nullum commodum conſequantur*. Dixi 4. *Vitiatur totaliter*, ita nimirum, ut nulla ex parte proſit impetranti: proin ſi Reſcriptum contineat plures partes, ſive ſint connexæ inter ſe, ſive non, quoad omnes carebit effectu, quia jura ſic videntur indiſtincte velle: *penitus careat: nullum commodum conſequantur*. Diſſentiunt Sanch. & P. Vvieſtn. pro caſu, quo partes Reſcripti inter ſe non ſunt connexæ, & ab invicem dependentes. Dixi 5. *etiamſi ſuppreſſio veri vel expreſſio falſi non fuerit cauſa finalis;* quia citati textus, ibi agunt de doloſa impetratione, non diſtinguunt inter cauſam finalem & impulſivam: ſicut tamen *cit. c.* 20. diligenter diſtinguit, ubi agit de impetratione non doloſa. Diſſentire iterum videtur P. Vvieſtn. *h. t. n.* 42. cum Cov. *Cauſa finalis* dicitur eſſe illa propter quam, tamquam motivum principale, Princeps concedit Reſcriptum, & ſine qua non concederet; an talis ſit, colligi debet vel ex ſtylo curiæ, vel more Principis, vel judicio prudentis viri, maxime Ju-

dicis.

dicis. Si unica tantummodo cauſa fuit a ſupplicante expreſſa, cenſetur eſſe finalis, cum Princeps ſine omni cauſa non cenſeatur dare Reſcriptum. Idem eſt, ſi una tantum ex pluribus cauſis allegatis movere Principem prudenter poſſit, eaque falſa ſit. *Cauſa impulſiva* autem eſt, qua abſente Princeps nihilominus conceſſiſſet Reſcriptum quoad ſubſtantiam ſaltem in forma communi, quamvis non ita prompte, vel non in ea forma & modo accidentali, quo conceſſit de facto. Sumunt DD. ex *c.* 20. *cit.* ubi pro cauſa finali habetur, ſi Princeps *nullas prorſus litteras dediſſet*; ergo non finalis, ſed impulſiva tantum erit, ſi aliquas dediſſet litteras illa etiam abſente, licet non prorſus eodem modo, vel non tam prompte.

5 *Objic.* 1. In *l.* 2. *C. ſi contra jus* habetur, quod Reſcriptum Principis mendacio impetratum valeat quoad judicem in eo datum: ergo Reſcriptum juſtitiæ non vitiatur totaliter per obreptionem doloſam. 2. *Utile per inutile non debet vitiari c.* 37. *de R.J. in* 6. ergo nec Reſcriptum quoad partem, in qua dolus nec intervenit, ſed preces veritate nituntur, 3. diſpoſitiones aliæ, v.g. legata non vitiantur, ſi ſola cauſa impulſiva non ſubſiſtat. *l.* 72. *§.* 6. *ff. de condit. & demonſtr.* ergo nec Reſcripta per dolum obtenta, ſi ſola cauſa impulſiva non ſubſiſtat: quia, licet falſa ſit cauſa mere impulſiva, manet tamen adhuc voluntas abſolute concedendi Reſcripta. 4. Nihil intereſt, an Reſcriptum dicatur eſſe nullum ipſo jure, an vero irritandum ope exceptionis: ergo male fuit a nobis adhibita diſtinctio. R. Ad 1. ibi ſermo non eſt de mendacio doloſo, ſed per ignorantiam vel errorem commiſſo, ut interpretatur Panormit. vel ſermo eſt non de Judice per Reſcriptum

dele-

delegato, ſed de Judice ordinario, cujus juriſdictioni ſuberant litigantes, qui non vi Reſcripti, ſed vi juriſdictionis ſuæ ordinariæ poterat de cauſa cognoſcere, cum a Superiore non fuerit inhibitus, ut forte melius explicat gloſſa. Ad 2. regula illa locum non habet, ubi lex, vel voluntas legislatoris totum actum, totum negotium, totam gratiam invalidat, uti *c.* 15. *& c.* 20. *cit.* totum Reſcriptum *penitus* carere effectu, & *nullum* inde *commodum* obtineri voluerunt. Fateor tamen oppoſitam ſententiam eſſe vere probabilem, maxime ideo, quia pœnæ non videntur extendendæ, ubi partes Reſcripti non ſunt invicem connexæ. Ad 3. *tranſ. ant. diſt. conſ.* ſi falſitas, quæ habet rationem cauſæ impulſivæ, inſperſa eſt petitioni per ignorantiam vel ſimplicitatem. *C. conſ.* ſi ſcienter, per dolum vel malitiam. *N. conſ.* nempe in *perverſitatis pœnam*, ut ait textus. Ad 4. Intereſt enim vero; ſi enim Reſcriptum juſtitiæ ſit ipſo jure nullum, acta judicis delegati ſunt invalida, licet nihil opponatur: ſi vero irritari ſolum poſſet de ope exceptionis, valent, ſi pars ſe non opponat, vel excipiat contra Reſcriptum. Si Reſcriptum gratiæ ipſo jure foret nullum, impetrans numquam illo frui, ſi autem irritandum dumtaxat, tamdiu frui, quamdiu nihil opponitur, poſſet, ſed adverte, Reſcripta gratiæ, ſi habeant vitium, plerumque ipſo jure irrita eſſe; Reſcripta juſtitiæ vero ordinarie ſolum ope exceptionis irritanda. Unde

Dico 3. Reſcripta gratiæ, per ob-vel ſubreptionem non fraudulentam vel doloſam obtenta, ſunt irrita ipſo jure, ſi falſitas expreſſa vel qualitas aut circumſtantia, quæ intrinſece ad rem pertinet, ſuppreſſa vel reticita habeat ratio-

tionem cauſæ finalis, ſine qua non fuiſſent conceſſa. 2. Reſcripta vero juſtitiæ ſunt tantum irritabilia ope exceptionis. Pars prior fundatur in *c. 31. h. t. & c. 23. de præb. in 6.* & in hac ratione, quod Reſcripta gratiæ tribuant impetranti aliquod jus complete ſtatim, & negotium quaſi definiant. Poſterior in *c. 9. & 23. h. t.* & in ratione contraria: quia Reſcripta juſtitiæ ſolum præparant negotium dato Judice, qui merita cauſæ examinet, & jus per ſententiam primum tribuat ei, cui deberi deprehendet. Dixi 1. *non fraudulentam*, h. e. ex errore, ignorantia, ſimplicitate factam. Dixi 2. *quæ intrinſece ad rem pertinet;* ſi enim expreſſa falſitas non concernat materiam in Reſcripto contentam, ut ſi impetrans ſe falſo dixerit nobilem, gradu litterario conſpicuum &c. & hæc qualitas non requiratur tamquam conditio neceſſaria ad impetrandum, quod petitur; vel ſi ſuppreſſa veritas ſolum extrinſece ſe habeat ad id, quod petitur, ut ſi petens ſit reus criminis, quod per ſe exprimi non debet, illudque reticeat; valet Reſcriptum, etiamſi Princeps cognita veritate Reſcriptum non conceſſiſſet. Dixi 3. *ſi habeat rationem cauſæ finalis;* ſi enim eſſet tantum *cauſa impulſiva*, nec irritum, nec irritabile propterea foret Reſcriptum, licet ea eſſet falſa, quia non deficit conſenſus concedentis. Excipiunt tamen multi cum Covar. caſum, quo cauſa impulſiva falſa induxit Principem ad dandum Reſcriptum *gratiæ* in alia forma & modo, quam quo dediſſet cognita veritate: quam opinionem nonnemo vocat communem. Ceterum in dubio æquali; utrum cauſa Reſcripti conceſſi fuerit finalis vel impulſiva, præſumendum eſt poſterius, & ſtandum pro valore Reſcripti *arg. c. 25. de V. S. poſt medium* ibi: *profecto ſic intelligen-*

da

da ſunt verba, ut res, de qua agitur, valere poſſit potius, quam perire, cum potius præſumendum, ut actus valeat, quam ut pereat.

7 Quæres, quid petens reſcriptum exprimere debeat in ſua ſupplica? R. 1. ſi petatur reſcriptum juſtitiæ, vel *ad lites*, debet exprimi reſcriptum anterius, ſi quod obtentum ſit in eadem cauſa: diſtantia Rei a loco Judicii ultra dietam, ſi inde tantum diſtet conditio perſonæ privilegiatæ, ſi contra talem impetretur reſcriptum: lis pendens, & Judex, ſi cauſa jam ſit inchoata in Judicio: ſententia lata, vel appellatio interpoſita, ſi alterutrum jam contigit: tranſactio, vel laudum, ſi alterutro modo cauſa jam ſit finita: diffamatio, ſi petatur inquiſitio ſpecialis contra aliquem. R. 2. Si petatur reſcriptum gratiæ in cauſa Beneficii Eccleſiaſt.-ci obtinendi, debet exprimi beneficium etiam tenue, vel jus ad aliquod beneficium, ſi tale jam habeat petens: qualitas beneficii ante obtenti, & valor: modus, quo vacare cœpit beneficium, quod petitur: jus, ſi quod alius ad illud habeat: poſſeſſio, etiam colorata, imo & detentio non notorie injuſta, qua alius occupavit beneficium idem: reſcriptum anterius, ſi quod vel ipſe petens, vel alius jam obtinuit ſuper idem beneficium: patrimonium, quod habet petens, ſi petat reſcriptum *in forma pauperum*: habilitas, vel potius inhabilitas, propter quam, ſi non diſpenſetur, petens eſt incapax, ſi petitur & datur reſcriptum *in forma gratioſa*, non *in forma dignum*, ut appellantur: denique nomen Sancti Eccleſiæ, in qua eſt beneficium, niſi ſit Eccleſia Cathedralis; tunc enim ſufficit hanc exprimere. DD. paſſim tum ad *Regulas Cancellariæ* tum ad *h. t.*

8 Dico 4. Reſcripta ſunt interpretanda ſecun-

cundum mentem reſcribentis per verba in propria ſignificatione accepta, & clauſulas adjectas, quæ diligenter obſervari debent, inſinuatam, ſicut de legibus dictum *Titulo* præcedente; nam Reſcripta ſunt leges particulares. In dubio tamen Reſcripta gratiæ ſunt regulariter ſtricte interpretanda: vel enim reſpiciunt beneficium, quod petitur? (cujuſmodi Reſcripta beneficialia principaliter veniunt nomine Reſcriptorum gratiæ) & patet ex *c.* 4. *de præb. in* 6. cum ſint *ambitioſa*, ut ibi dicitur: vel ſunt diſpenſationes, & contra jus commune? & ſumitur ex *c.* 28. *de R. J. in* 6. *&* *l.* 141. *ff. eod.* Niſi nempe ſit diſpenſatio motu proprio, vel intuitu utilitatis publicæ conceſſa, vel clauſa in corpore juris. Sic etiam alia Reſcripta gratiæ, quæ non ſunt contra jus commune, neque contra jus tertii privati, latæ ſunt interpretationis, per *c.* 15. *de R. J. in* 6. Reſcripta juſtitiæ ita debent accipi, ut concordent juri communi, imo, ſi non exprimant ſaltem generaliter, quod intendant derogare juri communi, & eidem contraria ſint, ſunt omnino nulla: ſi vero mentionem juris communis faciant, ſtrictæ ſunt interpretationis tamquam odioſa, *c.* 15. *cit.* Sicut omnia Reſcripta *ad lites*, quibus datur Judex delegatus, ſtricte accipi debent, itaut non extendantur ad perſonas & cauſas in iis non expreſſas, *cap.* 40. *de offic. deleg.* quia derogant juriſdictioni Judicis ordinarii loci, & fovent potius, quam tollant lites.

9 Dico 5. Executio Reſcriptorum, quæ dantur a Papa ejuſve Legatis, & cauſæ cognitionem requirunt ac juriſdictionem, committi de jure daberet perſonis habentibus dignitatem eccleſiaſticam, vel ſaltem Canonicatum in Ec-

cleſia

cleſia Cathedrali, vel Superioribus Regularium; *c. 11. h. t. in Clem. 2. eod.* Verum Epiſcopus, cujus tamen litteræ non ſunt proprie dictum Reſcriptum: ſed *Reſponſa*, vel *littera commiſſionis*, aut *abſolutionis* vocantur, executionem committere poteſt cuilibet idoneo Clerico. Executoribus autem incumbit diligenter inquirere, an Reſcriptum non ſit vitioſum, an preces veritate nitantur, item clauſulas accurate obſervare, & executionem Reſcriptorum beneficialium ultra 30. dies non differre &c.

10 Dico 6. Reſcripta juſtitiæ expirant cum concedente, ſi nempe Reſcribens moriatur *re adhuc integra*, h. e. antequam initium executionis factum ſit. Reſcripta gratiæ autem durant, etiamſi Reſcribens moriatur re adhuc integra. Membrum 1. colligitur ex *c.* 20. *&* 30. *de offic. deleg.* Membrum 2. ex *c. 9. eod. in 6. c. 36. de Præb. in 6. & c. 16. de R. J. in 6.* ibi: *decet conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum*. Excipe, niſi Princeps aliud inſinuet, v. g. per hanc aut ſimilem clauſulam: *quamdiu voluero: uſque ad beneplacitum meum &c. c. 5. h. t. in 6.* Sed contra hoc objic. ergo etiam expirabit Reſcriptum gratiæ cum Papa concedente, ſi is adjecit has clauſulas: *quamdiu Papa voluerit: uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ*. Vel 2. Si adjicit has clauſulas: *donec revocavero: quamdiu aliter non diſpoſuero:* ſed hæc ſunt falſa, per *c. 5. cit.* & ibi: *Gl.* R. Negando omnes has ſequelas: quia Sedes Apoſtolica numquam moritur, nec Papa in genere. In duobus ultimis exemplis concedens alligat ceſſationem gratiæ ad expreſſam revocationem poſitivam, & actum voluntatis in contrarium: qualis actus aut poſitiva revocatio per mortem concedentis non ponitur: ſicut

cut tamen, ſi gratiam reſtrinxit *ad ſuum beneplacitum*, vel *quamdiu voluerit*, cum ipſo extinguitur beneplacitum ejus, & voluntas ſemel poſita.

TITULUS IV.

De Conſuetudine.

SUMMARIUM.

1 2 3 *Quid, & quotuplex ſit conſuetudo.*
4 5 *Etiam conſuetudo contra legem debet eſſe rationabilis.*
6 *Quales & quos actus.*
7 *Quale tempus requirat conſuetudo.*
8 *Quomodo per legem derogetur conſuetudini.*
9 *Quomodo probetur conſuetudo.*

1 Conſuetudo legem imitatur, imo vim legis obtinet, & dupliciter ſumi poteſt. 1. *Materialiter* ſeu *cauſaliter* pro ipſo uſu diuturno & actibus a populo frequentatis, & dicitur *conſuetudo facti*, de qua *can. 5. d. 1.* ſic ait: *Vocatur autem conſuetudo, quia in communi eſt uſu.* 2. *Formaliter*, ſeu pro ipſo jure ſeu lege ex actibus populi frequentatis reſultante. De hac

2 Dico 1. Conſuetudo eſt *jus non ſcriptum, diuturnis populi moribus, & cum aliquo legislatoris conſenſu, introductum*. Ita quoad ſenſum communis ex *can. cit. & l. 32. 33. 35. ff. de legib.* Dicitur 1. *Jus*, ut indicetur, ad conſuetudinem requiri pleraſque conditiones, ad legem neceſſarias, cum ſit lex: ſcil. debet eſſe honeſta: poſſibilis: utilis communitati: rationabilis: & obligationem inducens, vel declarans, vel tollens. 2. *Non ſcri-*

ſcriptum, per quod differt a lege ſcripta: nec deſinit eſſe jus non ſcriptum, licet poſtea, etiam juſſu Principis vel Magiſtratus, redigatur in ſcripturam. 3. *Moribus*, h. e. per actus plures uniformiter exercitos: per quod iterum differt a lege; nam hæc unico actu ſeu volitione legislatoris debite promulgata introducitur. 4. *Diuturnis*, h. e. debito tempore continuatis ſine interruptione. 5. *Populi*, h. e. communitatis perfectæ vel totius, vel ſaltem majoris partis, eorum nempe, quos talis res, circa quam dantur actus frequentati, concernit. *Perfectæ*, inquam, quæ nimirum moraliter unita ab uno capite gubernatur cum poteſtate publica juriſdictionis, & communium bonorum participatione, qualis cenſetur eſſe integra provincia, diœceſis, diſtrictus, non vero una vel altera familia, domus, vel alia hujuſmodi modica & imperfecta communitas, cujus membra diriguntur non ad commune bonum omnium, ſed ſolum ad patrisfamilias v. g. privatum bonum, 6. *cum aliquo legislatoris conſenſu;* quia, cum conſuetudo habeat rationem legis, lex autem non conſtituatur, niſi per voluntatem ejus, qui habet poteſtatem legislativam, quæ non reperitur in populo extra ſtatum democraticum, legislatoris conſenſum aliquem, ſive *perſonalem* tacitum, ſive *legalem*, qui a legislatore in lege vel jure exprimitur, requiri clarum eſt. Et iſte conſenſus legis datur pro omni conſuetudine rationabili, legitime præſcripta, & diuturnis populi moribus uniformiter operantis firmata, clare expreſſus in *c. fin. h. t. & l. 32. cit. & l. fin. C. quæ ſit longa conſuet.* generaliter omnem hujuſmodi conſuetudinem approbantibus, licet legislator eam neſciat quidem, & ideo perſonaliter nec expreſſe nec tacite in eam conſentiat. 7. *Introductum*, quod duplici modo

fieri poteſt: *per viam conniventiæ*, ſi legislator populi mores ſciat & diſſimulet; quo caſu perſonaliter tacite conſentit; ſi enim expreſſe approbaret, eſſet potius lex a legislatore immediate introducta, quam per mores populi: dein *per viam præſcriptionis*, ſi nempe legislator mores populi debito tempore & modo continuatos ignoret: quo caſu datur conſenſus ejus legalis, nullo modo perſonalis. Cæterum *conſuetudo & obſervantia* ſæpe confunduntur, ſed ſtricte loquendo obſervantia & uſus eſt potius cauſa, conſuetudo autem ejus effectus inde ortus. *Stylus Curiæ & Fori* eſt ſpecies conſuetudinis, nimirum conſuetudo certæ curiæ, vel tribunalis, quæ obſervatur in Judiciis in certis cauſis, vel quoad certam ſcribendi aut procedendi formam.

3 Dico 2. Conſuetudo alia eſt *ſecundum legem* ſcriptam, ac *obſervantia* potius, vel *conſuetudo facti* meretur dici; quia non inducit novum jus, ſed legem prius latam actuali executione confirmat, vel dubiam declarat; & de hac conſuetudine dicitur *l.* 37. *ff. de LL. & c.* 8. *h. t. conſuetudo eſt optima legum interpres*. Alia eſt *præter legem*, quæ nimirum jus novum conſtituit, ubi non datur lex ſcripta: & de hac dicitur in *can.* 5. *cit.* quod ſit *jus, quod pro lege ſuſcipitur, ubi deficit lex*, nempe pro caſibus, quos jura ſcripta non decidunt. Alia demum *contra jus*, per quam jus aliquod ante exiſtens abrogatur, & tollitur vel ſimpliciter vel ſecundum partem. Et hinc directe non inducit jus obligans, ſed permiſſivum, vi cujus licite fit, vel omittitur, quod ſtante lege fieri non potuiſſet. Omitto reliquas diviſiones conſuetudinis, quas, quia lex eſt, cum lege ſcripta fere communes habet.

4 Dico 3. Etiam conſuetudo contra legem debet eſſe rationabilis, ſaltem negative, h. e. non debet

debet adverſari juri naturali, aut divino, aut humano ſpecialiter reprobanti conſuetudinem ut corruptelam morum, vel ut ſecum ferentem in moribus nimiam licentiam; quamvis, ut verum fatear, vix poſſibile ſit, ut conſuetudo in prædictis non peccans, non ſimul fiat *poſitive* rationabilis propter aliquam rationem generalem; v. g. quod ſtante conſuetudine legis abrogatoria diminuatur legum copia, tollantur conſcientiarum laquei, adeoque populus regatur ſuavius, minuantur lites &c. Prob. aſſertio 1. ex *cap. fin. h. t. c. 2. eod. in 6. l. 1. C. quæ ſit longa conſuetudo*, 2. a pari cum lege ſcripta, ad quam ſufficit rationabilitas negativa; quæ enim ratio ſpecialis poſitiva requiritur in lege 7. teſtes ad valorem Teſtamenti præciſe requirente? cur enim non 6. vel 8. teſtes exigit; in dubio præſumitur conſuetudo eſſe rationabilis, ſicut lex.

5 *Obji.* 1. Quod eſt contra aliquid rationabile, non poteſt eſſe rationabile: ſed conſuetudo contra legem eſt contra aliquid rationabile, nempe contra legem: quæ eſſentialiter eſt rationabilis; ergo. 2. Actus contra legem ſunt peccaminoſi: ergo non ſunt rationabiles: ergo neque conſuetudo ex illis orta poteſt eſſe rationabilis. 3. Conſuetudo legi aut rationi prævalere non poteſt. *l. 2. C. eod.* fere idem habetur *c. 3. & 7. h. t.* ergo conſuetudo contra legem non poteſt eſſe rationabilis, itaut legem abroget. 4. Conſuetudo debet eſſe *legitime præſcripta c. fin. eod.* ergo debet introduci cum bona fide, quam requirit omnis præſcriptio: ſed bona fides non poteſt eſſe in iis, qui ſcienter tranſgrediuntur legem, eamque per actus contrarios tollere intendunt: ergo. R. Ad 1. *retorq. arg.* in lege ſcripta poſteriori contra legem anteriorem lata, per quam juxta omnes abrogari poteſt lex prior: ſicut ergo lex legi con-

traria poteſt eſſe rationabilis, ita & conſuetudo legi contraria. *In forma diſt. ma.* quod eſt contra aliquid rationabile tam in facto eſſe, quam in fieri, non poteſt eſſe rationabile. *C.ma.* quod tantum in fieri, non in facto eſſe, eſt contra aliquid rationabile. *N. ma.* Quando conſuetudo per actus frequentatos populi, tempus, & conſenſum aliquem legislatoris eſt completa, ſeu in facto eſſe, non amplius eſt contra legem, utpote quæ tunc jam ceſſavit, adeoque non amplius contra aliquid rationabile.

Ad 2. *diſt. illatum* eodem modo: ergo conſuetudo in fieri non eſt rationabilis *C.* in facto eſſe. *N.* Viderint alii, quid reſpondeant, qui cum Azor. Laym. Pirhing. Engel. contra Suar. Sal. Lug. negant, per actus peccaminoſos poſſe introduci conſuetudinem; dum enim reſpondent, primos legis tranſgreſſores cum ſcientia legis non abrogare legem, ſed primum poſteriores, qui ſucceſſu temporis bona fide non obſervant legem, eo quod per errorem putent, anteceſſores ſuos licite egiſſe contra legem vel propter diſpenſationem, vel alium honeſtum titulum. Hæc enim reſponſio non videtur Juribus conformis; partim quia conſuetudo ſine conſenſu populi non introducitur, cum ſit *tacita civium conventio*, uti appellatur *l.35. ff. de* LL. & *diuturni mores conſenſu utentium approbati legem imitari* dicantur *§. 9. Inſt. de I. N. G. & C.* ergo actus, ex quibus fit conſuetudo, debent eſſe voluntarii, quales non ſunt, qui procedunt ex ignorantia aut errore, quo judicatur aut putatur lex non exiſtere, contra quam tendunt; cum nihil adeo ſit contrarium conſenſui voluntario, quam ignorantia & error *l.15. ff. de Juriſd.* & qui errant, non conſentiunt, *l.116. §.2. ff. de R. J.* partim quia actus non operantur ultra intentionem agentium, ut habet receptum axioma

ex

ex *l.19. ff.de reb.cred.* & de eſſentia legis cujuſcumque eſt, ut ponatur cum intentione obligandi, vel obligationem tollendi, ſi eſt contra legem præexiſtentem: ergo, niſi agentes contra legem ſciant legem exiſtere, eamque velint abrogare ſeu expreſſe ſeu tacite, eam non abrogant, neque conſuetudinem efficiunt. Sicut igitur actus *meræ facultatis* (v.g. devotionis, vel liberalitatis) & abſque opinione obligationis poſiti, utut diutiſſime frequentati, non conficiunt conſuetudinem legalem, & obligationem *præter jus*, v. g. uſus univerſalis aſpergendi ſe aqua benedicta in ingreſſu Eccleſiæ, quotidie audiendi Sacrum &c. quia nimirum actus non operantur ultra intentionem agentium. Ita actus contra legem non cognitam, & cum opinione, legem non exiſtere, poſiti numquam conficient cōſuetudinem legalem & deobligatoriam *contra jus* propter eamdem rationem, & ſimul alteram, quod tales actus non ſint voluntarii contra legem, nec indicent conſenſum populi in abrogationem legis. Unde actus per quos introducitur conſuetudo contra legem, non tantum poſſunt eſſe peccaminoſi; ſed etiam regulariter debent eſſe, quamdiu conſuetudo eſt in fieri: quando autem actus ſunt dubio tempore & modo continuati, accedit conſenſus aliquis legislatoris, & conſuetudo ponitur in facto eſſe; ſeu eſt completa, atque tunc actus incipiunt eſſe liciti, cum lex ceſſaverit, utpote facta inutilis, imo noxia communitati, ſi ejus obſervantiam urgere vellet legislator, evaderet.

Ad 3. *diſt. ant.* prævalere non poteſt conſuetudo debitis conditionibus deſtituta. *C. ant.* iis prædita, ſi nempe ſit rationabilis & legitime præſcripta. *N. ant.* & *conſ.* propter clarum textum in *c.fin. h.t.* Ad 4. vel eſt ſermo de conſuetudine *præſcriptiva*, quæ tamen proprie conſuetudo non

 eſt,

eſt, ſed præſcriptio, quæ non communitatem qua talem, ſed privatos reſpicit? & tunc utique requiritur bona fides, & excluſio peccati in præſcribente: & de iſta hic ſermo non eſt. Vel de conſuetudine *legali*, qua ſcienter contravenitur legi ad eam abrogandam a majori ſaltem parte communitatis; & tunc non requiritur bona fides aut excluſio peccati contraveniente communitate, quamdiu nempe conſuetudo eſt in fieri, ut cum Suar. Vaſq. Lug. Barb. Haun. de Baſſis &c. docet P. Vvieſtn. *h. n.* 35. Unde, quando in *d. c. fin.* ad conſuetudinem requiritur, ut ſit *legitime præſcripta*, non denotatur, quod ad conſuetudinem requirantur omnes conditiones ad veram præſcriptionem neceſſariæ, ſed tantum una vel altera; nempe quod habere debeat actus diuturno tempore, & ſine interruptione frequentatos, ſicut præſcriptio: in aliis autem differt *Conſuetudo* a *Præſcriptione*, nimirum quod hæc detur ſolum inter perſonas privatas & particulares, itaut, licet contra communitatem currat, tamen iſta conſideretur non ut communitas, ſed ut perſona privata: quod requirat titulum & bonam fidem, item tempus a jure claris terminis determinatum; quod ſecum ferat lucrum unius, & damnum vel gravamen alterius &c. quæ omnia non ſunt neceſſaria ad conſuetudinem legalem.

6 Dico 4. Actus ad introducendam conſuetudinem neceſſarii non tantum debent eſſe voluntarii, & cum intentione introducendi conſuetudinem poſiti, ut paulo ante oſtendi, ſed etiam frequentati, ſeu non unus aut duo, ſed plures, ac tot, ut ex iis arbitrio prudentis, vel judicis, colligi poſſit conſenſus communitatis in conſuetudinem, uti deſumitur ex *§. 9. cit. l. 33. 35. ff. de LL. l. 1. & 2. l. quæ ſit longa conſuet.* ubi requiruntur actus *diuturni*, *fre-*

frequenter longævi: quia vero numerum eorum non exprimunt jura, optime relinquitur arbitrio Judicis, & extra Judicium viri prudentis, quot hic & nunc neceſſarii ſint ad colligendum populi conſenſum, per *l.* 10. *ſeqq. ff. de legib. l.* 137. §. 2. *ff. de V.O.* Præterea debent actus uniformiter, & ſine interruptione, a majori ſaltem parte communitatis eſſe poſiti, quia alias non ſufficienter conſtaret de conformi conſenſu & tacita conventione populi, quam jura requirunt. Denique debent eſſe notorii propter eamdem rationem. Non tamen eſt neceſſe, ut ſint notorii notorietate juris, h. e. publicati in Judicio contradictorio, ſed ſufficit, notorietas facti, ſi nempe fiant præſentibus & ſcientibus multis.

7 Dico 5. Tempus ad complendam conſuetudinem debet eſſe continuum. 2. Regulariter tamen ſufficit longum, ſeu 10. annorum. Pars prior conſtat inde, quod, ubi jura ſimpliciter requirunt aliquod tempus, iſtud debeat eſſe continuum, ſeu non interruptum, ut patet in præſcriptione, anno novitiatus ante profeſſionem Religioſam &c. quare ſi major pars communitatis ageret adverſus conſuetudinem, nondum completam, etiam unico tantum actu, vel ſi Superior puniret aliquando tranſgreſſores legis &c. tempus cenſeretur interruptum, & conſuetudo deberet de novo inchoari. Poſterior exinde, quod jura, quamvis clare non determinent 10. annos, tamen videantur requirere tempus longum *l.* 32. *l.* 35. *ff. de LL. l.* 1. 2. *C. quæ ſit longa conſuet.* ubi conſuetudinem vocant *longam*, *longævam*, *inveteratam*, &c. ſed tempus *longum* in jure ſunt ordinarie 10. anni, per *l.* 11. *C. de præſcr. long. temp.* Atque ſic communiter tenent civiliſtæ, & quia jus canonicum nihil determinat, plurimi etiam Canoniſtæ; quia tale tem-

pus ipſis videtur ſufficere ad declarandam populi voluntatem, quod hoc vel illud pro lege obſervari velit, aut hanc vel illam legem abrogari. Quamvis alii cum Menoch. & Lauterbachio relinquant, forte non male, longitudinem temporis, ad conſuetudinem complendam neceſſarii, arbitrio prudentis Judicis; cum ratio dictet, plus temporis requiri ad conſuetudinem in rebus magni momenti vel præjudicii, quam in levioribus. *Objic.* Ad præſcriptionem contra Eccleſiam vel bona Eccleſiæ requiruntur 40. anni, *c. 6. & 15. de Præſcr.* ergo etiam ad præſcriptionem contra legem eccleſiaſticam. R. *N. conſ.* quando enim contra Eccleſiam præſcribitur, tunc dominium vel jus aliquod, ad utilitatem Eccleſiæ pertinens, tollitur, & propter hoc præjudicium Eccleſiæ SS. Canones 40. vel plures annos requirunt: at ex conſuetudine contra legem eccleſiaſticam, utpote quæ non utilitatem Eccleſiæ concernit, ſed ſubditorum, nullum Eccleſia patitur præjudicium.

8 Dico 6. Quando lex habet clauſulam, qua derogat conſuetudini ſimpliciter, v. g. dicendo *non obſtante conſuetudine contraria*, ſolum intelligenda eſt de conſuetudine jam exiſtente tempore legis, non de futura. 2. Quando autem derogat conſuetudini futuræ contra legem, illam vero non reprobat tamquam corruptelam, vel ut irrationabilem, non facit, quo minus contraria conſuetudo introduci poſſit. 3. Si vero ut corruptelam &c. damnet vel reprobet, etiam conſuetudini futuræ omnem vim adimit, niſi mutentur circumſtantiæ, & poſt talem legem nova cauſa emergat, propter quam conſuetudo reprobata evadere poſſit rationabilis. 4. Si lex abroget vel reprobet conſuetudinem in genere, non comprehenditur immemorialis.

5. Ne-

5. Neque conſuetudo particularis actu exiſtens in aliquo loco, ſi Princeps univerſalis talem legem ponat. Pars 1. quæ ſupponit recte, quod legislator per legem conſuetudini contrariam poſſit hanc tollere, ſi velit, juxta *c. 1. de conſtit. & c. 9. h. t.* probatur inde, quod lex talis ſolum videatur velle conſuetudinem ſibi contrariam abrogare: ſed conſuetudo futura, & nondum exiſtens tempore legis, non eſt legi contraria; cum non-ens nullas habeat qualitates, adeoque nec contrarietatem. Ita verior cum Abb. Bart. Suar. Kon. *gl. in Clem. 7. de Elect. v. conſuetudinem*, contra communiorem. Pars 2. ſumitur ex *c. 1. 3. 7. 9. fin. x. & c. 2. h. t. in 6.* quia nimirum omni legi humanæ, conſequenter & conſuetudinem futuram ſimpliciter prohibenti, ſicut per legem oppoſitam, derogari poteſt per conſuetudinem, pari paſſu cum lege ambulantem. Pars 3. ex ratione, quia, ſi non mutentur circumſtantiæ, conſuetudo manet irrationabilis, quam irrationabilitatem habet vel ex jure naturali, vel ex jure poſitivo: ſic reprobantur conſuetudines, quæ adverſantur bonis moribus, aut bono communi, aut immunitati eccleſiaſticæ, reali aut perſonali, vel enervant diſciplinam eccleſiaſticam, vel vergunt in præjudicium Eccleſiarum &c. *c. 5. 10. h. t. c. 4. de Immunit. Eccleſiar. c. 49. de Sent. Excomm.* Si autem mutentur circumſtantiæ, & nova cauſa ſuperveniens reddat conſuetudinem rationabilem, nihil impedit, quo minus tali lege non obſtante introduci valeat. Pars 4. ex *c. 26. de V. S.* ubi conſuetudo immemorialis æquiparatur privilegio, & ideo ſpecialem mentionem requirit, niſi nempe conſuetudo ſit contra jus naturale aut divinum, aut niſi jus humanum etiam immemorialem

prohibeat vel reprobet. Pars 5. ex eo, quod Princeps cenſeatur ignorare conſuetudines particulares locorum: ergo non cenſetur illas velle abrogare, niſi earum mentionem facit, ſaltem terminis generalibus, v. g. dicendo: *non obſtante quacumque conſuetudine*: cum nihil ſit volitum, niſi cognitum. Aliud eſt, ſi non ſupremus Princeps, ſed inferior, & proprius alicujus territorii dominus, ferat legem pro ſuo territorio derogantem conſuetudini talis loci; cum præſumatur ſcire conſuetudinem ſui territorii, ver. gr. provinciæ vel Epiſcopatus communem.

9. Dico 7. Ut conſuetudo vim habeat in Judicio, debet ab allegante convincenter probari *c.* 8: *h. t. l.* 1. *C. quæ ſit longa conſuet:* cum conſuetudo ſit facti. Probatur autem vel per litteras publicas, uti ſunt Inſtrumenta publica, aut acta Judicialia aut per teſtes ſaltem duos, qui in tali communitate uniformiter, & multis ſcientibus, debitoque tempore aliquid obſervatum eſſe, ſe vidiſſe teſtari debent: vel per famam publicam. Unus Doctor, etiam excellens, pro foro externo non concludenter, ſed ſolum præſumptive probat conſuetudinem. Ceterum probatio conſuetudinis *contra claram legem* a Doctoribus dicitur eſſe difficillima. Bart. Bald. Abb. Menoch. *conſ.* 179. *n.* 3. imo a quibuſdam etiam impoſſibilis, uti ab Hoſtienſi & Crayetta *conſ.* 886. *n.* 15. allegante plures: nimirum propter tot conditiones, quas talis conſuetudo requirit, & propter reſiſtentiam, vel poſſeſſionem legis.

TITU-

TITULUS V.

De Poſtulatione Prælatorum.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit poſtulatio, & quomodo differat ab Electione.*
2 *Quinam poſtulare, & poſtulari poſſint.*
3 4 *Poſtulatio requirit ſolemnitates, quas Electio.*

1 POſtulatio, Juridice & huic loco proprie accepta, eſt Capituli vel Collegii, jus eligendi Prælatum eccleſiaſticum habentis, concors petitio, ad Superiorem deſtinata, ut aliquem admittat ad prælaturam eccleſiaſticam, qui propter aliquem defectum de jure communi eligibilis non eſt, licet ceteroquin dignus & habilis ſit. *Concors* erit, ſi ſaltem major pars capitularium conſpiret, & omnes poſtulent, nulli eligant: vel ſi duæ partes tertiæ conſpirent in unum, v. g. ex 15. Canonicis 10. ubi aliqui poſtulationem, aliqui electionem facere intendunt. Poſtulatio eſt duplex, *ſolemnis*, quando quis poſtulatur a Superiore, qui ſuper omni impedimento, quo laborat poſtulatus, diſpenſare poteſt, uti fere ſolus Papa. *Simplex*, quando quis poſtulatur a Superiore, qui ſuper impedimento diſpenſare non poteſt, requiritur tamen ejus conſenſus, ut poſtulatus acceptare poſſit prælaturam; uti ſi Religioſus aſſumatur in Epiſcopum, vel in Prælatum alterius Monaſterii, ubi profeſſionem non emiſit. Poſtquam vero Superior conſenſit, & dedit licentiam, eligi poteſt talis Religioſus ſubditus, non amplius poſtulari; cum nullo laboret alio impedimento,

E 6 ut.

ut ſuppono, juris communis: ſi vero ſuperior nondum dedit conſenſum, poſtulari talis poteſt ac debet a ſuo ſuperiore, nimirum poſtulatione ſimplici. Sed de hac non amplius erit ſermo. Quamvis autem tam *Poſtulatio* quam *Electio* tendant ad eumdem finem, & in *can.* 14. *d.* 63. confundantur, ſecundum jura tamen recentiora in multis differunt; nam 1. Poſtulatio eſt via extraordinaria perveniendi ad Prælaturas, electio autem ordinaria. 2. Poſtulatio ſupponit in poſtulato defectum vel impedimentum Canonicum, in quo tamen diſpenſari non poteſt & ſolet, non electio. 3. Innititur gratiæ, non tamen ita, ut ſuperior non teneatur vi officii poſtulatum admittere, ſi dignus alias ſit: electio autem innititur juſtitiæ, & electus habet jus rigoroſum, ut confirmetur. 4. Poſtulatio *admittitur*: electio *confirmatur* ſecundum terminos juris: interim tamen admiſſio poſtulati habet vim electionis confirmatæ, itaut confirmatione alia opus non ſit. 5. Poſtulantes quamdiu poſtulatio ſuperioris non fuit præſentata, variare, & illam revocare poſſunt, quia præſentato necdum eſt acquiſitum jus: eligentes vero nequeunt revocare electionem factam. 6. Poſtulandus, ſi concurrat cum eligendo, debet habere duas tertias ſuffragiorum: electus vero ſolum unum ſuffragium ultra unam tertiam: hinc ſi ex 24. ſuffragiis 9. conſpirent in eligendum, & 15. in poſtulandum, valet electio *c.* 40. *de Elect.* Aliud eſt, ſi poſtulatio concurrat cum poſtulatione, h. e. ſi omnes poſtulent; tunc enim ſufficit major pars capituli; ſicut, quando electio concurrit cum electione, ſufficit majoritas votorum, & requiritur.

2 Dico 1. Poſtulare poſſunt omnes, & ſoli illi, qui eligere Prælatum. 2. Poſtulari autem ſoli, qui laborant aliquo impedimento Canonico. 3. Non tamen omnes aliquo impedimento laboran-

rantes. Pars 1. colligitur ex *c.* 4. *h.t.* Pars 2. inde, quod per hoc differat poſtulatio ab electione, quod perſona promovenda propter impedimentum elegi nequeat: & hinc dici conſuevit: *nec poſtulandus poteſt eligi, nec eligendus poſtulari*. Poſtulari proin poſſunt ac debent laborantes defectu natalium, ætatis, modo ſint 27. annorum, ſi poſtulentur ad Epiſcopatum: præſcripti Ordinis Sacri: & vinculo ſpiritualis matrimonii ſuis Eccleſiis aliis, quibus præſunt, aſtricti, uti Epiſcopi confirmati, etiam *Titulares*, ut vocant, ſeu in partibus infidelium, carentes Clero & populo. Pars 3. ex *c.* 2. *de Bigamis, c.* 10. *de Renunt. c.* 1. *& Extrav. un. int. com. h.t. &c.* & ex eo, quod in quibuſdam impedimentis non poſſit diſpenſare Superior, uti ſunt impedimenta juris naturalis & divini, vel non ſoleat, quali impedimento laborant bigami: ſpurii in ſenſu canonico, ſeu ex damnato coitu nati: temerarii violatores interdicti: falſarii: ſimoniaci: infames ratione delicti: Religioſi mendicantes ad Eccleſiam Sæcularem Cathedrali inferiorem &c. DD. paſſim.

3 Dico 2. In poſtulatione probabilius ſpectato jure communi obſervari debet forma & ſolemnitas, quæ in *c.* 42. *de Elect.* præſcribitur pro electione. Qualis autem hæc ſit, videre potes *tit. ſeq. n.* 18. Ita Panorm. Innoc. P. Vvieſtn. *h.n.* 23. contra Hoſt. Silv. & Pirh. *h.n.* 31. Laym. variavit. Prob. 1. quia poſtulatio eſt quaſi pars electionis, huic ſubrogata, vel acceſſoria: ſed diſpoſitio juris de uno, in quo alterum continetur velut pars, eſt extendenda etiam ad iſtud alterum: ſubrogatum ſapit naturam ejus, cui ſubrogatur. text. & DD. *in l.* 24. *ff. de mort. cauſ. donat.* & acceſſorium ſequitur ſuum principale, *c.* 42. *de R. J. in* 6. ergo: Prob. 2. Poſtulatio non exigit mino-

rem

rem accurationem & circumſpectionem, quam electio; imo majorem, quia tendit ad promotionem alicujus de jure impediti: ergo eadem, imo major eſt ratio requirendi ſolemnitates juris in poſtulatione, quam in electione: ergo.

4 Dico 3. Qui ſcienter poſtulant indignum: qui repetunt poſtulationem indigni temere factam, & jam ſemel rejectam: & qui in litteris poſtulationis non exprimunt omnes defectus illius, quem poſtulant: hi omnes pro ea vice privati exiſtunt jure poſtulandi, conſequenter & eligendi. Colliguntur hæc ex *c. 1. 2. h. t. & c. 20. de elect.* atque ex paritate cum electione indigni. Interveniente igitur ſententia declaratoria hujus delicti ad innocentes capitulares, utut paucos, qui non conſenſerunt in poſtulationem indigni &c. ſed expreſſe contradixerunt, pro illa vice pertinet proviſio.

TITULUS VI.

De Electione, & electi poteſtate.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit Electio.*
2 3 *Quænam deceat, & oporteat illi præmittere.*
4 *An & qualem tractatum liceat præmittere.*
5 *Quinam ad electionem vocandi ſint.*
6 *An abſentes poſſint conſtituere procuratorem.*
7 8 *Quo tempore & loco facienda ſit electio.*
9 10 *Quinam poſſint eligere ad Prælaturam Eccleſ.*
11 12 *An etiam Laici.*
13 *Quinam poſſint eligi.*
14 *An etiam indignus.*

15 *An*

15 *An iſte, ſi eligatur, licite acceptet prælaturam.*
16 *Eſt obligatio eligendi digniorem.*
17 *Modus eligendi eſt triplex.*
18 *Si fiat per ſcrutinium, requiruntur 5. actus.*
19 *Quid circa hanc formam adhuc obſervandum.*
20 21 *Quid obſervandum in forma compromiſſi.*
22 *Electio debet eſſe libera.*
23 *An & quomodo impugnari poſſit.*
24 *Debet intimari electo intra certum tempus.*
25 *Et ab hoc acceptari, vel repudiari.*
26 *Non tamen ſtatim adminiſtrari prælatura.*
27 *Sed petere debet Confirmationem prius.*
28 *Quid conſequatur per Confirmationem.*
29 *Confirmatus debet petere Conſecrationem, vel benedictionem.*
30 *Quid per illam conſequatur.*

1 ELectio *latiſſime* ſumitur pro quacumque inſtitutione, proviſione, vel aſſumptione Clerici ad Beneficium eccleſiaſticum: *late* autem pro collatione cujuſcumque dignitatis eccleſiaſticæ intervenientibus plurium ſuffragiis, & accedente legitimi ſuperioris confirmatione: *ſtricte* demum & huic loco propriiſſime pro vocatione perſonæ habilis ad dignitatem paſtoralem, ſeu ad prælaturam in Eccleſia aliqua primum facta per ſuffragia capitularium, & ſubſequentem ſuperioris confirmationem. Et hæc definitur eſſe *Canonica vocatio perſonæ idoneæ ad prælaturam vacantem per vota legitimorum electorum, auctoritate ſuperioris confirmanda.* Ita plerique ex *c.* 7. & 42. *h. t.* Per hoc, quod fiat per *vota*, ſeu ſuffragia eligentium, maxime differt a libera collatione, præſentatione, inſti-

inſtitutione, & aliis beneficia acquirendi modis; de quibus agitur in *lib.* III. Votum dicitur etiam *vox*, & eſt duplex, *activa*, quam habet, qui poteſt eligere, & *paſſiva*, quam habet, qui poteſt eligi. Ut ordinate procedamus, dicemus, quæ ante-in-& poſt electionem obſervanda ſunt.

§. I.

De obſervandis ante Electionem.

2 Antequam procedatur ad actualem electionem, decet præmittere preces per civitatem indicendas pro bono Paſtore obtinendo, ipſo autem electionis die cantari Miſſam de Spir. S. in loco electionis ab electoribus recitari hymnum. *Veni Creator Spiritus*, per teſtes vel inſtrumenta doceri, omnes legitime eſſe vocatos, non comparentes de contumacia, prius per unum nomine Capituli accuſata condemnari &c. prout moris eſt in ſingulis Eccleſiis.

3 Quæres, an liceat præmittere *tractatum* aliquem, antequam fiat electio? R. diſtinguendo inter duplicem Tractatum; unus eſt, quo Capitulares prævie tractant & deliberant de una vel pluribus perſonis, quæ præ ceteris dignæ videantur; & quem tenere modum vel formam eligendi placeat adhibere. Et iſte tractatus omnino licitus eſt, non tamen neceſſarius; quamvis enim in electione Summi Pontificis præſcribatur *can.* 1. *d.* 23. de aliis vero electionibus non probatur neceſſitas talis tractatus, licet ex *c.* 30. *h. t.* ubi illius fit mentio, eruatur, quod poſſit præmitti, dum autem in *c.* 55. *eod.* videtur requiri tractatus hujuſmodi, ibi tamen per tractatum intelligitur longe aliud, nempe *collatio* ſuffragiorum, poſt ſcrutinium facienda, quam utique neceſſariam eſſe docebimus infra de

de *Scrutinio in* §. 2. Alter tractatus, qui communiter vocatur *Capitulatio*, eſt, quo Capitulares inter ſe paciſcuntur, ſuper quibuſdam articulis ab eligendo obſervandis circa Eccleſiæ regimen: rerumque & jurium ad eam pertinentium adminiſtrationem. Et iſte tractatus tunc eſt illicitus, imo & invalidus, non obſtante, quod electuri forte juramento firmare intendant, quando per illos articulos præjudicatur vel Eccleſiæ, vel Prælato eligendo, v. g. ſi Capitulares eligendum obligare intendant, ut de ſua menſa aliquos fructus cedat ſibi, vel aliis, aut quando inde minuitur ejus juriſdictio, aut mutuatur Eccleſiæ ſtatus &c. Patet ex *tit. Ne Sede vac.* & ex *Conſt. Eccleſia* ab Innoc. XII. 22. Sept. *1695.* edicta, ubi ſimul adjectum Capitulationi juramentum declaratur irritum, attentantes vero privantur ipſo facto illius rei, cujus cauſa jurarunt, juſſu & commodo, atque cenſuris feriuntur. Ratio autem eſt, quia pacta hujuſmodi præjudicioſa tendunt ad obligationem rei illicitæ, ac SS. Canonibus adverſæ; conſequenter, cum ad illicitum implicet obligatio ſubſiſtere & valere nequeunt, non obſtante juramento, quod pariter nullum eſt jure tum naturali, cum non poſſit vinculum eſſe iniquitatis, tum poſitivo *cit.* Conſtitutionis Innocentii XII. Confirmatur ex eo, quod inferior leges & onera nequeat imponere Superiori: ſed Capitulum per hujuſmodi Capitulationem, futuro Prælato vel Epiſcopo præjudicioſam, id facere attentaret, cum ſit inferius Prælato vel Epiſcopo. Conſuetudo, quæ dicitur paſſim vigere, præmittendi Capitulatione, ſolum tunc & eatenus valet, quando & quatenus non cedunt in præjiudicium Eccleſiæ vel electi.

4 Neceſſarium vero eſt ante electionem ſtatuere,

tuere diem electionis, & abſentes capitulares, jus eligendi habentes, debite vocare (de quo ſtatim) non tamen vivente adhuc priore prælato, vel ante ejus ſepulturam, imo nec ante tertium depoſitionis diem hæc valide fiunt, uti nec ullus tractatus de nova electione *capitulariter* inſtitui poteſt. *Can.7. d.79. c.36. h.t.* Juſtis autem perſolutis præſentes Capitulares capitulariter congregati decernunt diem electioni, eamque abſentibus ſignificant, & ſecundum morem Eccleſiæ ad novam vocant electionem, niſi ex particulari conſuetudine id ad ſolum Decanum, vel Capituli ſeniorem pertineat.

5 Dico 1. Vocandi ad electionem ſunt non modo præſentes, ſed etiam abſentes, *qui debent*, *volunt*, *& commode poſſunt intereſſe*. Textus expreſſus in *c. quia propter* 42. *h.t.* Ratio eſt clara, quia nemo privandus eſt ſuo jure invitus & ſine juſta cauſa: ſed qui *debent* intereſſe electioni, habent jus ferendi ſuffragium; & *ſi volunt* intereſſe, excluduntur inviti: atque ſi *commode poſſunt* comparere, non adeſt juſta cauſa eos excludendi. Unde vocandi non ſunt, qui jure eligendi, v.g. propter cenſuram, privati exiſtunt: qui ſponte ſuo juri renuntiant: qui tam remote diſtant, ut conſideratis locorum & temporis circumſtantiis arbitrio prudentum commode adeſſe nequeant & citra periculum Eccleſiæ, ex diuturna dilatione electionis imminens. Si unus, vel plures, qui vocari debuiſſent, non ſunt vocati, poſſunt agere, ſi velint, de contemptu ad irritandam electionem, licet forte jam a Superiore confirmatam *c.28. 36. eod.* Sed agere debent intra terminum a jure præſciptum pro facienda electione, alias non amplius audiuntur; ſicut illi, qui publico edicto ante confirmationem electionis moniti hanc non impugnarunt; quia cenſentur ſuo juri

re-

renuntiaſſe. Ceterum ſi plures, quam tertia pars electorum, non fuiſſent vocati per contemptum, v. g. ſex de 15. electoribus, electio non irritanda, ſed ipſo jure irrita foret, propter defectum poteſtatis eligendi, quæ reſidet in duabus ſaltem partibus jus ſuffragii habentium; qui volunt & poſſunt eligere, ut cum Abb. docent communiter.

6 Quæres, an abſens, legitime impeditus, poſſit conſtituere procuratorem, qui loco ſui ferat ſuffragium? R. Poteſt, per *c.* 42. *cit.* §. *illud autem*, & quidem vel cum mandato ſpeciali de certa perſona, nomine conſtituentis eligenda: vel cum mandato generali, vi cujus arbitrio procuratoris relinquit perſonæ ſuo nomine eligendæ determinationem, quam nimirum judicat eſſe digniſſimam, ut adeo non poſſit procurator alium ſuo, & alium conſtituentis nomine in hoc caſu eligere, nec alium procuratorem ſibi ſubſtituere; ſicut tamen utrumque poteſt in priori caſu. Debet tamen conſtitui procurator, qui eſt membrum Capituli; nam extraneum, quamvis poſſit; non tenetur admittere Capitulum, *c.* 46. *h. t. in* 6.

7 Dico 2. Tempus, intra quod facienda eſt electio in Eccleſiis Cathedralibus & Regularibus a jure præſcriptum ſunt 3. menſes a die notæ vacationis, & juſto impedimento ceſſante *c.* 41. *h. t.* In aliis Eccleſiis autem, Dignitatibus, & Beneficiis tam electivis quam collativis, ſunt 6. menſes, per *c.* 2. *de conceſſ. præb. c.* 26. *h. t. in* 6. & ſi electus iterum renuntiet, vel ante confirmationem moriatur, rurſus incipit de novo dictum tempus. Cur autem minus tempus in Eccleſiis Cathedralibus & Regularibus ſit præſcriptum, ratio eſt; quia in his Prælati obtinent juriſdictionem ordinariam & generalem, etiam fori externi, in Clericos & Religioſos, alioſque ſubditos, non vero

(de

(de jure communi) inferiorum Eccleſiarum Prælati & Rectores, ac proinde majus in illis, quam in his, ex diuturniore vacatura immineret periculum damni. Quod ſi intra trimeſtre (vel ſemeſtre) ceſſante legitimo impedimento non fieret electio, aut proviſio, jus eligendi, aut providendi, pro illa vice amitteretur ipſo jure, & ad proximum Superiorem devolveretur, cujus nimirum eſt confirmare electum.

8 Dico 3. Locus, intra quem fieri debet electio, eſt ambitus Eccleſiæ ſuo paſtore viduatæ, nimirum locus Capituli, vel Chorus, vel aliud honeſtum conclave juxta cujuslibet Eccleſiæ conſuetudinem, niſi gravis cauſa aliud exigat, *c.* 28. *h. t.* Secus ſi fieret, electio vel eſſet irrita, vel ſaltem irritabilis, utpote facta contra SS. Canones per *c.* 18. *h. t. in 6.*

9 Dico 4. Eligere Prælatum Eccleſiaſticum de Jure Communi Recentiori poſſunt, ſeu vocem activam obtinent, ſoli Capitulares Eccleſiæ vacantis, nimirum Canonici in Sæcularibus, Religioſi in Regularibus Eccleſiis. *Can.* 3. 4. *cauſ.* 18. *q.* 2. *c.* 8. *de conſuet. c.* 1. *c.* 14. *h. t.* Unde Clerici, vel Beneficiati, vel Regulares, qui non ſunt de *Capitulo* vel *Conventu*, quibus vocibus intelligitur collegium Clericorum vel Religioſorum communi ſigillo utentium, & communem Syndicum conſtituere valentium, *arg. c.* 14. *de Exceſſ. Præl.* jus eligendi non habent. Dixi 1. *de jure communi*; nam jure ſpeciali vel extraordinario privilegii, conſuetudinis, præſcriptionis, fundationis aut unanimis electorum conſenſus, etiam aliis competere poteſt. 2. *Recentiori*: nam ſecundum antiquiores canones per alios quoque ſolebant conſtitui Prælati & Epiſcopi, ſicut hodie in quibuſdam provinciis nominari a Regibus & Imperatore. 3. *Eccleſiæ va-*

vacantis; unde Capitulares aliarum Eccleſiarum, tamquam extranei, non admittuntur per ſe.

10 Dico 5. Non tamen omnes capitulares ſemper ſunt admittendi ad electionem, quos nimirum jus vel inhabiles reddit, uti 1. impuberes, 2. nondum initiatos Ordine Subdiaconatus, 3. excommunicatos, ſuſpenſos ab officio, perſonaliter interdictos (nimirum non toleratos, vel toleratos quidem, ſed per exceptionem repulſos) 4. temere violantes interdictum locale per celebrationem Miſſæ, 5. abſentes ſine legitimo impedimento, quibus nec permittitur conſtituere Procuratorem &c. Sumuntur hæc ex *c.* 32. *h. t. in 6. Clem.* 2. *de ætat. & qualit. cum Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 4. *de ref. c. un. ne Sede vac. in 6. c.* 18. *de ſent. excom. in 6. c.* 42. *h. t.* &c. Vel quos privat jure eligendi, ſaltem pro una vice, propter delicta, vel negligentiam, uti ſunt 1. qui ſcienter poſtulant, vel eligunt indignum. 2. Qui ad Epiſcopatum ſcienter poſtulant minorem 27. annis. 3. Qui eligunt per abuſum ſæcularis poteſtatis contra libertatem eccleſiaſticam, h. e. qui ſcienter & ſponte petunt vel admittunt laicos ad coeligendum, vel immiſcentes ſe electioni cum auctoritate & intereſſentes tolerant. 4. Qui præſcripto tempore non perficiunt electionem. 5. Qui eam attentant contra formam in *c.* 42. *h. t.* præſcriptam. Habentur hæc *c.* 1. *de poſtul. Præl. juncto c.* 7. *n. & in 6. h.t. Extrav. un. h.t. int. Comm. c.* 41. *c.* 42. 43. 56. *eod.* Porro ſi aliqua tantum capituli pars (etiam major) privetur propter hujuſmodi delictum jure eligendi, iſtud manet adhuc penes reliquos innocentes.

11 Quæres an laici eligere poſſint Prælatum eccleſiaſticum? R. Secluſo privilegio Summi Pontificis ſpeciali ſunt ita inhabiles, ut alio modo (nimi-

mirum conſuetudine, præſcriptione, conſenſu eligentium, vel inferioris Prælati) ad id habilitari nequeant. Ita Catholici contra Hæreticos, qui pertinaciter contendunt, populo competere jus eligendi paſtores ſuos jure divino. Sumitur ex *c.*1. 43. 51. *h. t.* Ratio; quia jus eligendi Prælatum Eccleſiaſticum eſt jus ſpirituale, ſeu jus tractandi negotium ſpirituale, quo nimirum agitur de perſona promovenda ad curam animarum, ad ſalutem æternam ac ſupernaturalem adducendarum: ſed Laici *c.* 2. *de Judic.* pronuntiantur inhabiles ad tractanda negotia ſpiritualia, itaut nec poſſeſſionis vel quaſi hujuſmodi poteſtatis ſint capaces: ergo. Nihil tamen impedit, quo minus laici tamquam protectores, vel teſtes, vel notarii intereſſe electioni valeant, aut vi privilegii etiam tamquam Principum ſæcularium Commiſſarii, uti in Bavaria vi Concordatorum, cum Pontifice initorum, interſunt electionibus Prælatorum, maxime Regularium.

12 *Objic.* 1. Laici ſunt capaces juris præſentandi Clericos ad beneficia eccleſiaſtica: ergo & juris eligendi ad Prælaturas eccleſiaſticas; cum illud ſit æque ſpirituale ac iſtud, & tendat ad ſimilem finem. 2. Quidquid acquiri poteſt per privilegium, etiam acquiri poteſt per conſuetudinem & præſcriptionem immemorabilem, ut habet commune brocardicum ex *c.* 26. *de V. S.* deſumptum: ergo jus eligendi laicis acquiri poteſt etiam per conſuetudinem vel præſcriptionem. 3. Electio Epiſcoporum olim fiebat non a Clero tantum, ſed etiam a populo, *can.* 13. 18. 34. *d.* 63. Id quod S. Cypr. *ep.* 68. dicit eſſe traditionem Divinam & Apoſtolicam: ergo. R. Ad 1. *N. conſ.* quia ad jus præſentandi Papa univerſaliter habilitavit laicos *c.* 1. 2. 7. 10. 25. *de Jurepatr.* *c. fin. de conceſſ. præb.* non vero generaliter habilitaſſe legi-

legitur ad jus eligendi. Ad 2. Illud axioma limitandum eſt ſic: niſi jus reſiſtat conſuetudini vel præſcriptioni, & acquirere volentem reddat poſſeſſionis incapacem, uti laïcos reddit incapaces quoad jura ſpiritualia. Ad 3. Populus quidem olim interfuit electionibus Epiſcoporum, at non dando ſuffragium, vel eligendo, ſed vel poſtulando, vel nominando aliquem a Clero poſtea eligendum, vel ferendo teſtimonium de qualitatibus eligendorum, vel conſentiendo in electionem a Clero factam *c.* 1. *d.* 62. *can.* 12. 26. *d.* 63. Et hoc, non plus voluit S. Cyprian. per *traditionem Divinam & Apoſtolicam* non intelligendo præceptum Divinum aut Apoſtolicum, ſed uſum & morem, quo tum in Veteri Teſtamento, tum in Novo (ex gratuita Apoſtolorum & Pontificum permiſſione) electionibus interfuit populus.

13 Dico 6. Eligi poſſunt, ſeu vocem paſſivam obtinent omnes & ſoli digni, *c.* 7. *h. t.* *x. c.* 7. *&* 37. *eod. in* 6. Per *dignos* intelliguntur, qui nullo impedimento juris naturalis, uti infantes, amentes, & rationis uſu deſtituti, vel juris divini, uti feminæ, vel juris Eccleſiaſtici, uti legitimis natalibus aut ætate carentes, laborant. De jure eccleſiaſtico autem multi ſunt indigni & ineligibiles redditi, nim. 1. vel propter *defectum*, uti carentes debita ætate, nempe 30. annorum in ordine ad Epiſcopatum, & 25. annos nondum ingreſſi in ordine ad inferiores Dignitates, & Parochias: illegitimi, illiterati, & ad Epiſcopatum, qui in Theologia vel jure canonico licentiati aut Doctores non ſunt, vel ſaltem teſtimonio alicujus Academiæ non judicantur idonei ad alios docendos: debito Ordine Sacro non initiati: Neophyti Novitii in ordine ad Prælaturas Regulares: &

qui.

quicumque irregulares ex aliquo defectu. 2 Vel propter *delictum*, uti conſentientes in ſui electionem per abuſum Sæcularis poteſtatis: ambitioſi, qui nempe in ſui electionem, ut jam factam conſenſerunt ante formatum & publicatum communis electionis decretum: intruſi, h. e. qui ſine titulo & canonica inſtitutione prælaturam, vel aliud beneficium propria auctoritate accipiunt, vel retinent: ſimoniaci, ac univerſim infames propter crimen notorium, ſive infamia juris ſive facti ſit, *c.* 43.46. *h.t.c.* 5. *eod. in* 6. *c.* 23. 27. 33. *Extrav.* 2. *de ſimon. int. comm. c.* 11. *de exceſſ. Præl. cum*, *c.* 87. *de R.J. in* 6. Denique 3. vel propter *Cenſuras*, uti excommunicati quicumque (etiam tolerati, quia per tolerationem ipſis cenſuratis nullum voluit præſtare commodum Mart. V. *in Extrav. Ad evitanda*) ſuſpenſi, etiam a beneficio tantum: perſonaliter interdicti: violatores interdicti localis per celebrationem Miſſæ *c.* 7. *& fin. de Clerico excom. c.* 8. *de conſuet. c.* 18. *de ſent. excomm. in* 6. Quo etiam referendi ſunt omnes irregulares ex delicto; quamvis enim non extet textus generaliter loquens de omnibus irregularibus, ratio tamen id evincit; quia nullus irregularis eſt habilis ad officium adminiſtrandum: beneficium vero (uti & Prælaturæ Eccleſiaſticæ) datur propter officium, *c. fin. de Reſcr. in* 6. Adſtipulatur communis DD. ſenſus.

14 Quæres, an electio indigni irrita ſit ipſo jure? R. 1. affirmat. ſi ſint indigni & ineligibiles ex defectu, cum tales debeant poſtulari, & electio poſtulandi ſit irrita, *c.* 20. *h.t.* vel ſi ratione cenſurarum: propter jura citata (excepta excommunicatione minore) R. 2. Si ex delicto ſint ineligibiles, tunc, quando nullitatem exprimit jus, ut apud intruſos, ſimoniacos, & infames, R. 3. Idem

eſt

eſt de irregularibus ex delicto: irritanda tamen erit electio, ubi irritatio ipſo jure non eſt ſtatuta in taliter irregulares; quia ſuperior electionem contra juris prohibitionem factam confirmare nequit *arg. c.* 1. *de ætat. & qualit.* Quamvis Pontifex diſpenſative poſſit admittere.

15 Petes ulterius, an indignus propter defectum vel impedimentum juris humani, cujus electio pro foro externo eſt irrita, licite acceptet, vel retineat Prælaturam, vel aliud beneficium? R. Si impedimentum eſt occultum, & electus per exceptionem vel ſententiam non repellitur, affirmative. Ita enim in ſimili propter defectum formæ ſubſtantialis a jure humano *c.*42. *h. t.* introductæ reſpondet P. Vvieſtn. *h. t. nu.* 191. cum Innoc. Panorm. Fel. Jo: Andr. Silv. Navar. Laym. Paſſer. Pirhing. *h. nu.* 101. contra Suar. Barb. & alios magni nominis DD. Probatur illis argumentis, quibus ad *Tit. II. de Conſtit. n.* 33. probatum eſt, actum ſimpliciter a jure irritatum non hoc ipſo nullum eſſe pro foro interno; ac ſimul inde, quod non reperiatur lex prohibens acceptationem & retentionem prælaturæ vel beneficii, ſi indignitas fundetur ſolum in jure humano. Jus quidem prohibet electoribus, ne eligant indignum, ſed non adimit vocem activam, licet paſſivam auferat indigno, & faciat ineligibilem, ſed ordinarie tantum pro foro externo, ubi nempe electionem non irritat ſimul etiam pro foro interno.

16 Dico 7. Licet valide eligatur dignus, non tamen licite; ſed eſt obligatio per ſe gravis eligendi digniorem ad prælaturas eccleſiaſticas, ſicut & ad beneficia curata. Trid. *ſeſſ.* 6. & *ſeſſ.* 24. *c.* 1. *de ref.* Dixi 1. *per ſe* nam a peccato, ſaltem mortali excuſantur electores, ſi modicum ſit diſcrimen inter dignum & digniorem: ſi dignior utilius occupe-

tur, vel reſervetur ad aliam Prælaturam vel beneficium brevi vacaturum: ſi dignior non credatur diu permanſurus in prælatura vel beneficio: ſi non ſatis ſit certum, & manifeſtum, quis ſit dignior. Dixi 2. *digniorem*, per quem intelligitur ille, qui penſatis omnibus creditur utilior fore Eccleſiæ; quam majorem dignitatem pro varietate circumſtantiarum facere poteſt modo major probitas vitæ, modo major zelus animarum, modo major ſcientia, modo major dexteritas agendi & prudentia, modo major nobilitas & potentia, qualis eſt apud Magnatum & Principum filios.

§. II.

De obſervandis in ipſa electione.

17 Præcipue eſt obſervandus modus & forma eligendi, quem præſcribit *c. quia propter*, 42. *h.t.* deſumptum ex Conc. Lateran. cujus tenor ſic habet: *quia propter diverſas electionum formas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Eccleſiis viduatis: ſtatuimus, ut, cum electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commode intereſſe, aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecrete & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi: nullo prorſus appellationis obſtaculo interjecto: ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major & ſanior pars Capituli conſentit. Vel ſaltem eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Eccleſiæ viduatæ provideant de Paſtore. Aliter electio facta non valeat: niſi forte communiter eſſet ab omnibus, quaſi per inſpirationem, abſque vitio celebrata. Qui vero contra præſcriptas formas eli-*

gere

gere attentaverint, eligendi ea vice poteſtate priventur. Ex quo textu apparet, tres formas electionis approbari. 1. Quæ fit per ſecretam votorum collectionem, factam a tribus ad id prius electis, ac denuntiationem illius, in quem major pars conſpiraverit; & vocatur *Scrutinium*. 2. Quæ fit per commiſſam viris idoneis poteſtatem; & appellatur *Compromiſſum*. 3. Quæ fit per unanimem omnium electorum, nullo præcedente tractatu, conſenſionem in unum; & dicitur *quaſi inſpiratio* Divina, eo quod aliquo modo ſimilis ſit veræ inſpirationi divinæ per revelationem ſpecialem, quo modo S. Nicolaus, & S. Ambr. olim non ſine prodigio fuerunt electi in Epiſcopos. Una ex dictis formis neceſſario adhiberi debet juxta præſcriptum *d. c.* 42. itaut alias electio non valeat, & eligentes pro illa vice amittant (per ſententiam tamen præviam) jus eligendi. De *quaſi inſpiratione* Divina, quia rara eſt, &, ſi contingat, difficultatem non habet, nihil ulterius dicendum, bene tamen de *Scrutinio*, & *Compromiſſo*. Itaque

18 Dico 1. Ad formam ſcrutinii per *c. cit.* requiruntur 5. actus ſine morali interruptione ſeſe conſequentes hoc ordine. 1. *Electio ſcrutatorum*; qui quidem ab omnibus electoribus capitulariter congregatis ex ipſo gremio, non plures vel pauciores, quam tres, eligi quocumque modo prius deberent ad colligenda, & fideliter annotanda, atque conferenda, pronuntiandaque vota; per conſuetudinem tamen introduci poteſt, ut electio ſcrutatorum non pertineat ad totum collegium, ſed ad quoſdam tantum digniores collegii; ſicut probabile eſt numerum augeri vel minui poſſe, ubi collegium vel magis vel minus eſt numeroſum, item extraneos qui non ſunt de gremio, aſſumi, modo clerici ſint. 2. *Secreta Suf-*

fragiorum Collectio, quam facere debent ſcrutatores; hi enim a ſingulis, itaut reliquis non innoteſcat, cui quis dederit ſuum ſuffragium, exquirere debent vota, ſive ſcripto per ſchedam clauſam ſive per vivam vocem, ſive alio modo data, explorando etiam (ſi viva voce dentur) quo zelo & ob quæ merita dentur, eaque ſtatim annotare ſcripto per ſe vel per tabellionem, nempe tum ad faciliorem memoriam, tum ad probationem. Ipſi autem ſcrutatores, ſi ſint de collegio, & voce activa prædıti, vel ſtatim initio, vel ſaltem poſt receptum votum illius, qui collegio præeſt, a ſe ipſis mutuo excipere debent. 3. *Publicatio ſcrutinii*; dum nempe unus ſcrutatorum collecta ſecreto ſuffragia ſtatim manifeſtat (nam collectio ſecreta votorum juxta etymologiam ſuam vocatur *Scrutinium*) an vero publicandus tantum ſit numerus votorum & eligentium, v. g. dicendo; *vota, quæ a DD. Capitularibus exquiſivimus, ſunt univerſim* 24. vel etiam exprimendum, in quot, & quas perſonas vota colliment, pendet ex conſuetudine locorum. Mihi utilius fieri ſecundum videtur. Facta hac publicatione ſcrutinii electores functi ſunt ſuo officio, itaut, quatenus ſunt perſonæ ſingulares, non amplius habeant, quod agant, nec mutare ſuum votum valeant, vel accedere alteri parti, quæ plura tulit ſuffragia, nondum tamen ſufficientia ſeu abſolute majora, & ſic ejus electionem complere *per acceſſum*, ut vocant, *c.* 58. *h.t.* quamvis acceſſus locum habeat in electione Summi Pontificis, & Abbatiſſarum, *c.6. h.t. c.*43. *eod. in* 6. Poſſunt tamen electores (ſi electio eſt facta in diſcordia, h. e. ſi vota fuerunt ita diſperſa in plures, ut nullus tulerit ad canonicam electionem ſufficientia) vel ad novum ſcrutinium procedere, vel in alios communi conſenſu compro-

mit-

mittere, qui ſoli eligant. 4. *Collatio Suffragiorum*, nimirum *numeri ad numerum*, ut appareat, quis a majori parte ſit electus: *zeli ad zelum*, ut appareat, quis a ſaniori parte electus ſit: & *meriti ad meritum*, ut, ſi duo concurrerent, appareat, quis eorum ſit dignior. Interim major pars præſumitur etiam ſanior, niſi clare appareat, vel oſtendatur, electum a majori parte eſſe indignum ſeu inhabilem, vel majorem partem eſſe muneribus corruptam &c. *c.57. h.t.* Quod ſi probaretur, præferendus foret electus a minori & ſaniori parte, *c. 22. eod.* cum tali caſu totum jus & poteſtas eligendi fuiſſet penes partem minorem. Ut autem aliquis cenſeatur eſſe electus per *majora*, ſeu *canonice*, debet habere *abſolute majora* reſpectu totius capituli & omnium ſuffragia ferentium, & non tantum *comparative majora* habito reſpectu ad coelectos, quibus etiam aliqua vota obtigerunt. Seu debet habere ultra medietatem votorum, comparatione facta ad eligentes, non ad coelectos, *cap. 55. eod. & c. 23. in 6.* Unde ſi electores 24. tuliſſent ſuffragia, 13. deberent conſpirare in unum. 5. *Decretum electionis communis*, quod mox formari debet, & ſolemniter promulgari, ſi quis ſufficientem ſortitus eſt numerum votorum. Nempe quærendum eſt ex capitularibus, an placeat electum publicari? ſi reſpondeant, *placet*, communis electio eſt *decreta*, proin qui prius e ſingulis, nunc eſt *communiter* electus ab omnibus. Et hæc electio communis, ſeu decretum ſolemniter promulgari debet, ſeu is publicari, qui fuit canonice electus, verbi gratia in hunc modum: *Ego NN. nomine meo, & eligentium, mihique conſentientium, invocata gratia Spiritus S. in Epiſcopum hujus Eccleſiæ N. eligo, & electum coram vobis pronuntio*

(hic ponitur nomen electi) *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Sufficit quidem hanc publicationem fieri coram ſolis capitularibus, modo non occultetur populo: expedit tamen, ut etiam ex loco publico denuntietur populo. Debet autem promulgatio fieri ab uno, ſive is ſit Præſes capituli, ſive unus ex ſcrutatoribus, ſive alius ad id conſtitutus a capitulo, nomine omnium, *c. 21. eod. in 6.*

19 Circa hanc formam notandum adhuc eſt 1. quod electio Summi Pontificis multa habeat ſpecialia, quæ, quia nullum apud nos uſum habent, omittuntur ſine diſpendio. Id tamen obſervo, quod Summo Pontifici, præciſe adhuc a Cardinalibus electo, nullum impedimentum vel defectus juris eccleſiaſtici opponi poſſit, niſi tale quid ſit, quod tollat ſubſtantiam & libertatem electionis. Si vero electioni Cardinalium jam acceſſit acceptatio Eccleſiæ, quæ eſt ultimata & abſoluta electio, ac quaſi confirmatio prioris, nullum prorſus impedimentum juris humani eidem opponi poteſt, cum ſanet omnes defectus tam electionis quam electi ex jure humano deſcendentes Utrum vero opponi poſſit impedimentum juris divini aut naturalis, qualia ſunt, non eſſe marem, non eſſe baptizatum, vel manifeſte eſſe hæreticum, diſputatur. Quidquid tamen ſit, ſive Deus permittere poſſit, ut eligatur tali impedimento laborans, ſive non, certum tamen eſt, quod Deus etiam talem Pontificem putatitium (ſi poſſibilis eſſet) deberet reddere *infallibilem*, ſuppoſito, quod aliquid definiret, vel præciperet toti Eccleſiæ. Notandum 2. quamvis electiones Prælatorum & Præfectarum Regularium regulandæ ſint ſecundum præcepta juris canonici, niſi aliud præſcribant ſtatuta Ordinum vel Monaſterio-

rum,

rum, privilegia, aut conſuetudines, non tamen ita ſcrupuloſe & quoad omnes apices obſervandum eſt *c.* 42. *cit.* ut cum aliis monet P. Vvieſtn. *h. t. n.* 222. Inſuper jus canonicum aliqua ſpecialiter ordinavit circa electiones Regularium, uti in ſpecie Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 6. *de Regular.* ubi vetuit, ne ***unquam publicentur eligentium nomina*** tam in ipſa electione, quam poſtea, tam ab ipſis eligentibus, quam a ſcrutatoribus. Secus ſi fiat, electio tamen non ſemper eſt invalida, ſed tunc tantum, quando ante electionem vel major pars eligentium, vel unus cum conſenſu majoris partis manifeſtat ſuum ſuffragium, vel quando ex propalatione unius ſuffragii promoveri poſſe judicatur electio certæ perſonæ, ut notant DD. Plura tamen ſpecialia de electione Abbatiſſarum & Prioriſſarum in jure ordinata reperiuntur, uti 1. quod eligenda debeat eſſe virgo, ſaltem communiter exiſtimata, 40. annos egreſſa, & per 8. annos poſt profeſſionem laudabiliter verſata, niſi tantæ ætatis, quæ digna foret, non reperiretur, tunc enim 30. ætatis, & 5. anni profeſſionis poſſent ſufficere. 2. Quod electa per diſcordiam debeat habere duas tertias, ſaltem per acceſſum, qui in his permittitur, quando electa jam ſemel obtinuit majora abſolute. 3. Quod contra electam in diſcordia, etiamſi per acceſſum ſortita duas tertias, & jam confirmata & benedicta ſit. Moniales adhuc agere poſſint vel per denuntiationem vel per accuſationem, ſi velint &c. vid. *c.* 43. *h. t. in* 6.

20 Dico 2. Ad formam compromiſſi requiritur 1. ut in hunc modum conſentiant omnes & ſinguli electores nemine diſcrepante per *c.* 29. *de R. J. in* 6. ibi: ***quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.*** Sed in compromiſſo res tangit omnes & ſingulos capitulares, quia agitur de vocis

 acti-

activæ uſu, quo nullus invitus privari debet; 2. Ut compromiſſarii, ſeu in quos compromittitur, & transfertur poteſtas eligendi (ſive ſint de gremio, ſive extranei; nam & extranei aſſumi poſſunt, *c. 8. h.t. runit. junct. gl. v. contulerint*) accurate obſervent modum ſibi præſcriptum; ſiquidem ipſis committi poteſt vel *abſolute* poteſtas eligendi quemcumque idoneum, & tunc etiam extraneum poſſunt eligere, & modum eligendi, quemcumque voluerint, tenere: vel *limitate*, ut nempe adhibeant prius unius vel plurium conſilium: aut ut eligant illum, quem requiſitis ſecreto ſingulorum capitularium votis a majori parte invenerint nominatum: qui ultimus modus participat aliquid de ſcrutinio, & ideo *miſtus* eſt, approbatus tamen *c. 32. h.t.* aut denique ſic, ut nullus ex compromiſſariis eligatur; nam ſi non expreſſe capitulum prohibeat, poſſunt compromiſſarii (ſi plures ſint conſtituti, & non unus tantum, uti fieri poſſet) unum ex ſe ipſis eligere, per *c. 30. eod. in 6.* cum officium ſuum nemini debeat eſſe damnoſum: imo compromiſſarius, poſtquam ab uno vel pluribus collegis ſuis ſe electum eſſe novit, ſibi ipſi dare ſuffragium, ſuique electionem complere permittitur *c. 33. h.t.* modo non utatur verbis: *eligo*, vel, *coeligo meipſum*, ſed his, *conſentio alterius voto*, vel, *electioni de me factæ*; talis enim non proprie eligit ſe ipſum, nec oritur a ſe ipſo, nec judicat vel teſtatur in propria cauſa, & de ſua dignitate, ſed potius aliorum de ſe Judicium & teſtimonium approbat, eorumque ſuffragium acceptat conſentiendo & accedendo. Nec eſt paritas cum ſcrutinio, in quo nulli conceditur ſuum ſibi dare ſuffragium; quia in hoc nullus ſcit, an ab uno vel pluribus jam tulerit ſuffragium, cum vota dentur ſecreto; in compromiſſo autem dentur

tur audientibus compromiſſariis. 3. Requiritur, ut ex compromiſſariis conſpiret abſolute major pars; ſicut in ſcrutinio per *c.* 23. *eod. in* 6. v. g. ex tribus duo, ex quinque tres: & hinc conſultum eſt, ut compromiſſarii numero impares conſtituantur, ne ſuffragiorum æqualis prodeat numerus, & ſic fruſtretur compromiſſum, 4. ut fiat electio communis, ab uno ex compromiſſariis promulganda, *c.* 21. *eod. in* 6. ſicut in ſcrutinio decretum electionis commune, ab uno promulgandum nomine omnium, dicendo in ſingulari, *ego* &c. (non *nos*) *eligo* &c.

21 Circa hanc formam notandum adhuc, quod compromiſſum finiatur 1. per revocationem re adhuc integra factam, h. e. antequam ullus tractatus de certa perſona eligenda inchoatus, vel nominatio facta ſit. 2. Per lapſum temporis a capitulo vel jure præſcripti. 3. Per factam electionem, etiamſi hæc non ſortiatur effectum, v. g. ſi electus non acceptet, vel renuntiet iterum juri ſuo, ſi elegerint indignum, ſive ſcienter ſive ignoranter *c.* 30. 41. *x.* 37. *eod. in* 6. Et in his caſibus jus eligendi redit iterum ad capitulum.

22 Dico 3. Electio debet eſſe libera a vi & metu, itaut, ſi extorqueatur gravi metu inſtigante ad certam aliquam perſonam eligendam, ipſo jure ſit nulla *c.* 14. *h. t.* & excommunicationem ipſo facto incurrant, qui vexant, vel vexari mandant eos, qui non eligunt certam perſonam, quam ipſi volunt, *c.* 12. *eod. in* 6. & ibi Gloſſa. Quod etiam extenditur ad extorquentes poſtulationem, confirmationem, inſtitutionem certæ perſonæ; quia hæc lex eſt favorabilis Eccleſiarum libertati.

23 Dico 4. Qui ſciunt aliquod impedimentum electi, vel notarunt, formam electionis non rite obſervatam eſſe, poſſunt vel ipſo electionis actu durante, vel eo finito, contra eam proteſtari,

vel appellare ad ſuperiorem, aut ad Summum Pontificem; *c.* 22. *h. t.* Appellans tamen debet opponenda in inſtrumentum publicum redigere, eique inſerere juramentum coram perſonis authenticis præſtitum, quo juret, ſe vera credere, & ſe probare poſſe, quæ objicere cogitat: item, ſi appellat ad Papam, intra menſem a die appellationis interpoſitæ vel per ſe vel per procuratorem iter Romanum aggredi &c. Vid. *c.* 1. 4. 11. 19. 20. 38. 41. *eod. in* 6. *cum Clem.* 4. *eod.*

§. III.

De obſervandis poſt electionem.

Hæc præcipue ſunt 5. nimirum 1. intimatio, 2. acceptatio electionis, 3. petitio confirmationis, 4. ipſa confirmatio electi, 5. ejuſdem confirmati conſecratio, vel benedictio. Accidentalia, uti deductio electi ad Eccleſiam, inthronizatio ſeu collocatio electi in throno Epiſcopali, cantatio Hymni Ambroſiani *Te Deum laudamus &c.* relinquuntur cujuslibet Eccleſiæ conſuetudini.

24 Dico 1. Electionem canonice factam debent, ſecluſo impedimento, ſaltem intra 8. dies electores intimare electo, hujuſque conſenſum petere ſub gravibus pœnis, *c.* 16. *h. t. in* 6. nempe privationis poteſtatis proſequendi electionem, & ſuſpenſionis triennalis.

25 Dico 2. Electus tenetur intra menſem, ab intimata ſibi electione numerandum, eam acceptare, vel illi renuntiare, ita, ut, ſi intra hoc tempus non acceptet, omne jus per electionem quæſitum amittat, *c.* 6. *eod. in* 6. Si renuntiaret, poſſet tamen intra illum menſem, ſi electores interea non proceſſerint ad alium eligendum, mutare mentem & acceptare, ſicut ſemel acceptatam electionem iterum repudiare pro arbitrio, ſuo.

ſuo. Per *menſem* intelliguntur tot dies, quot habet ille menſis, quo fuit intimata electio: proinde, ſi aliquot dies tempore intimationis jam fluxiſſent de menſe, ſuppleri deberent ex diebus ſequentis menſis, *arg. c. 2. de ſuppl. negl.* Id quod etiam intelligendum monent DD. de aliis caſibus, in quibus de jure conceditur unus vel plures menſes. Ceterum electus, qui laborat impedimento juris humani tantum, eoque occulto, probabiliter licite acceptat prælaturam, ut §. *præced.* jam dictum; quia non ſufficienter probatur obligatio, admodum difficilis, vel ſe ipſum diffamandi defectum ſuum prodendo, vel carendi prælatura & honore per electionem delato. Quamvis autem per acceptationem acquirat electus majus jus, quam conſecutus eſt per electionem canonicam, vi cujus electores non poterant recedere ab electione, & alium eligere, cum per acceptationem accedat conſenſui Eccleſiæ tamquam ſponſæ per electores expreſſe conſenſus electi tamquam ſponſi, & ſic quaſi ſponſalia de futuro inter ipſum & Eccleſiam conſtituantur; illud tamen necdum eſt jus in re; & quaſi dominium in prælatura, ſed ſolum jus ad rem adhuc, licet magis perfectum & auctum, per *c. 3. h. t. & c. 16. de accuſat.* nam ſponſalia de futuro tribuunt non jus in re, ſed jus ad rem dumtaxat. Unde

26 Dico 3. Electus etiam poſt acceptatam electionem regulariter non obtinet poteſtatem adminiſtrandi Eccleſiam tam in temporalibus quam in ſpiritualibus, quamdiu non eſt confirmatus, ita ut, ſi ſe ingereret, etiam ſub titulo œconomi tantum, vel procuratoris &c. per ſe vel per alium, in adminiſtrationem, v.g. recipiendo cenſus, debita, homagium &c. judicando, excommunicando, a cenſuris abſolvendo &c. amitteret ipſo facto

(accedente tamen ſententia declaratoria) jus per electionem ſibi quæſitum, ejuſque geſta eſſent reſcindenda, *c.9. c.17. h.t. c. 5. eod. in 6. & Extrav. 1. int. com. eod.* Interim tamen in *c.* 44. *§. ceterum h. t.* conceditur Epiſcopis *in concordia* electis (quibus nempe nihil opponitur) multum diſtantibus Roma, & extra Italiam exiſtentibus, ac Romæ confirmandis, adminiſtratio ante obtentam confirmationem : qua tamen indulgentia Epiſcopi Germaniæ non uti ſolere dicuntur.

27 Dico 4. Electus tenetur intra 3. menſes, a conſenſu in electionem computandos, petere confirmationem a legitimo ſuperiore: alias enim privatur jure per electionem acceptatam quæſito, *cap. 6. h. t. in 6.* Imo Epiſcopi & Prælati Regulares; quorum confirmatio ſpectat ad Sedem Apoſtolicam, deberent perſonaliter (niſi juſta cauſa excuſaret) venire Romam, & intra menſem primum arripere iter Romanum, *c.44. cit. c. 16. eod. in 6.* Epiſcopi tamen Germaniæ ſatisfaciunt, ſi totum electionis, & examinis (nam ſuper quibuſdam qualitatibus prius examinandi ſunt Epiſcopi, & Prælati promovendi) proceſſum mittant Romam. *Conſtit. Onus Apoſtolicæ* Gregor. XIV. Dixi 1. *tenetur*; nam confirmatio eſt neceſſaria, *c. 3. & 7. h. t.* niſi per privilegium ſit remiſſa, uti apud Generales & Præpoſitos Ordinum Mendicantium, vel per conſuetudinem, uti apud inferiores Dignitates, v. g. Decanatum electivum introduci poteſt, abrogata. Sicut autem electus petere, ita viciſſim ſuperior dare regulariter tenetur confirmationem, ſi nempe electus ſit dignus, & electio valida, *c. 3. cit.* Dixi 2. *a legitimo ſuperiore*, ſcilicet illo, cui immediate ſubjecta eſt Dignitas vel Eccleſia electiva per *can. fin. d. 64. c. 32. h. t.* Epiſcopi tamen Germaniæ con-

confirmandi ſunt a Summo Pontifice, ut concordata Germaniæ diſponunt.

Antequam vero petatur confirmatio, citandi ſunt contradicere volentes, & quidem, ſi adſit coelectus, vel alius electioni ſe opponens, nominatim, ad agendam cauſam; ſi vero nullus talis adſit, & electio facta in concordia, per edictum generale valvis Eccleſiæ affixum peremptorie & ſimul aſſignato die, quo comparere debeant contradicere volentes: ſecus confirmatio eſt ipſo jure irrita, *c. fin. h. t. in 6.* Antequam vero ſuperior det confirmationem, debet diligenter inquirere in electi qualitates, quas intelliget ex teſtimonio Epiſcopi examinantis, vel electo diu conviventium, & in formam electionis adhibitam, quam cognoſcet ex decreto vel inſtrumento electionis, *c. 3. 19. 40. 44. h. t.* Trid. *ſeſſ. 22. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 1. de ref.* Si electum deprehendat indignum, debet repellere, ſi electionis formam non debite obſervatam eſſe advertat, caſſare electionem ſub pœna privationis juris confirmandi proximum ſucceſſorem, *c. 44. cit.*

28 Dico 5. Confirmatus per confirmationem conſequitur 1. jus in re, ſeu quaſi dominium in prælatura; imo per eam conjugium ſpirituale inter ipſum & Eccleſiam fit *Ratum*. 2. Poteſtatem plenæ adminiſtrationis & juriſdictionis in temporalibus & ſpiritualibus, exceptis tamen actibus *Ordinis* Epiſcopalis, & quæ Epiſcopo competunt jure ſpeciali, puta privilegii vel delegationis. 3. Jus petendi inveſtituram, ſeu ſolemnem inſtallationem, & corporalem introductionem in poſſeſſionem prælaturæ, niſi vi conſuetudinis, vel ſpecialis clauſulæ, hanc poſſit capere per ſeipſum. 4. Titulum *Epiſcopi*, cum addito tamen *Electi*, ſimulque privilegium, vi cujus Epiſcopi non cenſentur interdicti vel ſuſpenſi,

niſi fiat expreſſa ipſorum mentio, eligendi Confeſſarium &c. Sumuntur hæc ex *c.* 1. *de tranſl. Epiſc. c.* 15. *h.t.* & communi DD.

29 Dico 6. Confirmatus Epiſcopus intra tres menſes ab impetrata confirmatione debet ſuſcipere conſecrationem ab alio Epiſcopo; ſecus tenetur reſtituere fructus perceptos; &, ſi intra 3. alios menſes iterum non ſuſcipiat, ipſo jure privatus eſt Eccleſia ſua. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 2. *de ref.* Dixi 1. *Epiſcopus*; nam inferiores Prælati, uti Abbates, ſive regulares ſive ſæculares, non conſecrantur, ſed benedicuntur ab Epiſcopo, ſi non ſint exempti, ſecus a Pontifice, vel ejus ſubſtituto, ſicut Epiſcopi Germaniæ, qui confirmantur a Pontifice Romano, & conſecratorem ab iſto deſignatum habere debent. Imo Abbatiſſæ (quæ quidem non omnes benedicuntur, ſed tantum perpetuæ non vero temporales, niſi aliud habeat conſuetudo vel ſtatutum) ſi ſunt ſub juriſdictione ſuperiorum ſui Ordinis, a Generali, vel Provinciali, vel ab Abbate, cui ſubſunt, benedicuntur. Dixi 2. *Conſecrationem*, quæ ex *can.* 7. *d.* 23. *& c. un: de Sacra Unct.* cum communi ſic deſcribi poteſt: *Eſt impoſitio manuum ſuper caput electi, & confirmati Epiſcopi ſub certis verbis, inunctione chriſmatis, ac aliis ceremoniis* (quas videre eſt in Pontificali Romano) *facta a legitimo Conſecratore, tamquam Miniſtro.* Probabilius eſt Sacramentum; & ſola manuum impoſitio pertinet ad ſubſtantiam conſecrationis Epiſcopalis, ut habet verior & prope certa ſententia contra Francum & Silvium. Differt *a benedictione* Abbatum &c. quod in hac non interveniat unctio ſacri chriſmatis, & impoſitio manuum, quæ quidem adhibetur, non ſit Sacramentalis, ſed tantum deprecatoria, nec ultra benedicentem requirat aſſiſtentiam duorum Epiſcoporum vel Abbatum. Præterea benedictio inferiori-

bus

bus Prelatis & Abbatibus non tantopere neceſſaria eſt, quantopere conſecratio Epiſcopis; nam ſi illi ter eam humiliter petant, & non impetrent, vel ſi per conſuetudinem in aliquo loco ſit abrogata, totum officium exercere etiam ſine illa poſſunt. *c.* 1. *de ſuppl. neglig.* actus quoque *Ordinis*, uti eſt benedicere populo ſolemniter, conſecrare ſacra vaſa, ſuis ſubditis Regularibus primam Tonſuram & Minores Ordines conferre, quos alias ſine benedictione extra dictos caſus exercere nequeunt. Sufficit quoque, ſi benedictionem petant & obtineant intra ſpatium unius anni a die electionis. *Clem.* 2. *de ſtat. Monach.* §. *ſtatuimus junct. gl.*

Dixi denique 3. *ab alio Epiſcopo*, cui tamen de jure debent aſſiſtere alii duo Epiſcopi, *can. fin. d.* 51. *can.* 1. *Apoſtol.* vel ex diſpenſatione Papæ aut vi conſuetudinis, duo Abbates, aut alii in dignitate eccleſiaſtica conſtituti ſacerdotes. Ex quo, uti & ex communi DD. ac praxi colligitur, numerum ternarium Epiſcoporum ad conſecrationem Epiſcopi non abſolute neceſſarium eſſe: nec ſufficienter probatur iſta neceſſitas. Confirmatur inde, quod Pontificale Romanum ſemper faciat mentionem *Conſecratoris* in ſingulari, duos autem reliquos appellet *aſſiſtentes*; quorum igitur cooperatio, & impoſitio manus eſt ritus ſolum accidentalis.

Obji. 1. In *can.* 5. *d.* 68. dicitur: *quod autem Epiſcopi non ſint, qui minus, quam a tribus ſunt ordinati Epiſcopis, omnibus patet.* 2. Joan. III. Papa *ad Epp. Germ. & Gall.* ſcripſit: *Omnia maxima Concilia affirmant, eum non eſſe Epiſcopum, qui minus, quam a tribus Epiſcopis, auctoritate etiam Metropolitani, fuerit factus.* R. ad 1. ibi a numero Epiſcoporum excluduntur tantum Chorepiſcopi, non quia a tribus Epiſcopis non ſunt ordinati, ſed quia omnino in Epiſcopos non ſunt ordi-

ordinati, ſed ſolum in ſacerdotes cum poteſtate tamen conferendi Minores Ordines, ſicut hodie hæc poteſtas confertur Abbatibus. Ad 2. Quamvis auctoritate Metropolitani, ſeu Archiepiſcopi, numerus Epiſcoporum in conſecratione Epiſcopali nequeat imminui, ut libenter fateor, potuit tamen a Papa, vel diſpenſante, vel conſuetudinem approbante.

30 Dico 7. Epiſcopus conſecratus per conſecrationem conſequitur 1. appellationem *Epiſcopi* ſine addito *electi*. 2. Conſummationem conjugii ſpiritualis cum ſua Eccleſia. 3. Plenitudinem Officii Epiſcopalis, itaut etiam actus *Ordinis* Epiſcopalis, uti eſt conficere ſacrum Chriſma, benedicere virgines, conſecrare Eccleſias & ſacra vaſa, conferre Sacramenta Confirmationis & Ordinis &c. exercere valeat per ſeipſum; nam per alium etiam *Confirmatus* tantum poteſt, ſcil. hanc poteſtatem delegando alteri Epiſcopo pro ſua Diœceſi, v. g. Suffraganeo; ſiquidem delegare eſt actus *juriſdictionis*, quam conſequitur per Confirmationem. Sumuntur hi tres effectus ex *c. 8. de his, quæ fiunt a Præl. cap. fin. de transl. Epiſc. & c. 15. h. t.* Demum beneficia, quæ promotus in Epiſcopum prius habuit, primum vacare incipiunt poſt adeptam conſecrationem, vel per lapſum temporis ad eam petendam præfixi, *c. 7. eod. §. cum vero.*

T I T U L U S VII.

De Translatione Epiſcopi.

S U M M A R I U M.

1 *Quid ſit translatio Epiſcopi.*
2 3 *Quid ad illam requiratur.*

Transla-

TRanſlatio, quæ tertius eſt modus perveniendi ad dignitates & prælaturas eccleſiaſticas, eſt alicujus perſonæ ab una Eccleſia ad aliam mutatio, facta ſuperioris auctoritate, & juſta de cauſa *can.* 11. 34. 35. *cauſ.* 7. *q.* 1.

1 Dico 1. Ut poſſit Epiſcopus jam confirmatus, vel hoc ſuperiores Prælati, ad aliam Eccleſiam transferri, opus eſt conſenſu & auctoritate Summi Pontificis. 2. Hujus autem auctoritate transferri valet etiam jam conſecratus. Pars 1. conſtat ex *c.* 2. *h. t.* ubi redditur hæc ratio, quod inter Epiſcopum (eoque ſuperiores Prælatos) detur conjugium ſpirituale, quod per Confirmationem fit *Ratum* cum ſua Eccleſia; ſicut per Conſecrationem evadit *Conſummatum c. fin. eod.* Matrimonii autem rati diſſolvere vinculum ad ſolum Pontificem pertinet. *Objic.* Archiepiſcopus poteſt eum, qui poſt obtentam confirmationem negligit per 5. menſes petere conſecrationem, compellere, ut cedat Epiſcopatu *can.* 1. *d.* 100. ergo etiam Archiepiſcopus poteſt diſſolvere matrimonium ſpirituale ratum. R. *diſt. conſ.* poteſtate ſpecialiter pro hoc caſu ſibi conceſſa a Summo Pontifice, *c. conſ.* independenter a conceſſione ſpeciali ejuſdem, *n. conſ.*

2 Pars 2. Conſtat ex praxi & communi ſenſu DD. *Objic.* matrimonium carnale conſummatum nec auctoritate Pontificis eſt diſſolubile: ergo nec ſpirituale, quod per conſecrationem efficitur *conſummatum;* cum matrimonii ſpiritualis vinculum ſit fortius, quam carnalis *c.* 2. *cit.* R. *n. conſ.* quia diſſolutio matrimonii ſpiritualis conſummati Papæ eſt a Deo conceſſa *Matth.* 16. ut declaratur *c.* 2. *&* 3. *h. t.* ſicut per renuntiationem vel depoſitionem Epiſcopi *conſecrati* juxta omnes diſſolvi poteſt hoc vinculum; licet ma-

tri-

trimonii carnalis conſummati diſſolutio non reperiatur conceſſa Pontifici, uti nec per renuntiationem conjugibus. Matrimonium ſpirituale non ſimpliciter eſt vinculum fortius quam carnale, ac in ratione inſolubilitatis, ut patet ex renuntiatione &c. ſecundum quid tantum, & partim quia ratione ſpiritualitatis eſt dignius, partim quia ratione characteris ſpiritualis, quem imprimit conſecratio Epiſcopalis, operatur fortius.

3 Dico 2. Ut fiat valida translatio, requiritur etiam conſenſus translati vel transferendi. Ratio eſt clara; quia per translationem Epiſcopi, vel inferioris Prælati aut beneficiati, confertur & obtinetur nova Prælatura vel beneficium: ſed ab invito, & non conſentiente, obtineri nequit jus reale vel quaſi dominium ullius rei, conſequenter nec Prælaturæ vel beneficii. In Epiſcopis ſpecialis adhuc datur ratio; quia iſti per translationem matrimonium ſpirituale contrahunt cum nova Eccleſia, quod ſine conſenſu ſponſi valide non fit, *c. 21. de Elect.*

TITULUS VIII.

De auctoritate & uſu Pallii.

SUMMARIUM.

1 2 *Quid ſit Pallium, & quis ejus effectus.*
3 4 *Quando peti debeat, ac eo uti liceat.*

1 PEr *Pallium* hic intelligitur *ſingulare & precipuum eminentiorum Epiſcoporum* (nempe Archiepiſcoporum omnium, & quorumdam Epiſcoporum ex privilegio vel conſuetudine, uti Oſtienſis prope Romam, Dolenſis in Gallia, Bambergenſis in Germania &c.) *inſigne & ornamen-*

mentum, Pontificialis officii plenitudinem deſignans, de Corpore S. Petri ſumptum; quia nempe ſignificat quaſi particulam eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ in Epiſcopos deſcendit originaliter a S. Petro. Unde & a ſolo Pontifice, D. Petri Succeſſore, confertur. Ejus materia eſt alba ovium lana contexta, referens formam coronæ vel circuli, pectus & humeros circumeuntis, ac quatuor nigris vel rubris crucibus diſtincti, anteriore parte non nihil dependente. Eſt privilegium perſonale, nec ad ſucceſſores transfertur, ſed Pallium obtinens cum eo ſepeliri debet *c.* 2. *h. t.* Si vero transferatur ad alium Archiepiſcopatum, debet petere novum Pallium, *c.* 4. *de Poſtulat.*

2 Dico 1. Pallium ab iis, quibus de jure vel conſuetudine competit, debet intra 3. menſes a die conſecrationis inſtanter peti ſub pœna privationis ſuæ dignitatis & poteſtatis, nec tamen prius conceditur, quam juramentum fidelitatis præſtiterint Romanæ Sedi, *can.* 1. 2. 4. *d.* 100.

3 Dico 2. Archiepiſcopi per Pallium conſequuntur 1. appellationem *Archiepiſcopi c.* 3. *h. t.* prius enim ſolum dicuntur *Metropolitani*, 2. iidem (uti & Epiſcopi eminentiores) obtinent plenitudinem ſuæ poteſtatis *c.* 3. *cit.* nam ante obtentum Pallium non licet ipſis exercere actus *Ordinis Epiſcopalis majores*, qui nempe inter Miſſarum ſolemnia, vel in ornamentis Pontificalibus obiri ſolent, uti conficere Chriſma, dedicare Eccleſias, conſecrare Epiſcopos, ordinare Clericos &c. *c.* 28. *§. præterea de Elect.*

4 Dico 3. Papa uti Pallio poteſt ubique per totam Chriſtianitatem, & quovis die, ſi velit *c.* 4. *h. t.* econtra Archiepiſcopis & aliis, jus Pallii habentibus, ejus uſus non conceditur ubique & ſemper, ſed tantum in ſuis Eccleſiis & inter Miſſarum ſolemnia, certiſque tantum die-

bus,

bus, nempe ſolemnibus *c.* 1.4.5.6. *& fin. h. t. can.* 8. *d.* 100. Ratio diſparitatis eſt, quod Pontifex in totam Chriſtianitatem ubique obtineat juriſdictionem illimitatam; ac ubique & ſemper ipſi incumbat officium & ſollicitudo paſtoralis, cujus ſignum & actus eſt uſus Pallii; inferiores autem ſolum *vocati ſint in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis c.*4. *cit.* & pro ſuis tantum Eccleſiis juriſdictione inſtructi, nec eam obtineant in Eccleſiis exemptis ſuarum provinciarum vel Diœceſium.

TITULUS IX.

De Renuntiatione.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſit renuntiatio.*
2 *A quo fieri poſſit.*
3 4 5 6 *Et qualis eſſe debeat.*

1 Sicut *renuntiatio* (reſignatio, abdicatio, ceſſio &c.) in genere eſt libera & ſpontanea alicujus juris dimiſſio, ita huic loco accommodate eſt libera ac ſpontanea dimiſſio juris, quod quis habet in vel ad Prælaturam, dignitatem, vel beneficium eccleſiaſticum. Alia dicitur *Tacita*, quando nempe aliquis vel aſſumit ſtatum cum beneficio &c. incompoſſibilem, ut ſi beneficiatus in Minoribus conſtitutus contrahat matrimonium, vel ponit actum, ex quo jura præſumunt animum renuntiandi, aut ipſo facto inducunt privationem beneficii. *Expreſſa* alia, quæ fit verbis expreſſis, vel per ſcripturam: quæ iterum duplex eſt: *ſimplex* ſeu *pura*, quando ſine omni adjecta conditione, pactione, aut modo reſigna-

tur

tur beneficium: & *conditionalis*, cui nempe adjicitur conditio, pactum vel modus, v. g. *ſi*, vel *ut* beneficium dimiſſum conferatur certæ perſonæ, & hæc dicitur renuntiatio *in favorem*: vel ut ex illo ſolvatur certa penſio reſignanti aut alteri, & hæc appellatur *reſervatio fructuum*: vel ut alter mihi viciſſim reſignet ſuum beneficium, & hæc vocatur reſignatio *ex cauſa permutationis*.

2 Dico 1. Quamvis de ſe quilibet poſſit renuntiare beneficio ſuo tam conditionate, quam pure, per *c.12. de for. comp. c.16. & 23. de Regular.* Infirmus tamen (imo & ſanus) invalide renuntiat, ſi renuntians non 20. dies ſupervivat. Ita enim habet *Reg. 18. Cancellariæ* (quæ vocatur *Regula de viginti*) & praxis Curiæ Romanæ. Dies autem illi computari debent a die, quo ſuperior legitimus acceptavit reſignationem. Si tamen beneficium eſſet patronatum, electivum, reſervatum Papæ, vel litigioſum, opus foret, ſi quis reſignare vellet in favorem certæ perſonæ, conſenſu Patroni, eligentium, Pontificis, aut reſignatio in favorem collitigantis fieri deberet.

3 Dico 2. Reſignatio non tantum debet eſſe libera; cum nemo ſine propria voluntate (niſi jus vel ſuperior cogat) amittat res vel jura ſua: ſed etiam ſpontanea, h. e. metu gravi injuſte incuſſo non extorta *c.3. 4. de his quæ vi, c. 5. h. t.* Quia vero metus hujuſmodi non tollit penitus libertatem, licet minuat, communius cenſent DD. cum Panorm. contra Hoſtienſ. & Gonzal. taliter extortam reſignationem valere quidem, cum nullum jus eam clare irritans oſtendi poſſit, reſcindendam tamen eſſe propter allegata Jura. *Nec obſtat*, quod electio metu extorta non valeat *c.14. c. 43. de Elect.* quia de hac id ſatis clare reperitur in jure expreſſum, non de renuntiatione. vid. Leuren. *p. 3. q. 703.* Excipe tamen renuntiatio-

tionem illius, quem ſæculares captum vel detentum compulerunt ad renuntiandum; hæc enim renuntiatio *nullius omnino firmitatis eſſe* pronuntiatur *Clem. 2. ff. ſane de pœnis*. Si quis tamen ex juſta cauſa à ſuperiore eccleſiaſtico compellatur ad reſignandum, non tantum valida, ſed etiam firma eſt renuntiatio, itaut reſcindibilis non ſit aut reſcindenda, v. g. ſi compellatur propter ſcandalum infirmorum, alio modo non auferibile, propter irregularitatem beneficiati, in qua diſpenſari ordinarie non ſolet &c.

4 Dico 3. Reſignatio, ſaltem ut licite fiat, requirit juſtam cauſam *c. 10. h. t. Conſt. quanta Eccleſiæ* S. Pii V. tales cauſæ ſunt debilitas virium, defectus ſcientiæ, malitia plebis ſuo Præſuli ſe opponentis &c. Reſpectu Epiſcopi voluntas ingrediendi Religionem per ſe non eſt ſufficiens cauſa, niſi nempe vel in periculo ſalutis propriæ propinquo ſe videret, vel alium Eccleſiæ utiliorem fore. Reſpectu inferiorum beneficiatorum ſufficiunt cauſæ minores, & fere quælibet teſte experientia in Germania.

5 Dico 4. Reſignatio beneficii, non litigioſi, & in quo quis jam obtinuit jus in re, ut valide fiat, ordinarie requirit conſenſum legitimi ſuperioris, ſeu fieri debet in manibus ſuperioris *c. 4. c. 8. h. t. c. 7. de conſuet.* quia res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem & diſſolvitur *c. 1. de R. J.* Dixi 1. *in quo quis obtinuit jus in re*; nam jus ad rem, ex electione vel præſentatione quæſitum, dimittere ſine conſenſu ſuperioris nemo prohibetur. 2. *Ordinarie*; nam beneficium Epiſcopatu inferius reſignari ex cauſa Religionis ingrediendæ poteſt ſine conſenſu ſuperioris *per c. 10. cit.* Demum 3. *legitimi Superioris*, qui reſpectu renuntiationis puræ & ſimplicis eſt ille, penes quem eſt poteſtas inſtituendi, & de-

ſti-

ſtituendi ſeu deponendi beneficiatum, uti eſt Epiſcopus, & Sede vacante capitulum: non vero Vicarius Generalis ſine ſpeciali mandato *c. 1. de offic. Vicar. in 6.* Reſpectu autem renuntiationis conditionatæ, ſcil. *in favorem* (item cum reſervatione *acceſſus, ingreſſus regreſſus*) ſpectato jure communi ſolus Pontifex: nam renuntiatio *in favorem* prohibetur *c. 1. de conceſſ. præb.* eo quod ibi prohibeatur collatio beneficii, antequam vacet: ſed beneficium, quod reſignatur in favorem, nondum vacat, quia reſignatur ſub conditione, *ſi conferatur certæ perſonæ*, quæ conditio nondum eſt impleta, quando fit reſignatio. Si dicas, talem reſignationem non fieri ſub conditione, ſed *ſub modo*, ut conferatur certæ perſonæ, vel ſub conditione *de præſenti* & jam impleta, *ſi velit* collator conferre certæ perſonæ. R. Hujuſmodi pactiones, per quas imponitur obligatio in materia beneficiali, alibi in jure communi, in quo inferior Pontifice nihil poteſt, eſſe prohibitas, nempe *c. fin. de Pactis.* Accedit, quod jura deteſtentur ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis in beneficiis, per *c. 1. de Præb.* qualis ſpecies ſæpe daretur, ſi liceret in favorem reſignare; quia paſſim id fieret in favorem conſanguineorum. Interim reſignans coram Epiſcopo poteſt huic certam perſonam commendare, vel pro ea rogare. Reſervatio autem *acceſſus, ingreſſus, regreſſus* in beneficium reſignatum prohibetur in Trid. *ſeſſ. 25. c. 7. de ref.* & in *Conſtit.* S. Pii V. anno 1571. edita, quæ incipit *Romani Pontificis.* Quid Epiſcopus poſſit circa reſervationem penſionis aut fructuum, quam facit reſignans, dicitur ad *tit. 12. lib. III.*

6 Dico 5. Quamvis in *Reg. Cancell.* 34. & *Conſt. Humano vix judicio* Greg. XIII. reſignatio beneficiorum publicari deberet certo modo, & cum

& cum certis ſolemnitatibus ; eas tamen conſuetudo in Germania vel numquam admiſit , vel rurſus per non uſum abrogavit.

TITULUS X.

De ſupplenda negligentia Prælatorum.

SUMMARIUM.

1 *Quid per negligentiam , quid per Prælatos intelligatur.*
2 *In Beneficiis a quo ſuppleri debeat.*
3 *An etiam negligentia Epiſcopi in adminiſtranda Juſtitia ab Archiepiſcopo poſſit.*

1 PEr *negligentiam* intelligitur hic omiſſio ejus, quod ratione officii, poteſtatis, & juriſdictionis fieri debet , v. gr. in adminiſtratione bonorum eccleſiaſticorum , reſtauratione diſciplinæ , extirpatione abuſum &c. maxime in adminiſtranda juſtitia , & proviſione beneficiorum , de qua duplici ſpecie hic ſolum agitur. Nomine *Prælatorum* veniunt non modo omnes perſonæ eccleſiaſticæ juriſdictionem exercentes, ſed etiam collegia, nimirum capitula & congregationes juriſdictionem eccleſiaſticam obtinentes. *Suppleri* autem negligentia poteſt vel devolutione juris ad Prælatum ſuperiorem , adjunctione Coadjutoris idonei , depoſitione ab officio , vel privatione dignitatis, excommunicatione, vel alio modo, pro varietate circumſtantiarum.

Dico 1. Negligentia Prælatorum, electorum, patronorum , debito tempore non facientium proviſionem beneficiorum eccleſiaſticorum ſuppleri debet ab immediato ſuperiore, ad quem devol-

volvitur pro illa vice jus providendi *c.* 3. 4. *&* *fin. h. t. c.* 41. *de Elect. c.* 2. *de conceſſ. Præb.* Quia vero privatio poteſtatis providendi, quam negligentes ipſo jure incurrunt non providendo intra debitum tempus, licet eo elapſo ſtatim providerent, eſt introducta jure poſitivo humano in pœnam, proviſus ab ipſis nulliter poſt lapſum temporis non tenetur in conſcientia ante ſententiam nullitatis declaratoriam, & nemine ſe ipſi opponente, beneficium dimittere.

3 Dico 2. Negligentia Epiſcopi in adminiſtranda juſtitia (vel munere paſtorali) non poteſt ſuppleri a capitulo, ut tenent omnes, nec probabilius ab Archiepiſcopo (extra caſum appellationis, vel viſitationis actualis) itaut Archiepiſcopus in prima inſtantia a ſubditis ſuffraganei nequeat adiri poteſtate judicandi ad ipſum devoluta, vel ad capitulum. Abb. & P. Vvieſtn. *h. n.* 46. contra Engl. & Kon. Ratio eſt partim negativa, quia id nec capitulo nec Archiepiſcopo legitur in jure conceſſum, partim affirmativa, quia jus generaliter prohibet Archiepiſcopo exercere juriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum, ſeu Epiſcoporum ſibi ſubordinatorum, *c.* 11. *de offic. ord. c.* 1. *h. t. in* 6. Sed contra *Objic.* 1. In toto hoc titulo id agitur generaliter, ut ſuperior ſuppleat defectum inferioris: ergo & defectum in adminiſtranda juſtitia. 2. Si nec ad capitulum, nec ad Archiepiſcopum fieret devolutio in ordine ad ſupplendam negligentiam Epiſcopi juſtitiam non debite adminiſtrantis, non ſatis conſultum & proviſum eſſet ſubditis Epiſcoporum: ſed hoc admitti nequit. R. ad 1. *n. ant.* quia fere id dumtaxat agitur, ut ſuppleatur negligentia prælatorum in cauſis *beneficialibus*. Ad 2. *neg. maj.* quia ſupereſt aliud remedium, nempe vel recurſus ad Papam; ut is negligentem Epiſcopum adi-

gat ad faciendum officium: vel etiam ad Archiepiſcopum, deferendo ipſum Epiſcopum, ut hunc, tamquam ſibi immediate ſubjectum, compellat ad juſtitiæ adminiſtrationem. Dein concedo, quod Capitulum tunc, quando Epiſcopus valde diu abeſſet a ſua Diœceſi, vel redderetur inhabilis, poteſtatem habeat immediate exercendi juriſdictionem in diœceſanos, donec Papa aliter provideret, per *c. 3. h. t. in 6.* quia Capitulum Sede vacante (qualis tali caſu moraliter eſſet) ſuccedit in juriſdictionis exercitio, conſequenter & in Juſtitiæ adminiſtratione.

TITULUS XI.

De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit Ordinatio ſeu ordo, & quotuplex.*
2 3 *An prima tonſura ſit ordo.*
4 *An Epiſcopatus.*
5 *Quis ſit Miniſter conferens ordines.*
6 *Illicite ordinatur non ſubditus ſine dimiſſoriis.*
7 *Quis iſtas concedere poſſit.*
8 *Quid ex parte ordinandi, ut valide.*
9 *Et quid, ut licite ordinetur, requiratur.*
10 *A quo, & qualis titulus menſæ.*
11 *In Ordinatione certa tempora.*
12 *Et interſtitia obſervari debent.*
13 *Quæ ſit pœna male ordinantis & ordinati.*

1 CUm in vera Religione dari debeat Sacrificium verum ac proprie dictum, utpote præcipuus Dei cultus, & latreuticus; Sacri-

crificium vero ſine Miniſtro debito & Sacerdote peragi nequeat, quod in nova Lege & in vera Chriſti Eccleſia aliud non eſt, quam Euchariſtia, ſeu Sacrificium Miſſæ, quod offerre ſoli Sacerdotes poſſunt (licet ſimul Sacramentum ſit) Sacerdotes vero non naſcantur, ſed *ordinentur*, & quidem non ſimul & ſemel, ſed gradatim juxta ritum a Chriſto in genere inſtitutum, ab Eccleſia autem determinatum: rurſum cum Prælati, Judices, & Miniſtri Eccleſiæ, de quibus hucuſque, non obtineant ſuam poteſtatem regendi Eccleſias ſibi commiſſas, & populum fidelem, ſine debita vocatione ſeu ordinatione; idcirco hic agitur de *ordinatione* Sacerdotum & Eccleſiæ Miniſtrorum, per quam ipſis non modo confertur poteſtas in *verum Corpus Chriſti*, nempe illud ponendi ſub ſpeciebus panis & vini, & ſic conficiendi Euchariſtiam, ut *Sacrificium*, & *Sacramentum* eſt, offerendo Chriſtum in Miſſa ſub ſpecie panis & vini, atque illum diſtribuendo fidelibus ſub ſpecie panis, ſed etiam in *myſticum Corpus Chriſti*, h.e. in fideles, eos abſolvendi a peccatis, aliiſque vinculis, & regendi, dirigendique ad ſalutem æternam per varia miniſteria ſacra. *Ordinatio* igitur, ſeu *ordo active ſumptus*, eſt *actio illa ſeu cæremonia ſacra, qua alicui conceditur poteſtas ad aliquod Altaris officium ſtabiliter peragendum;* ſeu qua traditur ſpiritualis & ſtabilis poteſtas conſecrandi Euchariſtiam, vel ad hunc finem miniſtrandi, vel miniſterium aut functionem ſacram exercendi. Et hinc *Ordo*, ſaltem aliquis, Sacramentum eſt novæ Legis: nam plures extant, nimirum, *Oſtiariatus*, *Lectoratus*, *Exorciſtatus*, *Acolytatus* (& hi quatuor Ordines dicuntur *Minores*) *Subdiaconatus*, *Diaconatus*, *Presbyteratus* ſeu *Sacerdotium*, qui appellantur *Majores*, vel *Sacri*; quia proprius

accedunt ad conficiendam Euchariſtiam, & per annexum caſtitatis votum magis conſecrant Deo ſuſcipientes. De *prima tonſura*, ut vocant, quæ confertur ante omnes prædictos controverſia eſt, an ſit *ordo* proprie dictus, & de *Epiſcopatu*, an ſit *ordo ſubſtantialiter diſtinctus* a presbyteratu, vel ſolum accidentalis extenſio iſtius: de quibus poſtea. De presbyteratu ſaltem certum eſt, quod ſit Sacramentum: de ſubdiaconatu & diaconatu communis habet doctrina: de quatuor minoribus ſaltem defacto eſt communior ſententia: de prima tonſura & Epiſcopatu, ſi ſint ordines veri & diſtincti, idipſum per conſequentiam doctrinæ affirmandum cenſetur. *Ordinationi*, ſeu *ordini active ſumpto*, reſpondet, *ordo paſſive ſumptus*, qui eſt effectus ordinationis, & certus gradus miniſtrorum Eccleſiæ, vi cujus alii dicuntur *minoriſtæ*, ſcil. *oſtiarii*, *lectores*, *exorciſtæ*, *acolythi*, alii autem *ſubdiaconi*, *diaconi presbyteri*. Quia vero ordo non confertur ſine legitimo miniſtro, & nullus rite ordinatur niſi debito tempore & ſine debitis qualitatibus; ideo hic agitur de qualitate *ordinantis*, de qualitatibus *ordinandorum*, & de *temporibus ordinationum*; prius tamen præmittendum aliquid videtur de numero ordinum, an nimirum præter 7. recenſitos etiam pro ordine proprie dicto habenda ſit prima tonſura, & pro ſpeciali ordine epiſcopatus.

2 Dico 1. *Prima tonſura* (quæ in jure etiam *pſalmiſtatus* vocatur *can.* 20. *d.* 23. *can.* 2. *d.*44. *can. ſi quis Epiſcopus cauſ.* 17. *q.* 1.) probabilius eſt ordo proprie dictus. Ita communis Canoniſtarum antiquiorum & præſtantiorum cum Abbat. Hoſt. Jo: Andr. Ant. de Butrio, Felino, quibus accedunt recentiores, Barb. Fagn. &

Be-

Begnudellius nuper Vicarius Generalis Friſingæ, contra communem Theologorum. Prob. 1. ex *c. cum contingat* 11. *de ætat. & qualit.* ubi Innoc. III. interrogatus, an Abbates conferendo primam tonſuram conferant *Clericatus ordinem*, reſpondit, quod *per primam tonſuram, juxta formam Eccleſiæ datam, Clericalis ordo conferatur* ab ipſis, ſi ſint Abbates Sacerdotes, & benedicti ab Epiſcopo. 2. ex *can. Cleros* 1. *d.*21. ibi: *Clericorum gradus & nomina hæc ſunt: oſtiarius, pſalmiſta, lector, exorciſta, acolythus, ſubdiaconus, diaconus, presbyter, Epiſcopus.* En novem ordines, ac inter hos etiam *pſalmiſtatum*, qui in jure ſumitur pro prima tonſura, ut notant DD. *in can. pſalmiſta* 20. *d.* 23. Concordat *can. ſi quis Epiſcopus* 27. *q.* 1. ubi pſalmiſta, ſeu tonſura initiatus, non minus ac alii ordinati, nempe lector, ſubdiaconus &c. jubetur deponi, ſi ſponſam Chriſti, ſeu monialem corrupit, & *c.* 2. *de pœnis in* 6. ubi præſcribitur modus degradandi clericum ſolemniter uſque ad *primam veſtem* incluſive (nempe uſque ad ſuperpellicium) *quæ datur in collatione tonſuræ; tuncque radatur caput illius, ne tonſuræ, ſeu Clericatus veſtigium remaneat in eodem:* ſed depoſitio, & degradatio clerici eſt dejectio ab ordine clericali, ut omnes fatentur: ergo cum tonſuratus poſſit ſecundum SS. Canones deponi & degradari, & ſic dejici ab ordine, tonſura debet eſſe ordo, a quo talis dejicitur. 3. ex Trident. quod *ſeſſ.* 21. *c.* 1. *de ref.* prohibet quidquam accipi *pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonſuræ:* notetur particula *etiam*, quæ eſt implicativa præcedentium. 4. Ex Bulla *Sanctum* Sixti V. ubi ait: *ad ſuſcipiendum Clericalem, alioſve ordines* &c. & ex deciſ. Congreg. Cardd. apud Fagnan. ad

G 3 *cit.*

cit. c. 11. *n.* 118. quæ reſpondit, primam tonſuram imprimere *Characterem*, quod convenit Ordinis Sacramento. 5. Ex Pontificali Romano, quod *tit. de Clerico faciendo*, dicit: *quilibet ordinandorum debet habere ſuum ſuperpellicium ſuper brachium ſiniſtrum*: item: *ordinati* (nempe ad primam tonſuram) *redeunt ad loca ſua*; ergo tonſurati ſunt *ordinati* ſeu Ordinem Clericalem conſecuti.

3 *Objic.* 1. Pontifex in *c. cum contingat* 11. cum reſpondit, per collationem primæ tonſuræ conferri Ordinem, ſumpſit Ordinem improprie. 2. Prima tonſura eſt diſpoſitio ad Ordines: ergo non eſt ordo. 3. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 2. recenſendo ordines omitti tonſuram, imo ab illis eam diſtinguit, dum ait: *Ordines, qui Sacerdotio ex officio deſervirent, ita diſtributi ſunt, ut qui jam clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent*. 4. Si tonſura eſſet ordo, eſſet etiam Sacramentum: ſed Sacramentum non eſt, quia nec habet materiam & formam ſpecialem, nec confert ſpecialem poteſtatem cum relatione ad Euchariſtiæ Sacramentum, vel facientem aliquid ad Euchariſtiam. R. ad 1. Negando aſſertum; partim quia non eſt ratio verba Pontificis accipiendi in ſenſu improprio, partim quia non eſt credibile, quod Pontifex interrogatus ſit, an tonſura ſit improprie dictus ordo, vel Papa decidere hoc voluerit (cum nemo dubitaverit, tonſuram eſſe ordinem, ſaltem improprie dictum) partim quia pari jure dicam, quod reliqui ordines minores non ſint proprie dicti ordines. Ad 2. *diſt. ant.* eſt diſpoſitio ad ordines tantum, *n.* ſimul ordo, *c. ant. & n. conſ.* Etiam quatuor minores ſunt diſpoſitio ad ordines majores, & Subdiaconatus ac Diaconatus ad Presbyteratum, ac

non

non tantum, ſed ſimul ordines proprie dicti etiam juxta Adverſarios. Ad 3. Trid. *loc. cit.* tonſuram explicite non recenſuit inter ordines, quia noluit ſententiam oppoſitam damnare; propterea autem non excluſit, imoper verba, *qui jam clericali tonſura inſigniti eſſent*, implicite videtur inſinuaſſe, quod tonſura ſit ordo; cum *inſigniri* denotet impreſſionem ſigni, nempe characteris ſpiritualis, qui in omni ordine imprimitur in anima. Sed de mente Trident. & S. Congreg. jam audivimus paulo ante. Ad 4. *c. ma. n. min.* Si enim ordo eſt, hoc ipſo non minus Sacramentum eſſe meretur, ac reliqui quatuor minores ordines, diſtinctum a reliquis: nam communis Theologorum cum S. Thoma *in* 4. *d.* 24. *qu.* 1. *ar.* 1. *&* 2. Trid. *ſeſſ.* 14. *de Sacram. Pœnit. c.* 2. & *de Extr. Unct. c.* 1. docet, tunc dari ordinem & Sacramentum ſpeciale a reliquis diſtinctum, quando datur ſpecialis materia & forma, atque confertur ſpecialis poteſtas ad certum miniſterium ſacrum rite obeundum cum gratia interna: ſed in collatione primæ tonſuræ datur ſpecialis materia, & quidem remota *ſuperpellicium* ſeu veſtis alba, & materia proxima illius traditio, cum raſione capillorum: datur & ſpecialis forma, quæ conſiſtit in verbis, quæ profert ordinans, dum tradens illam veſtem dicit, *induat te Dominus &c.* & dum ita deprecatur, *oremus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro his famulis ſuis, qui ad deponendum comas capitum ſuorum pro ejus amore feſtinant, ut donet eis Spir. S.* (nempe internam gratiam) ut habet Pontificale Romanum *l. c.* Sed & confertur ſpecialis poteſtas ad certum miniſterium ſacrum, nempe ad cantandos Pſalmos, Lectiones, & Reſponſoria: ſicut Lector deputatur ad Lectiones ſimpliciter pronuntiandas: ſi au-

tem hæc poteſtas, per ordinem *lectoratus* collata ad ſimpliciter legendum, facit aliquid & habet relationem ad Sacramentum Euchariſtiæ, etiam poteſtas, ad pie cantandum per *tonſuram* collata facit aliquid, & relationem habet ad Euchariſtiæ Sacramentum, ſcil. excitando corda fidelium ad illud devote ſuſcipiendum.

4. Dico 2. Epiſcopatus probabilius eſt ordo diſtinctus a presbyteratu, conſequenter & Sacramentum diſtinctum. Ita communis Canoniſtarum, quibus ex Theologis inter alios etiam conſentit Tannerus *to.* 4. *d.* 7. *q.* 2. *n.* 32. Prob. 1. ex *epiſt. S. Anacleti* 3. *c.* 1. ubi ait: *Sacerdotum ordo, prout Dominus eum inſtituit bipartitus eſt*, nempe Sacerdotalis & Epiſcopalis. 2. ex Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 4. ubi ſic loquitur: *docet inſuper Sacroſancta Synodus, in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & ceterorum ordinum, nec populi &c. conſenſum, ſive vocationem, ſive auctoritatem requiri*. En! clare inſinuat, aliam eſſe ordinationem ſeu ordinem Epiſcoporum, quam Sacerdotum, adeoque diſtinctum. 3. In collatione Epiſcopatus, ſeu in conſecratione & ordinatione Epiſcopali adhibetur materia, & forma ſpecialis, & confertur poteſtas ſpecialis ſpiritualis: ſed propter has cauſas admittitur diſtinctio inter alios ordines, qui omnes juxta communem ſunt Sacramenta. *Objic.* 1. Si omnes ordines, qui juxta nos ſunt novem, ſunt Sacramenta, tunc dantur plura Sacramenta ordinis quam unum, conſequenter male nos inſtruit Catecheſis, dum docet tantum ſeptem eſſe Sacramenta. 2. Epiſcopatus eſſentialiter præſupponit Sacerdotium: ergo tantum eſt pars Sacerdotii accidentaliter perfectiva, non ordo ſubſtantialiter diverſus a Sacerdotio. R. ad 1. plura Sacramenta Ordinis phyſice

ſice quidem diſtincta, unum tamen moraliter, per aggregationem, & ratione finis, ad quem referuntur omnes ordines, nempe ad conſtituendum idoneum Miniſtrum Euchariſtiæ qua Sacramenti & qua Sacrificii: ad quem tamen finem diverſimode ſe habent. Ad 2. *tranſ. antec. n. conſ.* Epiſcopatus etiam eſſentialiter præſupponit Baptiſmum, itaut invalide conferatur non baptizato, & tamen eſt Sacramentum a Baptiſmo diſtinctum.

5 Dico 3. Miniſter ordinis ordinarius eſt Epiſcopus, & quidem conſecratus neceſſario. Communis ex *c.* 1. *de ordinatis ab Epiſcopo &c.* & Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 4. *& can.* 7. *de Sacr. Ord.* Dixi 1. *Ordinarius*, ſeu ad quem ſpectat conferre ordines ratione officii; nam extraordinarius miniſter, nempe ex delegatione & privilegio ſpeciali Pontificis, poſſunt eſſe ſimplices Sacerdotes, & defacto reſpectu ſuorum regularium, quoad primam tonſuram ſunt Abbates Sacerdotes, & benedicti *c.* 11. *de ætat. & qualit.* item ex conſuetudine quoad 4. minores, modo habeant jus utendi mitra, pedo, & annulo; imo aliqui ex ſpeciali privilegio, ſed pauci, quoad ſubdiaconatum & diaconatum; nullus autem quoad presbyteratum. Dixi 2. *Conſecratus*; nam electus tantum, aut confirmatus Epiſcopus, & nondum conſecrationem adeptus, non habet poteſtatem & exercitium ordinis Epiſcopalis, quia hunc nondum accepit. Dixi 3. *Neceſſario*, ita nimirum, ut alias ordinaret invalide; ſi autem conſecratus ſit, ordinatio valet, licet eſſet improbus, excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, degradatus, ſchiſmaticus, hæreticus &c. quia poteſtas ordinandi fundatur in charactere Epiſcopali indelebili, per conſecrationem Epiſcopalem impreſſo,

G 5 & per

& per Eccleſiam inauferibili; & hinc valet ordo, quem confert conſecratus, modo adhibeat debitam materiam ac formam, atque intentionem ordinandi habeat. Nec obſtat, quod in *c.* 1. *de ſchiſmat.* dicantur ordinationes, ab Epiſcopo hæretico factæ, eſſe *irritæ*; ſenſus enim eſt, quod ſint irritæ quoad executionem, quæ taliter ordinatis prohibita eſt, non quoad ſubſtantiam. Cetera, nempe probitas, & ſtatus gratiæ, negatio cenſuræ, irregularitatis, hæreſis &c. ſolum requiruntur ad licitam, non ad validam ordinationem, ſeu ut ordinando non peccet Epiſcopus.

6 Dico 4. Ut Epiſcopus licite ordinet, etiam requiritur, ut ſit proprius, ſeu ut ordinandus ipſi ſit ſubjectus, *c.* 3. *h. t. in* 6. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 2. *& ſeſſ.* 23. *c.* 8. *de ref.* niſi nimirum proprius ordinandi Epiſcopus conſentiat vel viva voce, vel, ut habet uſus communis, in ſcripto, ſeu per litteras, quas vocant *dimiſſorias*, vel *dimiſſoriales*, vel *commendatitias*, aut *reverendas*, aut niſi ordinandus habeat privilegium a Papa, vi cujus ordinari poſſit a quolibet Epiſcopo habente communionem cum Sede Apoſtolica, quale habent Religioſi Societatis Jeſu, & Alumni Pontificii in Germania. *Proprius* autem Epiſcopus, vel ordinandus Epiſcopo ſubditus eſſe poteſt triplici modo. 1. Ratione originis, ſi nempe ordinandus natus ſeu oriundus eſt in diœceſi, in qua pater habet domicilium. 2. Ratione domicilii, ſi nempe ordinandus e loco originis egreſſus habitare cœpit in aliqua diœceſi cum intentione ibi perpetuo manendi, niſi per accidens quid avocet: proin quaſi domicilium, dum videlicet quis habitare quidem cœpit in aliqua diœceſi, at cum animo non ſtabiliter manendi, ſed ſolum per notabilem anni partem, vel etiam per plures tantum annos, uti ſtudioſi in Academiis, non

non ſufficit, per *c.* 3. *cit.* Denique 3. ratione beneficii, quod nimirum quis actu obtinuit in titulum, & poſſidere cœpit in aliqua diœceſi *c.* 3. *cit.* Si Epiſcopus ex nullo horum capite ſibi ſubditum ordinet ſine licentia proprii Epiſcopi, agit illicite. *Objic.* Si Abbas ſine licentia ordinet non ſubditum, v. g. Regularis ſæcularem, ſine licentia proprii Epiſcopi, agit invalide: ergo etiam Epiſcopus ordinans non ſubditum ſine licentia proprii Epiſcopi. R. *c. ant. n. conſ.* nam Epiſcopus ordinat vi characteris Epiſcopalis, quem ipſi nec Pontifex auferre poteſt; Abbas vero tantum vi privilegii, quod ipſi a Pontifice reſtrictum eſt.

7 Quæres, quis concedere poſſit litteras dimiſſorias? R. 1. Solus Epiſcopus proprius ordinandi, confirmatus tamen & non excommunicatus; quia hæc conceſſio eſt actus juriſdictionis, *c.* 3. *cit.* Unde Vicarius Generalis ſine ſpeciali mandato, aut niſi Epiſcopus degat in remotis, non poteſt, *c.* 3. *cit.* Neque capitulum Sede vacante infra annum a die vacationis, niſi arctatis ratione beneficii eccleſiaſtici. Trid. *ſeſſ.* 7. *c.* 10. *de ref.* R. 2. Superiores Regulares ſuis ſubditis Regularibus (imo & Novitiis ſuis ad Ordines minores. S. Pius V. in *Conſtit. Romanus Pontifex*) at non ad Epiſcopum alienum, ſed ad Epiſcopum ſuæ diœceſis, niſi ſint exempti. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 10. *de ref.* vel niſi longo tempore ordinationem non inſtitueret Epiſcopus proprius. Sæcularibus vero, ſi quos forte habeant ſubditos Prælati Regulares, dare dimiſſorias ad alienum Epiſcopum nequeunt, etſi eſſent exempti, *c.* 3. *cit.* §. *fin.* Trid. *l. c.* Excipe, niſi eſſent pleniſſimo jure exempti, & in ſæculares juriſdictionem quaſi Epiſcopalem obtinerent.

8 Dico 5. Ex parte ordinandi, ut *valide* ordinetur, requiritur 1. ut ſit mas. 2. Ut ſi bapti-

zatus. 3. Ut non poſitive invitus, *c.* 8. *de converſ. conjug. c.* 1. *de presbyt. non baptiz. c.* 3. §. *item de baptiſmo*. Ratio, quia hæ conditiones jure divino, & ultima jure naturali, neceſſariæ ſunt. *Obji.* In jure canonico fit mentio diaconiſſarum, presbyterarum, imo & epiſcoparum, *can.* 23. *cauſ.* 27. *q.* 1. *can.* 18. 19. *d.* 32. *&c.* ergo feminæ ordinantur valide. R. *n. conſ.* non enim appellantur his nominibus, quod ordinem diaconatus, presbyteratus &c. receperint, & ad miniſterium Altaris deputatæ ſint, quod exercetur vi ordinis; ſed vel ideo, quia erant conjuges virorum, qui cum illarum conſenſu in diaconos, presbyteros, vel Epiſcopos fuerunt aſſumpti; vel quia erant præpoſitæ monialium: vel quia voto continentiæ emiſſo deſerviebant in temporalibus tum Eccleſiæ tum ſacris miniſtris, aut ſupellectilis lineæ ad uſus ſacros deputatæ munditiam ſibi habebant commiſſam.

9 Dico 6. Ut *licite* quis ordinetur, requiruntur plura, nempe 1. ut confirmationis Sacramentum prius ſuſceperit. 2. Ut ſit in ſtatu gratiæ. 3. Ut ſit ordinanti ſubjectus ſecundum dicta. 4. Ut habeat plenum rationis uſum. 5. Legitimam ætatem, nempe pro prima tonſura annos diſcretionis *c. fin. h. t. in* 6. & pro 4. minoribus etiam; cum tempus non ſit determinatum in jure: pro ſubdiaconatu annum 22. pro diaconatu 23. & pro presbyteratu 25. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 12. *de ref.* ſufficit autem, ſi hi anni ſint inchoati, ut explicat communis ſenſus DD. & praxis: pro Epiſcopatu 30. annos completos. 6. Debitam ſcientiam. 7. Competentem morum probitatem. 8. Ut non ſit Neophytus, ſeu recens converſus ex Judaiſmo vel Paganiſmo. 9. Ut non ſit uxoratus, niſi accedat conſenſus uxoris, vel Religionem ingredientis, vel ſaltem emittentis votum caſti-

ſtitatis. 10. Ut non ſit infamis, infamia, vel juris vel facti, atque univerſim. 11. Ut non ſit irregularis quacumque irregularitate, ex defectu orta vel delicto, cujuſmodi irregulares comprehenduntur his verſibus:

Infirmus: demens: vitiatus: femina: ſervus:
Infamis: novus: ignorans: baptiſmate peccans.
Ordineve: cccidens: mutilans: bigamuſque: nothuſque:
Hæreſis: obſtrictus: pauper: puer exulat aris.

Nota, per *feminam* intelligi hermaphroditum, in quo nempe reperitur uterque ſexus, maſculus & femineus, modo femineus non prævaleat, nam femina mera, vel prævalens ſexu femineo, jure divino eſt incapax ordinis, ac invalide ordinatur: *pauperem* vero, ſi ſit perſona vilis, referri ad infantes; alias enim irregularis non eſt, niſi reſpectu Ordinis Sacri, qui prærequirit titulum menſæ: de quo ſtatim. Ceteræ irregularitates explicantur in titulis pluribus tum hujus lib. I. tum lib. V.

10 Dico 7. Ut aliquis ordinetur licite in ſubdiaconum, requiritur etiam titulus menſæ. Trident. *ſeſſ. 21. c. 2. de ref.* Ratio eſt, ne Ordine Sacro initiatus, qui tenetur in clericatu permanere, ex defectu alimentorum cogatur cum dedecore ſtatus clericalis mendicare, vel ſordidum quæſtum exercere. Per *Titulum menſæ* intelligitur cautio, qua providetur ordinando de ſufficienti eaque perpetua ſuſtentatione. Eſt triplex 1. *Titulus beneficii* (qui proprie eſt titulus, reliqui vero ſolum vicem tituli obtinent, & ei tantum æquiparantur) quando nempe ordinandus actu jam habet beneficium perpetuum, pacifice poſſeſſum, & ad congruam ſuſtentationem ſufficientes præbens reditus. 2. *Titulus patrimonii*, quando nimirum ordinandus actu habet bona

pro-

propria, ac certa, & immobilia, ad ſuam ſuſtentationem ſufficientia; quæ proin ab ordinato nequeunt valide alienari, aut aliis obligari. Nec ſufficit, ſi alius privatus (de communitate integra, & Principe aliter ſentiendum) caveat in ſcripto de penſione in ſuſtentationem ordinati ſingulis annis ſolvenda, donec conſequatur beneficium, vel ubi ad beneficium redditus fuerit inhabilis, ſi non accedat cautio realis, ſeu non aſſignetur res frugifera, ex qua ſolvatur penſio, per Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 2. *de ref. cit.* quæ penſio non quidem ſtricte eſt titulus patrimonii, ſed ex conſuetudine ipſi ſubſtituitur, & ſimpliciter *Titulus menſæ* vocatur. 3. *Titulus paupertatis*, videlicet apud Religioſos, approbatam Religionem profeſſos, *can.* 1. *d.* 70. & in Societate Jeſu poſt emiſſa vota ſimplicia Religioſa. Gregor. XIII. *in Conſtit. Aſcendente Domino.*

11 Dico 8. Tempora ordinationum ſunt dies illi, quibus jura permittunt conferri Ordines. *Prima tonſura* conferri poteſt quolibet anni die & hora, ut patet ex Pontificali Romano & conſuetudine. *Quatuor minores* quovis dominico die, aut feſto, ſaltem quod celebratur in foro, mane tamen *c.* 3. *h. t. & Pontifex Rom. majores* autem, nempe *Subdiaconatus*, *Diaconatus*, *& Presbyteratus*, nonniſi Sabbatis quatuor temporum, Sabbato ſancto, nempe ante Dominicam Reſurrectionis, & Sabbato Dominicam *Paſſionis* præcedente, *c.* 3. *cit.* Demum *Epiſcopatus* nonniſi dominica die *can.* 5. *d.* 75. ſuffragante conſuetudine. *Extra Tempora* prædicta ſi quis ordinetur, illicite ordinatur, niſi habeat privilegium Apoſtolicum, quod ſubinde datur Epiſcopis, ſubinde ordinandis. Generale hujuſmodi privilegium (citra communicationem, qua alias gaudent alii Religioſi) Societati Jeſu conceſſit Gregorius XIII.

in

in Conſtit. Pium & Utile, vi cujus poſſunt Societatis homines non ſolum *extra tempora*, ſed etiam *non ſervatis interſtitiis*, ordines majores ſuſcipere, etiam tribus feſtis diebus continuis. Et quia hoc privilegium eſt conceſſum poſt Tridentinum, ei nihil obeſt revocatio hujuſmodi privilegii, aliis Regularibus olim conceſſi, facta ab eodem Trid. *ſeſſ.23. c.13. de ref. juncta ſeſſ.25.c.22. de Regular.*

12 Dico 9. Inter unum & alterum ordinem de jure ſervanda ſunt *Interſtitia*, ſeu intervalla unius anni, ſcil. a ſuſceptis ordinibus minoribus ad ſubdiaconatum, ab iſto uſque ad diaconatum, ab hoc uſque ad presbyteratum ſemper intercedere debet unius anni ſpatium, niſi aliud Epiſcopo magis expedire videatur. Trident. *ſeſſ.23. c. 11, 13. 14. de ref.* ut nimirum major tum æſtimatio, tum præparatio & aptitudo ad tam ſublimia miniſteria in ordinandis procuretur. Diſpenſare tamen poteſt Epiſcopus, &, quando Litteras dimiſſorias dare poſſunt, etiam Vicarius Generalis, & Sede vacante capitulum, non tamen Prælati Regulares cum ſuis Religioſis. *Objic.* Epiſcopus non poteſt diſpenſare in jure communi, &. hinc neque in *Temporibus* ordinationum: ergo neque in *interſtitiis*. R. *n. conſeq.* quia in interſtitiis conceſſit ipſi Trid. diſpenſare, non in temporibus ordinationum. Ceterum annus non ſumitur hic mathematice pro 12. menſibus, ſed eccleſiaſtice & moraliter, v. gr. a Pentecoſte ad Pentecoſten, a Paſchate ad Paſcha &c. licet altero anno citius veniant Pentecoſtes vel Paſcha nondum elapſo anno Solari.

13 Dico 10. Pœna culpabiliter *ordinantis* extra tempora, vel ante legitimam ætatem, vel non ſubditum, eſt ſuſpenſio vel ferendæ vel latæ ſententiæ, prout videre eſt in *c.2.* 8. 13.14. *h. t. & c.2. & fin. eod. in 6.* Pœna autem *ordinati*, ſeu cul-

culpabiliter ordinari ſe facientis in majoribus extra tempora, vel ante legitimam ætatem, vel ab alieno Epiſcopo ſine licentia proprii, eſt pariter ſuſpenſio latæ ſententiæ ab executione Ordinum ſuſceptorum. *Conſtit. Cum ex Sacrorum.* Pii II. *c.* 2. *h. t. in* 6. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 8. *de ref.* Ceteræ ordinationes illicite & contra SS. Canones factæ & ſuſceptæ fere non habent pœnam in jure determinatam, niſi Epiſcopus conferat primam tonſuram illiterato, vel conjugato; tunc enim eſt etiam ſuſpenſus in ipſo jure per annum a collatione primæ tonſuræ *c. fin. cit.* Epiſcopus autem ordinem Sacrum culpabiliter conferens non habenti titulum menſæ contrahit obligationem eum alendi (ſi aliunde non habeat ſuſtentationem) donec ei provideat de beneficio *c.* 2. 4. 16. *de præb.* quæ non tam pœna eſt, quam favor ſtatus clericalis, & ideo ad ſucceſſorem tranſit.

TITULUS XII.

De ſcrutinio in ordine faciendo.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſit ſcrutinium.*
2 *An examen ſubire debeant omnes ordinandi.*
3 *Super quibus rebus illud inſtituendum.*
4 *Pœna ordinantis ignotum, & furtive accedentis.*

1 NOmine *ſcrutinii* intelligitur examen ordinandorum, quo in eorum ætatem, vitam, ſcientiam inquiritur. In jure triplex occurrit ſcrutinium. *Primum* a Parocho vel alio, quem Epiſcopus conſtituerit, faciendum per menſem ante Ordinationem, Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 5. *de ref.*

Sed

Sed hujus in Germania vix eſt uſus, ſed ſuppletur per teſtimonia a profeſſoribus & præfectis ſcholarum. *Secundum* ab Epiſcopo, aſcitis aliis viris peritis, una vel pluribus immediate ante ordinationem diebus inſtituendum. Trid. *c.* 7. Ex conſuetudine fit a Vicario Generali & aliis ab Epiſcopo deputatis. *Tertium* in ipſo ordinationis actu præmittendum circa eos, qui in diaconos vel presbyteros ordinantur, dum nempe Epiſcopus Archidiaconum (hodie Sacellanum Epiſcopo ordinanti aſſiſtentem) interrogat: *ſcis illos dignos eſſe?* is autem reſpondet: *quantum humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcio & teſtificor, ipſos dignos eſſe ad hujus onus officii*, *c. un. h. t. Pontif. Rom.* De ſecundo

2 Dico 1. Examen immediate ante ordinationem inſtitui ſolitum regulariter ſubire debent ordinandi, ſaltem qui majoribus initari petunt, etiam Religioſi. Trid. *ſeſſ.* 23. *cit. c.* 12. *can.* 2. & 5. *d.* 24. Dixi *regulariter*, de quorum enim dignitate & idoneitate Epiſcopo aliunde conſtat, vel qui a ſuo Epiſcopo jam examinati cum dimiſſoriis adveniunt, non neceſſario examinantur; neque Theologiæ aut SS. Canonum *Doctores*, vel *Licentiati*, ſicut qui ab aliqua Univerſitate, vel Generalium Studiorum Collegio nominantur ad beneficia, per Trid. *ſeſſ.* 7. *c.* 13. *de ref.* Per privilegium (non communicabile aliis Religioſis) ab hoc examine exempti ſunt Religioſi Societatis Jeſu a Greg. XIII. *in Conſtit. Pium & utile* anno 1582. quod Paulus V. *in Conſtit. Quantum* anno 1606. reſtauravit, vi cujus de vita, moribus, natalibus, ætate, & aliis in ordinando requiſitis ab Epiſcopis examinari non debent.

Dico 2. In præfato examine diligenter inquirendum eſt in genus, perſonam, ætatem, inſtitu-

tutionem, mores, doctrinam, & fidem ordinandorum, *c. 5. cit.* Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 7. *de ref.* An nimirum ordinandus non deſcendat ex genere maculato, ſeu ex hæreticis (quod tamen in Germania non multum attenditur) an non ſit ſervus, bigamus, illegitimus, vel alia irregularitate laborans &c. Per *inſtitutionem* meo Judicio non male intelligitur notitia, quam ordinandus habere debet circa ſuum officium, ad quod deputatur: officium autem *tonſurati* ſeu *pſalmiſtæ* eſt cantare Pſalmos, Reſponſoria &c. *Oſtiarii* cuſtodire Eccleſiam, dignos admittere, excludere indignos: *Lectoris* ſacra Lectione fidelium animos ad pietatem excitare: *Exorciſtæ* invocare ſuper energumenos & cathecumenos: *Acolythi* deferre lumina, vinum & aquam ad Sacrificium: quæ omnia licet a Laicis fieri poſſint & ſoleant, a taliter tamen ordinatis fiunt *ex officio* & ſpeciali Deputatione: *Subdiaconi* calicem in Miſſa ſolemni deferre ad Altare, cantare Epiſtolam, deferre habitum & tonſuram clericalem, recitare breviarium, ſervare caſtitatem ex voto tacito: *Diaconi* immediate in omnibus miniſtrare ſacerdoti ſolemniter ſacrificanti, cantare Evangelium prædicare Verbum Dei &c. *Presbyteri* demum adminiſtrare Sacramenta, docere populum neceſſaria ad ſalutem, ſacrificare &c.

4 Dico 3. Pœna ordinantis aliquem ignotum ſine prævio examine, eſt arbitraria, ordinantis vero aliquem, quem ſcit laborare impedimento, privatio poteſtatis ordinandi per ſententiam, *can.* 55. *diſt.* 50. Pœna autem ordinari ſe facientis ſine examine, & furtive ſe immiſcentis ordinandis, eſt ſuſpenſio per ſententiam, licet alias fuiſſet dignus, per *can fin.d.*24. Si quis autem ſuum impedimentum in examine reticeat, deponi jubetur *can.*55.*cit.* quod intelligo de impedimento alias

mani-

manifeſto, vel poſtea comperto, & de foro externo; nam puto, probabilius eſſe. Ordinandum non teneri in conſcientia manifeſtare impedimentum vel defectum occultum Juris eccleſiaſtici; quia tam difficilis obligatio vel ſeipſum infamandi, vel impediendi a tanto favore, quem conſequitur ex ordinibus, non ſatis probatur.

TITULUS XIII.

De ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiavit Epiſcopatui.

SUMMARIUM.

1 *Quid in hoc Titulo tradatur.*

1 DIco. Epiſcopus, qui renuntiavit vel *loco tantum*, h. e. curæ, officio, & adminiſtrationi, Epiſcopatus: vel *loco & dignitati ſimul*, h. e. Ordini Epiſcopali, vel potius hujus executioni, quia v. g. timet depoſitionem ob delictum, ordinat valide quidem, at non licite, etiam cum licentia alicujus Epiſcopi, ſi confert ordines majores *c.* 1. *h. t.* quod valide ordinet, patet inde, quod retineat characterem Epiſcopalem, utpote inauferibilem: quod non licite, quia ipſi prohibetur *c.* 1. *cit.* Unde & recipiens ordines majores a tali non poteſt exercere Ordines, donec cum ipſo diſpenſetur *c.* 1. *cit.* Epiſcopus autem, qui tantum renuntiavit *loco*, non *dignitati ſimul*, ordinet licite, quando ordinat cum licentia alicujus Epiſcopi, cujus ſubditum ordinat *c.* 1. *cit.* illicite vero, ſi ſine licentia; quia poſt renuntiationem non amplius habet ſubditos.

TITU-

TITULUS XIV.

De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.

SUMMARIUM.

1 *Qualis ætas in promovendo ad beneficium.*
2 *Et qualis ordo requiratur.*
3 *Et quænam aliæ qualitates.*
4 *An valeat collatio beneficii indigno facta.*
5 *Et nondum habenti debitum ordinem.*
6 *Beneficia curata dignioribus conferenda.*

NOmine *præficiendorum* veniunt hic illi, de quorum promotione ad beneficia & dignitates eccleſiaſticas agitur: quales igitur hi eſſe debeant, hoc loco examinatur.

1 Dico 1. *Ætas* in promovendis eſt varia, a jure noviſſimo Tridentini potiſſimum determinata, & quidem ad conſequendum beneficium quodcumque etiam ſimplex, annus 14. Trident. *ſeſſ.* 23 *c.* 6. *de ref.* ad dignitates, curam animarum non habentes annexam, annus 22. completus: ad dignitates, quibus cura animarum annexa eſt, 25. inchoatus ſaltem. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 12. *de ref.* ſicut ad beneficia curata & parochialia atque ad vicarias perpetuas curatarum Eccleſiarum, *c.* 7. §. *inferiora de Elect. Clem un. de offic. Vicar.* quia de his Trident. nihil diverſi ſtatuit, ſicut de penſionibus, ad quas proin hodie adhuc ſufficiunt 7. anni, uti & de Epiſcopatu, ad quem requiruntur 30. anni completi, quos requirit *c.* 7. *de Elect.* Ad canonicatus, præbendas, & portiones denique requiritur talis ætas, ut ſaltem infra tempus a jure præſcriptum (h. e. in-

infra annum, ut explicat *Clem.* 2. *h.t.*) initiari valeat illo ordine, quem canonicatus, præbenda, vel portio illa requirit. Ceterum collatio beneficii (idem eſt de præſentatione, electione &c. nam etiam tunc jam debet adeſſe legitima ætas juxta communem) ante debitam ætatem facta, eſt ipſo jure nulla, ſaltem pro foro externo, per *c.* 14. *de Elect. in* 6. quia facta eſt inhabili. Nec poteſt diſpenſare Epiſcopus excepto caſu, quo quis 20. annos complevit, & aſpirat ad dignitatem, quæ curam animarum non habet annexam; hoc enim Epiſcopo conceditur *c. un. h. t. in* 6.

2 Dico 2. *Ordo* aliquis neceſſarius ad omne beneficium vel dignitatem eccleſiaſticam conſequendam: ſed pro varietate beneficiorum varius. Adeoque nullum beneficium vel dignitas valide acquiritur, niſi promovendus ſaltem ſit initiatus prima tonſura, per quam fit clericus, ſeu ponitur in ſtatu clericali *c.* 2. *de Inſtit. c.* 6. *de tranſact.* Præterea ille ordo eſt neceſſarius, quem requirit beneficium vel de jure, vel de conſuetudine, vel ex fundatione: ſic ad beneficia curata, & dignitates, quibus cura animarum ſubeſt, requiritur ordo presbyteratus, & juxta Tridentinum *ſeſſ.* 22. *c.* 2. *de ref.* Ordo aliquis ſacer, ſaltem ſubdiaconatus ante 6. menſes ſuſceptus, antequam quis promoveatur ad Epiſcopatum. Notandum tamen eſt, quod, ubi jus vel fundatio requirit certum ordinem, v. g. Presbyteratum ad beneficium curatum, ſufficiat, modo intra annum talis ordo ſuſcipiatur. *c.* 14. *de Elect. in* 6. *c.* 8. *de Præb. in* 6.

3 Dico 3. Præter legitimam ætatem, & præſcriptum ordinem, promovendus ad beneficium etiam habere debet illas *qualitates*, quas habere oportet promovendum ad Ordines, & ad *tit. XI.* ſupra recenſuimus, excepta tamen ſubje-

ctione,

ctione, & Titulo. Qui illas autem habet, regulariter quoque *dignus* cenſetur beneficio, *c.* 13. *h. t.* licet alius poſſit eas habere in gradu excellentiori, & ideo eſſe *dignior*. Neque de novo examinare neceſſe eſt illis qualitatibus inſtructum, niſi prenſet beneficium curatum, vel beneficium ſit in aliena diœceſi, vel juſta cauſa aut ſuſpicio novi impedimenti vel defectus superveniat. Singulariter attendenda eſt in præficiendo probitas morum, & ſcientia litterarum, *c.* 7. *de elect. c.* 29. *de præb. Clem.* 1. *h. t. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 18. *de ref.* quia ex his plurimum pendet adminiſtratio beneficii, & officii, propter quod datur beneficium, executio: Idem Trid. requirit vel ſaltem optat in quibuſdam etiam Doctoratum, vel Licentiatum, ex Theologia aut Jure Canonico, uti 1. in Epiſcopis: ubi tamen apud hos moris non eſt ſuſceptio dictorum graduum, requirit ſaltem publicum alicujus Academiæ teſtimonium, vi cujus idonei declarentur eſſe ad alios docendos. 2. In ſcholaſtico, ubi apud eum eſt munus actu docendi. 3. In Pœnitentiario Canonico, & Capituli Vicario Generali. 4. In Archidiacono. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 2. *de ref. ſeſſ.* 23. *c.* 18. *de ref. ſeſſ.* 24. *c.* 8. 12. 16. *de ref.* quod tamen non ubique eſt uſu receptum. Præterea ſubinde quædam qualitates requiruntur ex fundatione, conſuetudine, ſtatuto, v.g. ut non alius aſſumatur, niſi ex certa regione, vel civitate oriundus, aut nonniſi nobiles vel illuſtres ad canonicatus aut dignitates promoveantur: cujuſmodi ſtatutum de meris nobilibus aſſumendis, quamvis a quibuſdam impugnetur, fieri probabilius poteſt, præſertim ſi ei accedat confirmatio Sedis Apoſtolicæ vel expreſſe vel tacite; quia nullibi prohibetur, & Eccleſiis per ſe non infertur damnum

per

per tale ſtatutum; licet per accidens inferri poſſet, ſi ex nobilibus aſſumerentur etiam indigni & criminoſi; quod utique nullo ſtatuto vel conſuetudine induci poteſt.

4 Dico 4. Collatio beneficii facta indigno, v. g. infami, vel penitus illiterato, qui prorſus non ſcit ea, quæ ad ipſius officium pertinent, aut excommunicato aut ſuſpenſo &c. eſt nulla, ſaltem pro foro externo, per *c.* 7. *c.*22. *de Elect.* *c.* 7. *de Clerico excomm.* *c.* 8. *h. t.*

5 Dico 5. Collatio beneficii Parochialis (aut Curati) facta ei, qui intra annum, ceſſante legitimo impedimento, non ſuſcepit ordinem presbyteratus, valuit quidem, ſed elapſo anno rurſus amittitur ipſo jure beneficium, &, ſi recipiens nec animum ſuſcipiendi presbyteratum habuit, tenetur reſtituere fructus perceptos. Si tamen recipiens non quidem habuit animum intra annum ſuſcipiendi presbyteratum, mutata tamen poſtea mente ſuſciperet, peccaſſet quidem graviter, fructus tamen reſtituere non teneretur. Sumuntur hæc ex *c.* 14. 35. *de elect. in 6.* Qui recipit beneficium ſimplex, cui annexus eſt certus ordo, & infra annum non ſuſcipit illum Ordinem, huic ſubtrahenda eſt pars fructuum, per *Clem.* 2. *h. t.* &, ſi creſcat contumacia, recte auferuntur omnes.

6 Dico *6*. Beneficia curata conferri debent non quomodocumque dignis, ſed dignioribus, ſeu iis, qui attentis omnibus ſuperant alios in requiſitis qualitatibus, & Eccleſiæ ac animabus cenſentur *utiliores* fore. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.*18. *de ref.* S. Pius V. *in Conſtit. in conferendis*. Si autem conferantur minus digno, nulla eſt obligatio digniori aliquam faciendi reſtitutionem; quia non eſt læſum ipſius jus proprietatis, ſed ſolum dignitatis.

TITU-

TITULUS XV.

De Sacra Unctione.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit Unctio ſacra, oleum ſimplex, chriſma.*
2 *A quo benedici utrumque debeat.*
3 4 *An unctio ſit neceſſaria ad valorem ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis.*

1 UNctio Sacra, de qua hic agitur, quia in ordinatione Sacerdotum adhibetur, eſt delibutio per oleum olivarum materiale & benedictum, facta ſecundum formam ab Eccleſia traditam. Adhibetur in 4. Sacramentis, Baptiſmo, Confirmatione, Extrema unctione, & Ordine presbyterali & epiſcopali. Oleum vel eſt *ſimplex*, vel *miſtum*, ex oleo & balſamo, quod appellatur *Chriſma*. Simplex aliud dicitur *cathechumenorum*, quod principaliter ad inungendos baptizandos, & aliud *infirmorum*, quod ordinatur ad inungendos moribundos in Extrema unctione. Miſtum vero, ſeu Chriſma, applicatur in Confirmationis & Ordinis presbyteralis & epiſcopalis Sacramentis. Quamvis probabiliter valeret Sacramentum Confirmationis, quod per oleum ſimplex: Extrema unctio, quæ per Chriſma conferretur.

2 Dico 1. Oleum ſimplex utrumque, & Chriſma, debet eſſe novum, ſeu illo anno, quo adhibetur, benedictum & confectum, juxta traditionem Eccleſiæ & *can.* 18. *d.* 3. *de Conſecr.* Quamvis autem utrumque oleum benedici, & Chriſma confici debeat ex traditione Eccleſiæ ab Epiſcopis, a Summo tamen Pontifice tam benedictio olei quam

quam confectio Chriſmatis delegari poteſt ſimplici Sacerdoti; quia non apparet, quare id fieri non poſſit, cum collatio ordinum delegari poſſit a Pontifice ſimplici Sacerdoti. *Objic.* in Conc. Florent. §. *ſecundum in Decreto Eugenii* pro materia Sacramenti Confirmationis requiritur Chriſma *ab Epiſcopo benedictum:* ergo benedictio Epiſcopalis eſt de eſſentia materię Sacramenti Confirmationis: ergo ab alio, quam ab Epiſcopo, fieri non poteſt. R. Concilium Florentinum ibi non tantum exprimit neceſſaria neceſſitate Sacramenti ſed etiam alia, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti eccleſiaſtici, in quo Papa diſpenſare poteſt.

3 Dico 2. Unctio Sacerdotis non eſt neceſſaria ad valorem Ordinis Sacerdotalis: partim quia id nec ex Scripturis nec aliunde probari poteſt, partim quia materia Sacerdotii proxima in ordine ad poteſtatem in verum Chriſti Corpus, ſeu ad conficiendam Euchariſtiam, eſt traditio patenæ cum hoſtia & calicis cum vino: in ordine autem ad poteſtatem in myſticum Corpus Chriſti, ſeu ad fideles abſolvendos a peccatis, eſt impoſitio manuum epiſcopalium, non inunctio chriſmatica.

4 Dico 3. neque unctio ad valorem conſecrationis epiſcopalis requiritur. Ita commnis contra paucos, fundata partim in *c. un. pr. h. t.* ubi unctio Epiſcopi, quæ ſecundum morem Græcæ Eccleſiæ fuerat omiſſa, ex mandato Innoc. III. debet *ſuppleri* ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ: ergo Pontifex declaravit, ordinem & conſecrationem valuiſſe; alias *reiterari* debuiſſet: partim quia non ſatis probari neceſſitas unctionis ad valorem poteſt, cum alia ſit materia conſecrationis epiſcopalis, nempe impoſitio manuum juxta *1. Timoth.* 4. *v.* 14. ubi S. Paulus monet Timotheum Epiſcopum, ne negligat gratiam, quam accepit per *impoſitionem manuum.*

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit Sacramentum, & quæ reiterari nequeant.*
2 *Quid ſi in his aliquid fuerit omiſſum.*

1 S*Acramentum* Novæ Legis, ut definit Catechiſmus Romanus, eſt ſignum aliquod ſenſibile (ſcilicet practicum) gratiæ inviſibilis ad noſtram juſtificationem divinitus inſtitutum. Unde ſingula Sacramenta requirunt rem ſenſibilem velut materiam, certa verba tamquam formam, & perſonam miniſtri intendentis facere, quod Chriſtus inſtituit, & per applicationem materiæ ac per verba ſignificatur. Tria ex Sacramentis, quæ interveniente unctione conferri ſolent, imprimunt characterem in anima, ſeu ſignum aliquod ſpirituale indelebile nimirum Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. Trid. *ſeſſ. 7. can. 9. de Sacram. in genere*, atque ideo reiterari non poſſunt, h. e. ſemel valide collata de novo conferri valide aut ſuſcipi. Trid. *l. c.* & qui hoc attentarent ſcienter, graviſſimum ſacrilegii peccatum committerent.

2 Dico. Si in collatione Ordinis (Confirmationis, Baptiſmi) certo fuit aliquid omiſſum, quod pertinet ad eſſentiam talis Sacramenti, de novo totaliter conferri debet: ſi vero, quod omiſſum eſt, non ſpectet ad valorem, ſed ſolum requiritur ex præcepto, caute (h. e. debita cum reverentia, & cura, ut evitetur ſcandalum) ſupplendum eſt. Text. & DD. *in c. 1. h. t.*

Objic.

Objic. *in c. 3. eod.* habetur, quod, ſi in ordinatione presbyteri, vel diaconi, omiſſa fuerit impoſitio manuum, ordinatio non ſit reiteranda, ſed ſupplendum, quod omiſſum: ſed impoſitio manuum eſt de eſſentia ordinationis ſaltem presbyteri: ergo. Reſp. ibi eſt ſermo de prima manuum impoſitione, quæ in ordinatione Sacerdotis præcedit porrectionem patenæ cum hoſtia &c. qua confertur poteſtas conficiendi Euchariſtiam & ſacrificandi; & hæc impoſitio non eſt de eſſentia ordinationis ſacerdotalis (uti nulla impoſitio eſt de eſſentia ordinationis in diaconum) ut omnes fatentur: ſed tantum altera impoſitio manuum, qua traditur poteſtas abſolvendi a peccatis, eſt de eſſentia ordinationis ſacerdotalis inadæquatæ. Vel eſt ſermo de impoſitione manuum, quæ non eſt facta per contactum phyſicum, qui ex præcepto Eccleſiæ tantum, non ex neceſſitate Sacramenti requiritur. Dixi, *certo*; ſi enim dubium dumtaxat ſit, an aliquid eſſentiale ſit omiſſum, ſub conditione conferri poteſt, imo Sacramentum Baptiſmi, & Ordinis, ſaltem ſacerdotalis, debet ob ſummam neceſſitatem Baptiſmi, & ob gravia animarum præjudicia, ſi ſacerdotium non valide eſſet collatum.

TITULUS XVII.

De filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.

SUMMARIUM.

1 *Qui dicantur filii presbyterorum, legitimi & illegitimi.*
2 *Omnes illegitimi ſunt irregulares.*
3 *Et ſpeciale quid habent filii presbyterorum.*

4 *Defectus natalium quomodo tollatur.*
5 6 *Si occultus ſit, etiam Epiſcopus diſpenſat.*

1 PEr *filios presbyterorum* veniunt hic, qui patrem habent clericum in Ordine ſacro conſtitutum: ſi pater poſt ſuſceptos in legitimo matrimonio filios Ordine ſacro initiatus eſt, ſunt *legitimi:* ſi vero poſt ſuſceptum Ordinem ſacrum eos genuit, ſunt *illegitimi*. De utriſque his agitur, uti & de omnibus illegitimis, ſeu defectu natalium laborantibus, quia ſunt irregulares, & inhabiles tum ad ordines, tum ad beneficia eccleſiaſtica, ſicut & ſervi, obligati ad ratiocinia, corpore vitiati, & bigami, de quibus in ſequentibus *titulis*. Porro *illegitimi* in genere dicuntur, qui non ſunt procreati ex legitimo thoro, h. e. ex matrimonio vel vere vel ſaltem putative valido. Si nati ſunt ex parentibus quidem ſolutis, inter quos tamen potuit validum conſiſtere matrimonium vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio, appellantur *naturales*, vel *nothi:* ſi vero inter parentes nec tempore conceptionis potuit conſiſtere validum matrimonium, nec tempore nativitatis, nec intermedio, vocantur *orti ex damnato coitu*, aut ſecundum jus canonicum *Spurii*, uti ſunt adulterini, ſacrilegi, inceſtuoſi.

2 Dico 1. Illegitimi omnes ſunt irregulares, itaut nec ad ordines minores ſine prævia legitimatione aut diſpenſatione promoveri licite poſſint, vel jam ordinati ad beneficia eccleſiaſtica. *c.* 1. *x.* & *in* 6. *h. t. Objic.* culpa parentum non debet nocere filiis, nec filius debet portare iniquitatem patris. *Ezech.* 18. R. id verum eſt in tantum, ut filii non proprie puniendi ſint propter delicta parentum; non tamen, ut ipſis negari nequeat favor alias non debitus, ubi juſta

ſup-

ſuppetit cauſa negandi, nimirum reverentia ergà ordines & miniſteria eccleſiaſtica, ad quæ promoveri macula, quam inducit defectus natalium, laborantes non convenit, & timor, ne filii imitentur parentum incontinentiam. Hæc igitur excluſio ab ordinibus fundatur non tam in pœna, quam in defectu & inhabilitate quadam ex delicto parentum redundante in filios.

3 Dico 2. Filii presbyterorum illegitimi præter inhabilitatem ad ordines & beneficia, aliis illegitimis communem, ſpecialiter inhabilitati ſunt ad beneficium quodcumque etiam diſſimile, in iis Eccleſiis, in quibus patres eorum habent, vel habuerunt beneficium, nec in dictis Eccleſiis quoquomodo miniſtrare, nec penſiones ex beneficiis ſuorum patrum capere poſſunt. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 15. *de ref.* Dixi, *illegitimi;* nam legitimi ſolummodo prohibentur immediate patri ſuccedere in beneficio, quod pater habuit titulum, *c.* 7. 13. 17. *h. t.*

4 Dico 3. Illegitimi habilitantur ad ordines & beneficia non modo per ſubſequens matrimonium a ſuis parentibus poſtea contractum, & per Reſcriptum Papæ, vel diſpenſationem, ut habet communis ex variis juribus, ſed etiam per Profeſſionem & vota Religioſa, licet non ad Prælaturas, etiam Ordinis Religioſi. Textus & gloſſa in *c.* 1. *& fin. h. t.*

5 Quæres, an Epiſcopus diſpenſare poſſit in defectu natalium; R. 1. ad ordines minores, & beneficia ſimplicia, poteſt, *c.* 1. *h. t. in* 6. R. 2. probabiliter etiam ad ordines majores, ad beneficia curata, & ad dignitates, ſi defectu natalium ſit occultus. Ita cum Diana, Avila, Barb. Engel. P. Franciſcus Schmier *de poteſtate ordinis c.* 6. *n.* 86. 196. 470. contra communem. Probatur ex Trid. quod *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de ref.* dicit: *liceat*

Epiſcopis in omnibus irregularitatibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum diſpenſare: cum igitur irregularitas illegitimitatis oriatur ex delicto, quamvis non proprio, bene tamen ex alieno parentum, recte ad eam videtur extendi diſpoſitio Tridentini, utpote beneficium Principis & mera gratia, in nullius præjudicium cedens, quod eſt largiſſimæ interpretationis, *c.* 16. *de V. S. c.* 22. *de Privil.* Et ſane, ſi non extenderetur ad irregularitatem inductam propter delictum alienum, melioris forent conditionis irregulares ex proprio delicto, quam irregulares ex delicto alieno, & ex defectu. Adde, quod ſub voce *delicti* in lata acceptione etiam venire poſſit *defectus*, ex aliquo tamen delicto ortus. Ergo, ſi defectus natalium ſit occultus, ſeu non notorius, probabiliter in eo diſpenſare conceſſit Epiſcopis Tridentinum. Accedit, quod dici valeat, Tridentinum in ſuo privilegio Epiſcopis conceſſo vocem *delicti* retuliſſe ad *ſuſpenſiones*, non ad *irregularitates*; cum irregularitates ſæpe contrahantur abſque delicto, ſuſpenſiones numquam ſine delicto.

6. Quamvis vero privilegium hoc & facultas diſpenſandi in vitio natalium ſit latæ interpretationis, ipſa tamen actualis diſpenſatio, quia derogat juri communi, ſtricte accipienda eſt. Quare ſimpliciter diſpenſatus ad ordines, ad beneficia &c. non hoc ipſo cenſetur diſpenſatus ad ordines majores, ad beneficia curata &c.

TITULUS XVIII.

De ſervis non ordinandis, & eorum manumiſſione.

SUMMARIUM.

1 *Servi alii ſunt proprie, alii improprie tales.*
2 *Omnes ſunt irregulares.*

1 *SErvi* alii ſunt proprie tales, qui nempe contra naturalem libertatem jure gentium alieno dominio inſtar jumentorum ſubjecti ſunt, quod fit vel captivitate in bello juſto, vel nativitate, ſi quis nempe ex matre ſerva, ſeu ancilla ſtricte dicta, natus eſt. Tales inter Chriſtianos non dantur in reverentiam nominis & libertatis Chriſtianæ, in quam nos Chriſtus poſuit. Alii autem ſunt improprie tales, nimirum homines *adſcriptitii*, &c, qui ex iſtis generantur, *originarii*, vel, ut aliqui vocantur, *proprii*, qui nimirum dominis ſuis non ſolum ratione bonorum & poſſeſſionum ſuarum, uti emphyteutæ, & feudatarii, ſed etiam perſonaliter devincti ſunt, vel ad colendos agros, aliave obſequia perpetuo, adſcripti, itaut ſine eorum voluntate, conſenſu, ſeu manumiſſione ab hac cultura, vel obſequiis recedere non poſſint. Qui a ſervitute per domini conſenſum dimittuntur plene, vocantur *manumiſſi*, qui vero non plene, ſed ſub conditione operarum temporalium, ex perſonali obligatione adhuc præſtandarum, dicuntur *liberti*, vel *libertini*.

2 Dico. Nec ſervi proprie dicti: nec liberti: nec homines adſcriptitii, originarii, & proprii, licite ordinantur, *tot. h. t. de ſervis non ordin.* item *can. 1. 5. 12. 21. & fin. d. 54.* Con-

ſentit communis DD. & praxis. Ratio eſt, quia dignitas clericalis non convenit conditioni ſervili, & horum hominum vilitati. Neque ſine injuria dominorum hi homines poſſunt abſtrahi a debitis ſervitiis & obſequiis, quæ cum miniſterio Eccleſiæ compatibilia vel non ſunt, vel ſine indecore præſtari nequeunt.

TITULUS XIX.

De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.

SUMMARIUM.

1 *Quinam dicantur obligati ad ratiocinia.*
2 *Quomodo ſint irregulares.*

1 O*Bligati ad ratiocinia* dicuntur, qui propter adminiſtrationem alienorum bonorum temporalium, vel publicam, qualem habent Curiales, ſeu qui procurant negotia & officia curiæ, uti Quæſtores, tributorum Collectores, Procuratores Collegiorum, Præfecti Urbium, Commiſſarii militum, &c. vel privatam, uti Tutores, Curatores, Teſtamentorum Executores &c. adſtriguntur alteri ad rationes reddendas. Ad hos non pertinent adminiſtratores rerum Eccleſiaſticarum, cauſarum & locorum piorum, defenſores pauperum: neque obligati aliis ex mutuo, aut alio contractu.

2 Dico. Obligati ad ratiocinia non ordinantur licite, niſi depoſito prius officio rationes reddiderint, & plenam a ſuis principalibus liberationem obtinuerint, *can. 59. d. 50. can. 3. d. 54. cap. un. h. t.* Ratio eſt partim,
ne

ne contingat inde Eccleſiam litibus aliiſque incommodis vexari. Ordinatos vero temporalibus curis nimium involvi, partim ne fiat præjudicium & fraus iis, quibus obligati ſunt: ſi enim ordinati fuerint, conſequuntur privilegium competentiæ, vi cujus in ipſos plena executio fieri nequit, ſed relinqui eis debet congrua ſuſtentatio.

TITULUS XX.

De corpore vitiatis ordinandis, vel non.

SUMMARIUM.

1 *Vitiati corpore ſunt in triplici claſſe.*
2 *An promoveri ad aliquem ordinem, & an promoti miniſtrare in aliquo poſſint.*
3 *Quis diſpenſet in vitio corporis.*

1 V*Itiati corpore*, quos ordinari non convenit, ſunt in triplici claſſe. In 1. *Mutilati*. In 2. *Debilitati*. In 3. *Deformes*. Ad *Mutilatos* ſpectant, qui carent aliquo corporis membro, v. g. lingua, oculis, auribus; manu, uti muti, cœci, ſurdi, unimani; item qui cum peccato mortali ſibi ipſis vim intulerunt etiam partem membri tantum, v. g. digitum amputando, & qui ſeipſos caſtrarunt, vel caſtrari fecerunt, aut ſponte permiſerunt. Ad *Debilitatos*, qui unum vel plura membra, quæ ad ſacrum miniſterium requiruntur, habent prórſus inutilia, uti quibus eſt lingua valde ligata, manus arida, aut digitis canonicis, indice & pollice deſtituta, crus valde contractum: item laborantes morbo gravi moraliter incurabili ſive corporis, uti leprosi, epileptici ſeu morbo caduco correpti; ſive

 ani-

animi, uti furioſi, lunatici &c. Ad *Deformes* denique, qui vel notabilem circumferunt maculam in vultu, v. g. fœdam cicatricem, oculos valde diſtortos &c. ut horrorem generent aſpicientibus: vel in alia corporis parte defectum patiuntur, ex quo alii commoventur ad riſum, uti truncati auriculis, habentes ſtrumam, gibbum magnum, caput monſtruoſe vel magnum vel parvum, unum brachium notabiliter brevius altero, turpiter claudicantes, pigmæi &c. Vitiatis corpore tamen non accenſentur ſurdaſtri, qui blæſæ ſunt linguæ, qui habent unum oculum potentia videndi deſtitutum (modo non ſit omnino erutus) etiamſi ſit ſiniſter, qui vocatur oculus *canonicus*, qui caret uno digito ad ſacras functiones non neceſſario. In dubio, an vitium corporis aut deformitas ſit tanta, ut inducat irregularitatem, ſeu inhabilitatem ad ordines, arbitrari pertinet ad Epiſcopum, per *c. 2. h. t.*

2. Dico: Vitiati corpore ad nullum ordinem licite promoventur. 2. Semel tamen ordinati, ſi vitium ſuperveniat, ſolum prohibentur exercere illos ordines, quorum functiones ſine indecore, ſcandalo, vel irreverentia peragere non amplius valent. Pars 1. ſumitur ex *can. 1. d. 36. can. 59. d. 70. can. 4. ſeqq. d. 55. c. 3. ſeqq. h. t.* ubi generaliter ordinari prohibentur, licet forte ſolum functiones ſacerdotum obire nequeant. Pars 2. ex *c. 2. de Cler. ægrot.* Quia jam ordinati, quibus ſupervenit vitium, jam obtinuerunt jus quæſitum. Unde Sacerdos, qui ſit cœcus, abſtinere quidem debet a celebratione Miſſæ, non vero ab audiendis confeſſionibus. Item ſi cui ſuperveniat deformitas, ut in loco publico celebrare ſine indecore nequeat, is tamen poterit admitti ad celebrandum in loco privato juxta arbitrium Epiſcopi, vel ſuperioris Regularis, ſi ſit Religioſus.

3. Quæ-

3 Quæres, quis diſpenſare poſſit in vitio corporis? Reſp. ſolus Papa: ſi tamen vitium ſit ortum ex occulto delicto (& juxta me etiam ex defectu occulto) Poterit etiam Epiſcopus diſpenſare, per Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de ref.* uti deduces ex dictis ad *tit. de fil. presb.* Sicut etiam permittitur eidem a DD. diſpenſatio in vitio non notabili, item ad ordines minores & beneficium ſimplex. Pirhing. *h. t. n.* 15. *ad fin.* cum Piaſec. & Laym.

TITULUS XXI.

De bigamis non ordinandis.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſit bigamia.*
2 *Inducit irregularitatem.*
3 *An, & a quo diſpenſabilem.*

1 BIgamus, quaſi bis conjugatus, conſtituitur per matrimonium iteratum, & copulam carnalem affectu maritali exercitam: quod triplici modo contingere poteſt. 1. Quando quis duo (vel plura) matrimonia contrahit valide, eaque per copulam carnalem conſummat: & tunc datur *bigamia vera.* 2. Quando quis revera quidem unicum matrimonium contrahit, ſed fictione juris & interpretative duplex, illudque conſummat ut ſi quis contrahat valide, aut invalide, cum vidua a marito ſuo prius cognita, vel cum femina ab alio prius corrupta, eamque carnaliter cognoſcat, vel conjugatur cum propria uxore, poſtquam hæc commiſit adulterium ſeu ſponte, ſeu vi oppreſſa, non obſtante, quod ignoraverit adulterium uxoris, aut fornicationem cum alio commiſſam ab

ea, cum qua conjungitur affectu maritali, aut nullitatem matrimonii, quam contrahit cum corrupta ab alio, propter impedimentum dirimens occultum: & hæc bigamia vocatur *interpretativa*. 3. Quando quis poſt profeſſionem Religioſam, aut ſuſceptos Ordines ſacros, & ſic in matrimonio ſpirituali conſtitutus, attentat contrahere matrimonium carnale cum una eaque virgine, ac maritali affectu conſummat: & hæc bigamia appellatur *Similitudinaria* propter ſimilitudinem matrimonii ſpiritualis, quod oritur ex voto ſolemni cum Chriſto & Eccleſia, & carnalis. Si quis igitur non contrahat matrimonium cum unica, eaque virgine, adeoque contrahat vel vere vel interpretative vel ſimilitudinarie duplex (ſed ſcienter ſeu ignoranter) illudque conſummet, bigamiam contrahit, quæ eſt impedimentum ordinum clericalium propter *defectum Sacramenti*, vel potius *ſignificationis Sacramenti*, nempe matrimonii, quod ex inſtitutione ſua ſignificat perfectam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per aſſumptionem carnis humanæ, & quidem unici cum unica, eaque immaculata, *c.* 5. *h.t.* Unde

Dico: Bigami non ordinantur licite, niſi prius cum ipſis diſpenſetur. De Bigamis *vere* conſtat ex *can.* 59. *cit. c.* 2. 3. 5. *h.t.* De bigamis *interpretative* ex *can.* 9. 10. 13. 15. *d.* 34. *c.* 3. 4. *eod.* De Bigamis *ſimilitudinarie* ex *can.* 24. *cauſ.* 27. *q.* 1. *c.* 4. *de cleric. conjug.*

2 Quæres, quis diſpenſare poſſit cum bigamis? Reſp. 1. in bigamia vera & interpretativa ſolus Papa regulariter, *c.* 3. *&* *fin. h. t.* Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 17. *de ref.* Si tamen occulta ſit, juxta me etiam Epiſcopus propter Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de ref.* per ea, quæ tradidi ad *tit. de fil. Presb.* R. 2. in ſimilitudinaria, ſaltem

poſt

poſt peractam pœnitentiam, idem Epiſcopus, *c.* 4. *de cler. conjug. c.* 1. *qui Clerici vel vov.* item ſuperiores Regulares cum ſuis Religioſis. *Suar. de cenſur. diſp.* 51. *ſect.* 6. *nu.* 18. quia in hos obtinent juriſdictionem quaſi epiſcopalem.

3 *Objic.* 1. Bigamia eſt impedimentum juris divini juxta illud 1.*Tim.* 3. *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*. 2. *In bigamis contra Apoſtolum diſpenſare non licet*, *c.* 2. *h.t.* Papa non poteſt immutare ſignificationem Sacramenti, ex cujus tamen defectu oritur irregularitas bigamiæ: ergo nec ejus defectum tollere poteſt diſpenſando. Ergo nec Papæ conceſſum eſt diſpenſare cum bigamis. R. ad 1. Ille textus non inducit jus divinum, quia ſcriptus a Paulo ut a Prælato Eccleſiæ, non ut ab Apoſtolo, jus divinum promulgante, ſicut canones Apoſtolorum provenerunt ab Apoſtolis ut a Prælatis Eccleſiæ jus eccleſiaſticum ſtatuentibus. Ad 2. Ibi ſolum inſinuatur difficultas in diſpenſando in reverentiam S. Pauli, qui primus induxit irregularitatem bigamiæ. Ad 3. Quamvis Papa nec immutare, nec tollere poſſit ſignificationem Sacramenti, nihilominus tamen ea manente poteſt admittere ad Ordines laborantem defectu ſignificationis Sacramenti; quia a ſola Eccleſia propter hunc defectum excluſio ab ordinibus introducta eſt.

TITULUS XXII.

De Clericis Peregrinis.

SUMMARIUM.

1 *Quinam clerici dicantur peregrini.*
2 *An ordines ulteriores ſuſcipere, & in ſuſceptis miniſtrare permittendi ſint.*

1 Per

1 PEr Clericos *peregrinos* hic denotantur, qui extra ſuas diœceſes peregrinantur, aut vagantur, ac ita ignoti ſunt, ut de illorum ordinatione ac vita non conſtet, nihilominus tamen ulterius in ordinibus promoveri, vel in ſuſceptis miniſtrare volunt.

2 Dico clerici peregrini ad ulteriores ordines non promoventur licite ſine litteris dimiſſoriis, doctrinæ morumque teſtibus, & licentiam ab alieno Epiſcopo recipiendi ordines exprimentibus. 2. Nec admittendi ad divina ſaltem publice celebranda ſine litteris fidem facientibus, quod ordines, in quibus miniſtrare volunt, ſuſceperint, ac impedimento eos exercendi careant; vel ſaltem ſine alio teſtimonio; quo de dictis ſufficiens fiat fides, v. g. per teſtes, famam, vel alia indicia. Pars 1. liquet ex *tit. XI. in 6.* ubi egimus de dimiſſoriis. Pars 2. ex *c. 1. 2. 3. h. t.* & ex Trid. *ſeſſ. 22. in Decreto de obſerv. in Celebr. Miſſæ ſeſſ. 23. c. 16. de ref.* nimirum ad vitandas fraudes pravorum hominum clericos, vel etiam Sacerdotes ſe mentientium. Dixi *ſaltem publice*; nam ad privatim celebrandum & abſque ſtipendio facilius admitti poſſunt, modo parati ſint juramento ſe probare ſacerdotes, nec adſint rationes peculiares, quæ ipſos reddant ſuſpectos de fraude, per *c. 3. cit.* in privato enim non decipiunt populum, & nemo facile præſumitur malitioſus ſine aliquo ſuo commodo, aut ſtipendio.

TITULUS XXIII.

De officio Archidiaconi.

SUMMARIUM.

1 2 *Quid ſit Archidiaconus, & quod ejus officium.*

1 *Ar-*

1 **A***Rchidiaconus*, quaſi primus vel Princeps inter diaconos, de jure communi primum ab Epiſcopo locum obtinet, non quidem dignitate Ordinis Sacri, cum non ſit neceſſario Sacerdos, & ratione ordinis ipſum præcedat Archipresbyter, ſed poteſtate juriſdictionis quoad forum externum: hinc etiam *oculus Epiſcopi*, & *Vicarius primus* ſalutatur, utpote juriſdictionem cum Epiſcopo (huic tamen ſubordinatam) exercens in totum Clerum & Eccleſias in temporalibus ac ſpiritualibus, viſitando diœceſim, examinando ordinandos, inveſtiendo beneficiatos &c. *tot. tit. de offic. Archidiac.* Sed jus recentius in Trid. aliqua ademit Archidiacono, & reſervavit Epiſcopo, uti viſitationem diœceſis, examen ordinandorum, judicium in cauſis criminalibus, matrimonialibus, beneficialibus, & concubinatus. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 3. 18. 20. *de refor.* Adhuc plura circa officium Archidiaconi immutavit fere ubique conſuetudo. Unde:

2. Dico. In quo hodie conſiſtat officium Archidiaconi, & quid poſſit, ex conſuetudine ſingularum Eccleſiarum dependet, & cognoſci debet. Siquidem hodie in quibuſdam Eccleſiis Cathedralibus ne quidem nomen *Archidiaconi* extat amplius: in aliis autem viget quidem adhuc nomen, at ſine præeminentia & juriſdictione: in aliis retinet quidem præeminentiam inter canonicos, at ſine juriſdictione & adminiſtratione; in aliis obtinet quidem aliquam juriſdictionem, at limitatam vel ad civitatem Epiſcopalem, vel ad certum diœceſis diſtrictum, *fines Archidiaconatus*, dictum &c. Totum vero hodie officium Archidiaconi reſidet penes Archipresbyterum, Officialem & Vicarium Generalem, qui ultimus etiam ſpectato jure communi, ſecundum quod Archidiaconus,

nus eſt primus Epiſcopi Vicarius, ab hoc plurimum differebat: nam Archidiaconus erat Vicarius *natus* & intitulatus, juriſdictionem immediate ac directe provenientem a jure, eámque diſtinctam ab epiſcopali tribunali exercens: econtrá Vicarius Generalis eſt Vicarius *datus* juriſdictionem immediate & directe ab Epiſcopo provenientem, ac ab ejus tribunali indiſtinctam obtinens.

TITULUS XXIV.

De officio Archipresbyteri.

SUMMARIUM.

1 2 *Quis ſit Archipresbyter, & quod ejus officium.*

1 ARchipresbyter, quaſi primus ex presbyteris, alio nomine appellatur *Decanus*, *c. 7. de off. Archid.* item *Plebanus*, *c. 3. de off. jur. ord.* De jure communi præeſt aliis presbyteris, & in iis, quæ ſunt Sacerdotalis officii, imperat, ac juriſdictionem pro foro interno exercet, curatque ea, quæ pertinent ad Officium Divinum, Miſſarum ſolemnia, & Sacramentorum, præcipue Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ adminiſtrationem *c. 1. ſeqq. h. t.* In hoc Archipresbyteri officio iterum conſuetudo plurimum immutavit, cum in quibuſdam Eccleſiis nec nomen ejus extet amplius: in aliis extat quidem nomen, ſed officium ab aliis exercetur, maxime ab eo, qui *Decanus* appellatur, præſertim quoad officium Divinum, & ab alio, qui *Pœnitentiarius* dicitur, ſaltem quoad caſus reſervatos in ſacro pœnitentiæ tribunali: cum ſacerdotes nunc valeant cuivis ſacerdoti ſua non reſer-

reſervata peccata confiteri. Unde quid hodie poſſit Archipresbyter, non ex jure communi, ſed ex ſpecialibus Eccleſiarum ſtatutis, & conſuetudinibus deſumendum eſt. Archipresbyter ſeu Decanus diſtinguitur duplex *c.* 3. 4. *h. t.* ſcil. *Civitatenſis*, ſeu *Urbanus*, qui in Urbe Epiſcopali præeſt reliquis Eccleſiæ ſuæ presbyteris: & *Ruralis* ſeu *Forenſis*, qui extra Urbem Epiſcopalem in plebe exercet curam animarum, & ſimul ſub ſe habet alios presbyteros per certum diſtrictum. De hoc

2 Dico. Officium decani Ruralis indicatur *c.* 4. *cit.* vi cujus gerit curam presbyterorum ſui diſtrictus, tum ut illi rem divinam rite obeant & Sacramenta adminiſtrent, tum ut rixas, ebrietates & alia ſcandala evitent. 2. Executioni mandat per ſe vel per alios decreta Epiſcopi. 3. Congregat capitula. 4. Controverſias inter Parochos & Clericos ſibi commiſſos ortas diſponit, at ſine figura judicii; nam negotia, quæ cognitionem & deciſionem judicialem requirunt, refert ad Epiſcopum vel Vicarium Generalem. Probabiliter tamen habet aliquam juriſdictionem, quaſi *baſſam*, ſine jure gladii ſpiritualis. Pirhing *h. t. n.* 11. 12. non tamen proprie dignitatem, itaut poſſit eſſe delegatus Sedis Apoſtolicæ, *gl. in c. fin. eod.*

TITULUS XXV.

De officio Primicerii.

SUMMARIUM.

1 2 *Quis ſit Primicerius, & quod ejus officium.*

1 PRimicerius, quaſi primus in cera, ſeu tabula cerata Eccleſiæ ſcriptus, quod primum in Cho-

Choro pſallentium, & in ſchola clericorum habuerit locum, hodie mutato nomine vocatur vel *Cantor*, aut *Præcentor*, vel *Scholaſticus*, quamvis fere munus docendi, vel præcinendi, non exerceat per ſeipſum, & ſubinde præbendam canonicalem, quam Trid. conferri voluit docenti clericos & adoleſcentes, obtineat. Ejus officium inſinuatur in *can.* 1. *d.* 25. *c. un. h. t.* & Archipresbytero quoad hoc ſubeſt *d. c. un.* ac de jure dignitatem obtinet *c.* 8. *de Conſt.*

2 Dico. Quale ſit hodie officium primicerii, ſeu ſcholaſtici aut cantoris, diſcere rurſus oportet ex peculiaribus ſtatutis & conſuetudinibus cujuslibet Eccleſiæ.

TITULUS XXVI.

De officio Sacriſtæ.

SUMMARIUM.

1 2 *Quis ſit Sacriſta, & quod ejus officium.*

1 SAcriſta, a Sacrorum cuſtodia dictus, quia ejus officii eſt ſacra vaſa, veſtimenta, ornamenta, cimelia, imo & totum theſaurum cuſtodire, atque ideo etiam *theſaurarius*, vel *cimeliarcha* appellatur.

2 Dico. Sacriſta habet nudum officium, non dignitatem vel perſonatum aut præeminentiam inter Canonicos, imo in noſtris Eccleſiis hodie nullus eſt inter Canonicos, qui hoc nomen gerat, vel officium, utpote quod fere Laicis ædituis eſt commiſſum, vel etiam Clerico tamquam Vicario *Cuſtodis*, qui propterea appellatur *Sub-Cuſtos*, reſervata tamen ſuprema cura Cuſtodi, cujus, & Sacriſtæ, officia non videntur diſtincta.

TI-

TITULUS XXVII.

De officio Cuſtodis.

SUMMARIUM.

1. *Quis ſit Cuſtos, & quod ejus officium.*

1 *Cuſtos*, quamvis de jure ſit miniſter Sacriſtiæ, ac utenſilia Eccleſiæ, & rei divinæ inſtrumenta minus pretioſa cuſtodire debeat, panem & vinum parare ad Sacrificium Miſſæ, & ſacras veſtes ſacrificantibus, ſignumque ad Horas dare Canonicas per pulſum &c. *c.* 1. 2. *h. t.* & ſic merum miniſterium, ſatis humile, habeat, vi conſuetudinis tamen vix diſtinguitur a Sacriſta, exercens munus per Sub-Cuſtodem & æditum Laicum, uti notavi, in quibuſdam Eccleſiis. Quapropter

2. Dico. Vi conſuetudinis in noſtris partibus uni quidem ex Canonicis nomen *Cuſtodis*, non *Sacriſtæ*, attribuitur: in quo autem ejus verſetur officium, & an non habeat præeminentiam inter reliquos Canonicos, vel dignitatem, ex peculiaribus ſtatutis & uſu Eccleſiarum dicendum eſt.

TITULUS XXVIII.

De officio Vicarii.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſit Vicarius.*
2 *Vicarius Generalis qualis eſſe debeat.*
3 *Ejus juriſdictio eſt ordinaria.*

4. 5. *Quo-*

4 5 *Quouſque ſe extendat.*
6 *Quomodo ceſſet.*
7 *Vicarius capituli Sede Epiſc. vacante.*
8 *Vicarius in Divinis perpetuus, & temporalis.*

1 Vicarius in genere eſt, qui alterius vices gerit, ad id legitime ſubſtitutus. Hoc loco conſideratur triplex: Vicarius *Epiſcopi*: Vicarius *Capituli* Sede Epiſcopali vacante: & *Vicarius beneficiatorum*, maxime *Parochorum*, ſeu *in Divinis*, ut appellatur, ſive ſit perpetuus ſive temporalis. Vicarius Epiſcopi iterum alius eſt in *Pontificalibus*, & dicitur *Suffraganeus*, vel *Pro-Epiſcopus*, atque vices Epiſcopi gerit quoad actus Ordinis Epiſcopalis: alius autem *in Spiritualibus*, & appellatur Vicarius in Spiritualibus, aut Vicarius jurisdictionis, geritque vices Epiſcopi quoad actus jurisdictionis: paſſim vocari conſuevit *Vicarius Generalis*, & in jure etiam *Officialis*, quamvis in noſtra Germania *Officialis* dicatur, quem ſibi Epiſcopus ſubſtituit ad certas tantum cauſas, nempe matrimoniales, *in Conſiſtorio*, ut vocant, decidendas, atque diſtinguitur a Vicario Generali, ſicut & iſte a Vicario *foraneo*, qui pro certa diœceſis parte & ad certas cauſas extra Civitatem Epiſcopalem loco Epiſcopi gerendas conſtituitur, cum jurisdictione ſolum delegata: alius demum *in Temporalibus*, qui a Trid. vocatur *œconomus*. Hic nobis præcipue de Vicario jurisdictionali ſeu in ſpiritualibus, ſive *de Vicario Generali*, ſermo erit, non vero de aliis, uti nec de *Commiſſariis*, quibus nempe ab Epiſcopo certæ cauſæ particulares etiam generaliter committuntur dijudicandæ.

2 Dico 1. Vicarius Generalis debet eſſe Clericus, 2. Annum 25. ſaltem ingreſſus. 3. In Theo-

Theologia vel Jure Canonico Doctor aut Licentiatus, vel ſaltem alias rerum & jurium peritus. Pars 1. Sumitur ex *can.* 22. *cauſ.* 16. *q.* 7. convenit autem, ut conſtituatur Clericus ſæcularis, niſi gravis cauſa adeſſet conſtituendi Regularem: Religioſi autem Mendicantes omnino removentur ab hoc officio. *Clem.* 1. §. *Ad prioratus de regular.* Pars 2. ex *c.* 7. §. *inferiora de elect.* Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 12. *de ref.* Pars 3. ex Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 16. *de ref.*

3 Dico 5. Juriſdictio Vicarii Generalis eſt ordinaria (non delegata) reſpectu eorum, quæ poteſt intuitu Vicariatus. Ita communis cum Barb. *de offic. & pot. Epiſc. alleg.* 54. *n.* 26. 37. contra Goffredum, Sotum, & alios paucos. Prob. 1. Juriſdictio, quæ competit vi officii, quod quis habet, & quæ cum ipſo officio defertur ex diſpoſitione juris, eſt ordinaria, *l.* 5. *ff. de juriſd.* ſed juriſdictio competit Vicario Generali ratione officii, eaque defertur cum officio ex diſpoſitione juris, non ex conceſſione ſpeciali Epiſcopi, qui ſolum deſignat perſonam, *c.* 2. *h. t. in* 6. ergo. Prob. 2. Juriſdictio Vicarii Generalis eſt eadem cum juriſdictione Epiſcopi, *c.* 2. *de conſuet. in* 6. *c.* 3. *de appell. in* 6. & ideo ibidem negatur appellatio a Vicario generali ad Epiſcopum, eo quod ab eodem tribunali ad idem non detur appellatio: ſed juriſdictio Epiſcopi utique eſt ordinaria: ergo & Vicarii. *Objic.* 1. Si juriſdictio Vicarii eſt ordinaria, & eadem cum juriſdictione Epiſcopi, tunc eadem juriſdictio eſt penes duos: ſed ejuſdem rei poſſeſſio & dominium non poteſt eſſe penes duos, *l.* 3. §. 5. *ff. de acquir. poſſ. l.* 5. §. 15. *ff. commod.* ergo. 2. Juriſdictio ordinaria debet eſſe perpetua: talis non eſt juriſdictio Vicarii, utpote expirans cum morte Epiſcopi eam conceden-

dentis. R. ad 1. *diſt. ma.* eadem juriſdictio eſt penes duos diverſo modo, *c. ma.* eodem modo, *n. ma.* penes Epiſcopum eſt principaliter & independenter: penes Vicarium autem eſt acceſſorie, & dependenter ab Epiſcopo Vicarium conſtituente: ſicut fundus idem poſſideri poteſt a duobus diverſo modo, ab uno naturaliter, & ab altero civiliter. Ad 2. *n. ma.* quia juriſdictio Legati Pontificii, & Rectoris magnifici; eſt ordinaria, licet neutra ſit perpetua. Dein *diſt. ma.* debet eſſe perpetua, quæ alicui competit principaliter & independenter, *tranſeat maj.* quæ competit acceſſorie, & dependenter, *n. ma.* demum negatur etiam *ſuppoſitum minoris*, quod Vicario competat juriſdictio ex conceſſione Epiſcopi, nam competit ratione officii.

4 Dico 3. Vicarius generalis vi officii & vicariatus ſui generaliter poteſt omnia, quæ Epiſcopus, ut ordinarius, ſeu jure ordinario, exceptis nempe ſolum iis, quæ requirunt ſpeciale mandatum, vel quæ Epiſcopus poteſt ut delegatus Papæ, vel ex ſpeciali privilegio. Communis ex *c. 2. & fin. h. t. in 6.* cum in generali conceſſione non veniant, quæ ſpeciali nota ſunt digna, & quæ quis veriſimiliter in ſpecie non eſſet conceſſurus *c. 2. de pœnit. in 6. c. 81. de R. J. in 6.*

5 Quæres, quænam ſint illa, pro quibus indiget Vicarius Generalis mandato ſpeciali, vel expreſſo vel tacito, Epiſcopi? R. pro iis, quæ vel ex diſpoſitione juris, vel ex conſuetudine, vel propter rei arduitatem juxta prudentis viri arbitrium reſervantur Epiſcopo ipſi, & in mandato generali non comprehenſa eſſe creduntur. In ſpecie autem cenſentur eſſe talia. 1. *Cauſæ criminales* gravories *cap. 2. h. t. in 6.* uti eſt deponere Clericos, privare beneficiis, &c. quamvis poſſit incarcerare delinquentes, moderate

rate verberare &c. 2. *Cauſæ arduæ* , uti viſitare diœceſim , niſi impedito Epiſcopo , congregare Synodum diœceſanam , ultimas voluntates exequi , alienare res Eccleſiæ , cauſas feudales cognoſcere , & a vaſallis Epiſcopi juramentum fidelitatis recipere , penſionibus aut collectis vel ſubſidio charitativo onerare clericos aut beneficia , adire hæreditatem Eccleſiæ Cathedrali delatam , dare coadjutorem Parocho , conſtituere Vicarium perpetuum in Parochia , exequi mandata & pœnas edictorum , judicare in cauſa Epiſcopi vel ejus Eccleſiæ , procedere contra Canonicos , etiam ſi exempti ſint , Eccleſiæ Collegiatæ , intereſſe electioni Prælatorum , dare licentiam Clericis prorogandi juriſdictionem judicis eccleſiaſtici alieni . 3. *Cauſæ beneficiales* , uti conferre beneficia ad liberam Epiſcopi collationem pertinentia , aut præſentare ad illa , quæ ſpectant ad jus præſentandi Epiſcopi , recipere reſignationes beneficiorum , erigere novam Parochiam , transferre Eccleſias vetuſtate collapſas ad Matricem vel ad aliam viciniorem , unire vel ſupprimere beneficia , dividere Eccleſias parochiales , dare conſenſum in reſervationem juris patronatus . 4. *Actus juriſdictionis voluntariæ , & gratiæ liberalis* , uti concedere indulgentias , dare dimiſſorias , niſi Epiſcopus agat in remotis , abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis a jure diſpenſare in votis , juramentis , impedimentis canonicis , ſtatutis & legibus diœceſanis , obſervatione feſtorum , jejuniorum , in irregularitatibus &c. niſi in his caſibus poteſtatem diſpenſandi tribuat Vicario neceſſitas vel conſuetudo (ſicut hæc eidem in Germania poteſtatem tribuit diſpenſandi quoad jejunia , feſta , denuntiationes matrimoniorum , & ſimilia frequenter oc-

cur-

currentia) demum commutare vota, vel pęnas, aut facere compoſitionem cum reis. 5. *Actus Ordinis Epiſcopalis*, uti conſecrare calices, patenas, benedicere corporalia, virgines, Abbates, & Abbatiſſas, conficere olea ſacra, conferre ordines &c. licet Vicarius ſit ſimul Epiſcopus: reconciliare tamen Eccleſias & benedicere paramenta, quia ordinis epiſcopalis actus non ſunt, cum mandato ſpeciali Vicarius poteſt, licet Epiſcopus non ſit. 6. *Translatio ſuæ poteſtatis Vicarialis in alium*, per *c.4. h. t. & Nov. 128. c.20.* quamvis poſſit ad breve tempus unam vel alteram cauſam ex juſta cauſa alteri delegare totam. Ita Begnudellius *V. Epiſcopus*, qui ipſemet per plures annos nuper ſuſtinuit officium Vicarii Generalis Friſingæ in Germania. In dubio, an Vicarius Generalis indigeat mandato ſpeciali, recurrere in negotiis arduis decet ad Epiſcopum, ſi præſens ſit.

6 Dico 4. Juriſdictio & officium Vicarii Generalis finitur 1. renuntiatione, qua ſponte dimittit Vicariatum. 2. Revocatione poteſtatis facta ab Epiſcopo, & per ipſum, vel alium ad hoc ſpecialiter deputatum, intimata Vicario. 3. Epiſcopi morte naturali, aut civili per depoſitionem, aut per translationem illius ad alium epiſcopatum, aut per renuntiationem epiſcopatus: cum poteſtas Vicarii ſit eadem cum juriſdictione Epiſcopi: ergo, quamprimum iſte ſuam amittit, etiam amittit Vicarius Generalis, licet cauſa non amplius eſſet integra, & de ea is jam cœpiſſet cognoſcere. Si Epiſcopus eſſet ſolum excommunicatus, ſuſpenſus &c. retineret quidem Vicarius juriſdictionem habitualiter, exercere tamen non poſſet propter impedimentum, donec iſtud ceſſaverit, juriſdictione interea devoluta ad Capitulum.

7 Dico 5. Vicarius capituli, qui Sede vacante intra 8. dies vacationis ſibi notificatæ a capitulo

(ad

(ad quod devolvitur juriſdictio, *c.* 3. *& fin. de ſuppl. negl. in 6.*) conſtitui debet novus, vel confirmari antiquus. Trid *ſeſſ.* 24. *c.* 16. *de ref.* Itaque plus poteſt, quam Vicarius Epiſcopi; quia etiam illa ipſi cenſentur eſſe conceſſa, quæ Sede Epiſcopali plena requirunt ſpeciale mandatum, modo ea poſſit capitulum. Garz. *de benef. p.* 5. *c.* 7. *num.* 28. cum aliis contra Barb. & alios. Ratio; quia, ſi talia negotia majora componi deberent per ſuffragia omnium capitularium, quæ raro & difficulter conſpirant, facile contingeret protelari cauſas, & oriri confuſionem; quæ fuit cauſa, cur Trident. juſſerit conſtitui a capitulo Vicarium. Per hoc tamen non prohibetur capitulum ſuo Vicario adimere juriſdictionem in cauſas particulares; eaſque alteri delegare. Officium Vicarii capitularis finitur, quamprimum novus Epiſcopus fuerit confirmatus, & poſſeſſionem epiſcopatus adierit; quia ipſius capituli juriſdictio non durat diutius.

8 Dico 6. Vicarius perpetuus in divinis, qui potiſſimum in Parochiis, quæ ſunt unitæ Monaſteriis, Collegiis, & locis piis, conſtitui ſolet, habet verum beneficium proprie dictum, *c.* 27. *de reſcr.* itaut pro libitu & abſque cauſa in Jure expreſſa amoveri nequeat, *c.* 3. *h. t. Clem. un. eod.* quia eſt intitulatus, ſeu titulum in beneficio & jus obtinet. Æquiparatur vero Parocho in cura animarum & fere in omnibus, itaut Rector Eccleſiæ, cui Parochia incorporata eſt, qui appellatur *Parochus principalis & in habitu* tantum, ſe immiſcere non poſſit in cura animarum vivente Vicario & invito; ut adeo, quidquid in jure ſtatutum reperitur de Parocho, etiam intelligendum veniat de Vicario perpetuo. *Clem. cit.* Aliud eſt in Vicario temporali, qui Parocho v. g. ægrotante, vel abſente, ad tempus conſtituitur; is

enim jus in beneficio & titulum non obtinet, atque ideo ad nutum amovibilis eſt: ſicut etiam *Cooperatores* Parochorum, ut vocamus, qui quidem vicini ſunt Vicariis temporalibus, differunt tamen per hoc, quod illi habeant juriſdictionem ſolum delegatam, atque diſtinctam a juriſdictione Parochi, Vicarii autem temporales ordinariam. *Objic.* Quando præſens eſt principalis, ceſſat poteſtas vices gerentis: ergo etiam præſente Rectore principali Eccleſiæ ceſſat poteſtas Vicarii perpetui, & actualis animarum rectoris. R. *diſt. ant.* Si Principalis retinet poteſtatem & curam actualem, uti retinent, qui conſtituunt Vicarios temporales, *c. ant.* ſecus *n. ant.* Vel: ſi vices gerens habet ſuam juriſdictionem ab eo, cujus vices gerit, *tranſ. ant.* ſi ab alio, uti Vicarius perpetuus ab Epiſcopo *n. ant. & conſ.* Ceterum Vicario perpetuo debetur congrua ſuſtentatio ex reditibus Eccleſiæ Parochialis, quam adminiſtrat, nimirum tertia eorum pars. Trid. *ſeſſ. 7. c. 7. de ref.* ita tamen, ut arbitrio Epiſcopi major vel minor portio pro ratione locorum & temporum determinari poſſit, vel aliunde aſſignari. Trid. *loc. cit.*

TITULUS XXIX.

De officio & poteſtate Judicis Delegati.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſit Judex.*
2 *Ordinarius, & delegatus.*
3 *Quid & quotuplex ſit juriſdictio & imperium.*
4 5 *Quinam delegare, & delegari Judices poſſint.*

6 Et

6 *Et in quibus cauſis.*
7 *In quo conſiſtat officium.*
8 *Et poteſtas delegati.*
9 *Quomodo finiatur.*

1 JUdex *juriſdictionis* eſt perſona publica ad id ordinata, ut ſecundum leges & conſuetudines locorum populo jus dicat, *c.* 10. *de V.S. l.* 78. *ff. de judiciis*. Dixi 1. *Juriſdictionis*; datur enim & Judex, minus tamen proprie, qui *notionem* dumtaxat habet ſine juriſdictione, ſeu facultatem cognoſcendi tantum vel circa cauſam ipſam vel circa depoſitiones teſtium, ac poſtea ſuam mentem dicendi, & referendi ad ſuos principales, non vero cauſam decidendi, ac in jure vocatur *Pedanus*, vel *Nationalis* Judex: in foro civili quibuſdam in locis appellatur *Conſulens*, aut *Commiſſarius*, in foro eccleſiaſtico *Auditor*. Dixi 2. *Perſona publica*, h. e. auctoritate publica vel Juris, vel Conſuetudinis, vel Principis, vel alterius, qui dare Judicem poteſt, conſtitutus. Dixi 3. *Jus dicat*, ſcil. prævia cauſarum cognitione eas juſte decidat ferendo ſententiam. Alius eſt *Summus* ſeu ſupremus, cui nempe competit ſuprema juriſdictio, uti eſt Papa in foro eccleſiaſtico, cujus juriſdictio vocatur *Poteſtas clavium*, & in foro civili Imperator, & alii in ſuis terris ſuperiorem non recognoſcentes, ac horum juriſdictio appellatur *Majeſtas*. Alius *Subalternus*, qui obtinet juriſdictionem ſummæ Poteſtati ſubordinatam, quam dicunt *Territorialem*, qualem in foro eccleſiaſtico habent principaliter Epiſcopi in ſuis dioeceſibus, in ſæculari Principes & ſtatus Imperii in ſuis ditionibus.

2 Specialiter hoc loco conſideratur Judex delegatus, & ordinarius. *Ordinarius* eſt, qui habet

juriſdictionem ordinariam, vel propriam, h. e. ratione officii proprii competentem, eamque proprio nomine exercet. *Delegatus*, qui habet juriſdictionem delegatam (alio nomine mandatam, vel alienam) h. e. ex commiſſione & mandato alterius, ſive juris, & tunc vocatur *delegatus juris*, qualis in multis cauſis, præſertim in exemptos, a Tridentino conſtituitur Epiſcopus: ſive hominis, & tunc vocatur *delegatus hominis*, ſeu Judicis ordinarii: ſi delegans ſit ſupremus Princeps, Papa vel Imperator, eſt *delegatus Principis*: ſi alius, *delegatus inferioris*; ſi alicui omnes cauſæ univerſim, vel ſaltem in aliquo genere ſubalterno, v. g. omnes cauſæ decimales, committantur, appellatur *delegatus ad univerſitatem cauſarum*; ſi vero una, vel plures quidem, ſed certo numero, vel inter certas perſonas, *delegatus ſimpliciter*, & *proprie*, vel *ſpecialis* dicitur. Qualiſcumque ſit delegatus, differt a Vicario per hoc, quod Vicarius quidem nomine & vice alterius exerceat juriſdictionem, ſed eamdem cum ſuo principali, delegatus vero diſtinctam a juriſdictione illius, qui vices ſuas alteri committit ad judicandum; nam *delegatio* nihil eſt aliud, quam unius vel plurium cauſarum terminandarum, ab alio facta commiſſio, per *c.* 3. & 40. *h. t.* Unde & tales Judices a practicis vocantur *Commiſſarii*, a jure civili etiam *Judices dati l.* 5. *C. de judic.* quamvis alibi Judex datus confundatur cum pedaneo.

3 *Juriſdictio*, qua omnem Judicem inſtructum eſſe oportet, *eſt poteſtas publica* (nempe a publica auctoritate Juris, vel Principis aut Magiſtratus acquiſita, & hinc differt a poteſtate patria, dominica, & œconomica) ***de cauſis controverſis jus dicendi, ordinata ad gubernationem***

ſub-

ſubditorum: alia eſt *ſimplex*, ſeu ſine imperio, quæ reſpicit cauſas civiles, ſine juſſione, coercitione, & jure exequendi ſententiam: alia eſt *imperium*: quæ nimirum exercetur per juſſionem & coercitionem. Imperium aliud vocatur *merum*, quod eſt poteſtas gladii ad animadvertendum in facinoroſos, *l.* 3. *ff. de juriſd.* a Practicis dicitur *juriſdictio Alta*, vel *Judicium Sanguinis*. Ad illud referuntur etiam *Regalia*, ut vocant, & quæ pertinent ad Juſtitiam vindicativam, uti cauſæ criminales. Aliud vero miſtum, quod nempe conjunctum eſt cum juriſdictione ſimplici, licet principaliter in juſſione vel coercitione conſiſtat. Ad hoc pertinent cauſæ civiles, vel criminales civiliter intentatæ, item pœnæ mitiores propter leviora delicta, v. g. pœna carceris, mulcta pecuniaria &c. ſaltem vi conſuetudinis. Hoc imperium miſtum a modernis vocatur *juriſdictio Baſſa*. Hodie non facile conceditur, vel conceſſa eſſe cenſetur juriſdictio (ſive ordinaria ſive delegata) ſine omni imperio, ſeu ſine poteſtate coercendi & puniendi inobedientes (cum alias fere eſſet inutilis) imo raro etiam ſine poteſtate exequendi ſententiam. Et hinc, quando conceditur juriſdictio, cenſentur conceſſa hoc ipſo eſſe omnia, quæ ſunt neceſſaria ad cognitionem & expeditionem plenariam cauſarum, *c.* 5. 11. 26. *h. t. l.* 2. *ff. de juriſd.* & clariſſime *l. fin. ff. de offic. ejus, cui mandata eſt juriſd.*

Porro alia juriſdictio (conſequenter & Judex) eſt *Eccleſiaſtica*, quæ perſonas ſacras, vel res ſacras aut ſpirituales, vel ſpirituali annexas reſpicit, ſive pro *foro interno* conſcientiæ, quæ in ſacro Pœnitentiæ tribunali, ſive pro *externo*, quæ extra pœnitentiæ tribunal locum habet, & a ſolis perſonis eccleſiaſticis exerceri poteſt. Alia vero

Politica ſeu *Sæcularis*, quæ in ſolos Laicos, & circa res profanas exercetur. Rurſus alia vocatur *Voluntaria*, quæ afficit volentes, ac ſine contentione partium, & coercitione, exercetur: cujus actus ſunt concedere privilegia, legitimare, diſpenſare, abſolvere, adminiſtrare Sacramenta &c. Alia *Contentioſa*, quæ exercetur in invitos, vel cum aliqua contentione Partium, aut coercitione, cujus actus ſunt ferre Leges vel Statuta, cauſas civiles vel criminales definire &c.

4 Dico 1. Delegare poſſunt omnes Judices ordinarii, ſeu juriſdictione ordinaria pollentes. 2. Non vero Judices delegati ſubdelegare totam cauſam. 3. Niſi ſint delegati ad univerſitatem cauſarum. 4. Delegati juris, aut Principis ſupremi. Pars 1. conſtat ex *l.* 5. 16. 17. *ff. de juriſd. & c.* 7. *de off. ord. in* 6. Pars 2. ex *l.* 12. *ff. de Jud. l. fin. cit. c.* 27. *h. t. c.* 62. *ff. de appell.* poſſunt tamen & iſti aliquem cauſæ articulum alteri committere, & ſic dare Judicem. Pars 3. ex communi ſenſu DD. cum *gl. in l.* 1. *ff. quis & a quo appell.* & *gl. in l.* 12. *ff. de offic. Proconſ.* Pars 4. ex *c.* 3. *h. t.* & *c.* 2. *cit.* Excipe, niſi Princeps alicui committat nudum miniſterium, aut ſi Papa diſpenſationem in particulari caſu, *c. fin.* §. *fin. h. t.* Aliud eſſet, ſi Papa alicui concederet poteſtatem diſpenſandi perpetuo. *Objic.* In omni delegatione cenſetur electa perſonæ induſtria: ſed, quando cenſetur electa perſonæ induſtria, non poteſt cauſa committi alteri, *c. fin. cit.* ergo a nullo delegato poteſt cauſa alteri committi, ſeu ſubdelegari. R. *n. maj.* niſi nimirum delegans ſpecialiter exprimat, ſe elegiſſe induſtriam perſonæ, aut præcipiat, ut delegatus perſonaliter per ſeipſum agat cauſam vel negotium.

5 Di-

5 Dico 2. Delegari Judices poſſunt omnes qui non prohibentur eſſe Judices ordinarii in tali cauſa. Text. & DD. *in l. 12. cit. & in c. 11. de Reſcr. in 6.* Pontifex tamen non ſolet delegare cauſam niſi perſonis in dignitate eccleſiaſtica vel perſonatu conſtitutis, aut Canonicis Cathedralibus *c. 11. cit.* Ratio; quia quoad qualitates æquiparantur Judex ordinarius & delegatus, excepta ſola ætate: nam ordinarius debet eſſe 25. annorum, *l. 41. de receptis*. Delegatus autem tantum 20. annorum, *l. c.* imo cum conſenſu partium 18. annorum completorum, *c. 41. h. t.* Addidi, *in tali cauſa*: hinc; quia laicus nequit eſſe Judex ordinarius in cauſis eccleſiaſticis, & perſonarum eccleſiaſticarum, neque delegatus eſſe poteſt etiam cum Clerico. Non obſtante, quod laicus poſſit eſſe conſiliarius; imo & arbiter una cum clerico; quia in conſiliariis & arbitris, qui præciſe ſuam dicunt ſententiam, ſeu mentem, quid ſentiant, aperiunt, juriſdictio non requiritur.

6 Dico 3. Delegari cauſæ regulariter poſſunt omnes, quæ juriſdictione delegantis ſubjiciuntur. 2. Etiam imperium merum ſupponentes in Judice, ſaltem de jure canonico. 3. Nec integræ tantum cauſæ, ſed etiam ſingulæ partes; v. g. citatio, examen teſtium, inſpectio inſtrumentorum &c. licet ille, cui delegatur hujuſmodi pars, non vero cognitio de juſtitia cauſæ, vel deciſio cauſæ, non ſit proprie Judex, ſed mere delegatus. Pars 1. patet ex *l. 1. & ult. de Offic. ejus, cui mand. l. un. C. qui pro ſua juriſd.* nam poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum, *c. 68. de R. J. in 6.* Pars 2. ex *c. 2. de offic. Vicar. in 6. c. 7. de offic. ord. in 6.* De jure civili merum imperium delegari nequit, niſi delegans eſſet abſens, vel infirmus, *l. 1. & ult. citt. Conſtit.*

Crim. Caroli V. a. 2. Vi tamen conſuetudinis id fieri notant aliqui DD. Pars 3. eruitur argumento a fortiori : Dixi, *regulariter*; nam aliquæ cauſæ, uti Regalia majora Principum, quia inferioribus non poſſunt competere, vel ſoli Summo Principi reſervantur, delegari non valent, vel certe non ſolent. Sic Summo Pontifici reſervantur cauſæ majores, uti ſunt controverſias Fidei definire, Concilium generale convocare, Laicis concedere Jura ſpiritualia, &c.

7 Dico 4. Officium Judicis delegati, qua delegati, conſiſtit in his. 1. Tenetur, ſi una vel utraque pars litigantium petat, fidem authenticam facere de ſua delegatione, vel oſtenſis litteris, ſi ſit delegatus Principis, *l.* 1. *C. de mandatis Princ. c.* 24. *de reſcr.* vel ſaltem per teſtes &c. ſi ſit delegatus inferioris: alias partes non tenetur comparere, vel, licet compareant, acta ſunt nulla. 2. Non procedere ante præſentatas ſibi litteras ſuæ delegationis, *c.* 12. *in f. de appell.* licet ſciat, eas jam expeditas eſſe. 3. Obſervare formam in delegationis mandato præſcriptam, *c.* 37. *h. t. c.* 22. *de reſcr. l.* 5. *ff. Mandati*; alias, niſi aliunde conſtet, formam non eſſe ſubſtantialem, procedit nulliter, ut ſi certum tempus, vel certus locus ſit ipſi præſcriptus, & partes non conſentiant in locum vel tempus aliud, & ſic prorogent delegato juriſdictionem. Pariter nec poteſt cognoſcere de cauſa alia, quam in mandato ſit expreſſa, & expreſſæ non neceſſario ſit connexa, nec procedere contra perſonam in commiſſione non nominatam, ita quidem, ut nec cum conſenſu partium delegati juriſdictio a cauſa ad cauſam, & a perſona ad perſonam (niſi ſit delegatus ad univerſitatem cauſarum) extendi & prorogari valeat, *c.* 32. *c.* 40. *h. t.* Dixi 1, *officium*;

officium; hoc enim ſtricte loquendo differt a *poteſtate*; *nam poteſtas* denotat actum primum, & quid *poſſit*; officium vero actum ſecundum, & quid *debeat* facere delegatus vi ſuæ commiſſionis. Dixi 2. *qua delegati*; quippe *qua judicis* officium eſt admittere probationes, exceptiones, appellationes, concedere dilationes, juriſque ordinem obſervare, ac alia, quæ incumbunt Judici, item gratis exercere Judicium, nullumque a partibus munus accipere, exceptis tamen eſculentis & poculentis ex mera liberalitate oblatis, ac in ea quantitate, quæ intra paucos dies abſumi poſſint; id enim Judici delegato permittitur, *l.* 11. *§. inſuper de Reſcr. in 6.* uti & repetere ſumptus, v. g. itineris, ſi quos facere debuit in gratiam partium.

8 Dico 5. Poteſtas delegati eſt tanta, quantam ſonat mandatum ſeu commiſſio. Ratio, quia delegans non omnem ſuam poteſtatem committit alteri, nec propriam, ſed diſtinctam, ſuæ tamen ſubordinatam, ampliori & principali ſibi reſervata *l. 6. de juriſd.* Unde a Judice delegato, ſi appelletur, appellandum eſt ad delegantem (vel ad ejus ſucceſſorem) & a ſubdelegato ad ſubdelegantem (niſi iſte omnem ſuam poteſtatem demandaſſet ſubdelegato; tunc enim ad ſuperiorem fieret appellatio) *l.* 1. *& fin. ff. quis & a quo appelletur*, *c.* 27. *§. porro h. t.* Interim tamen delegatus poteſt omnia, ſine quibus cauſa ſibi commiſſa expediri nequit, etſi in mandato delegationis expreſſa non ſint, *c.* 5. 7. *eod. l.* 2. *ff. de juriſd. l. ult. ff. de offic. ejus*, *cui mand.* Quod etiam verum eſt de ſubdelegato, *c.* 29. *h. t.* Quare in ſpecie poteſt 1. punire citatos, & contumaciter non comparentes. 2. Impedientes ſuum Judicium coercere, ſi delegatus ſit Papæ, per cenſuras, licet

impediens foret Epiſcopus, quem tamen prius oporteret interdicere ingreſſu Eccleſiæ, *cap.* 11. *eod.* 3. Aſſumere officiales neceſſarios. 4. Spoliatum mittere in poſſeſſionem. 5. Admittere tranſactionem. 6. Exequi ſuam ſententiam, probabilius etiam, licet non ſit delegatus Principis, vel executionem demandare Judici ordinario loci, vel relinquere deleganti. Abb. & alii ex *cap.* 4. *de for. compet.* & *l.* 15. *ff. de re jud.* contra Bartolum. Ceterum ſi plures ſint delegati ad eamdem cauſam, tunc videndum eſt, an cumulative & indiviſim delegatio ſit facta, ſeu ſimpliciter, ut ordinarie contingit: vel an in ſolidum aut diviſim, v. g. hoc modo, *ut omnes, vel duo, vel unus procedat.* In priori caſu, ſi vel unicus non concurrat, licet morbo impeditus, vel morte abreptus, proceſſus eſt nullus *c.* 16. 42. *h. t. l.* 39. *ff. de re jud.* In poſteriori valet proceſſus, & datur locus præventioni, itaut, ſi unus cœperit cauſam, reliqui nec licite nec valide ſe amplius immiſcere poſſint, niſi, qui cœperat, non poſſet, vel non vellet ulterius in cauſa progredi, *c.* 8. *h. t. in* 6. *l. un. ff. de offic. conſul.* Si vero adjiciatur hæc clauſula conditionalis, *ſi nequeant, aut nolint omnes intereſſe, judicent reliqui, vel duo, vel unus*, non eſt neceſſe concurrere omnes, vel ſubdelegatum admittere, *c.* 21. 34. *h. t.*

9. Dico 6. Officium & poteſtas delegati finitur 1. Morte delegantis vel naturali vel civili, ſi mors ſit publice nota, & delegans delegavit nomine propriæ perſonæ, non dignitatis, atque cauſa adhuc integra ſit, h. e. quando nullus adhuc actus ſubſtantialis Judicii exercitus, v. g. citatio partium, *c.* 20. 30. *h. t. l.* 6. *ff. de juriſd.* 2. Revocatione delegantis vel expreſſa vel taci-

tacita, atque delegato per delegantem aut ejus ſubſtitutum intimata, *c.* 3. *de elect. lib.* 58. *ff. de Judic.* etſi res non amplius ſit integra. Laym. *ad cap.* 37. *num.* 4. *h. t.* Excepto caſu, quo compromiſſariis data eſt poteſtas eligendi ad Prælaturam, *cap.* 30. *cit.* 3. Morte delegati, etſi res non amplius ſit integra, per *c.* 42. *eod. l.* 27. 57. *ff. mand.* Aliud foret, ſi fuiſſet delegatio non perſonalis, ſed realis, ſeu facta intuitu & ſub nomine dignitatis aut officii, ut ſi Papa delegaret Epiſcopo, aut Vicario Generali certæ Diœceſis, non expreſſo nomine Epiſcopi, vel Vicarii: tunc enim delegatio tranſit ad Succeſſorem, *c.* 14. *h. t.* 4. Lapſu temporis a delegante præfixi, *c.* 4. 24. *eod.* niſi ante lapſum communi partium conſenſu fuerit ipſi ulterius prorogata juriſdictio. 5. Confecto negotio ſive per tranſactionem vel pactum, ſive per ſententiam latam, & executioni datam, vel ſi alteri demandata & jam cœpta ſit executio, *c.* 9. *eod.* quia tunc delegatus ad unam hanc cauſam cenſetur eſſe functus ſuo officio. Excipe eum, qui ſolum eſt delegatus executor gratiæ; is enim, ſi prima proviſio fuiſſet nulla, poſſet aliam facere. 6. Recuſatione delegati tanquam ſuſpecti, ſi in termino competente cauſa ſuſpicionis alligata & probata fuerit, *c* 5. *eod. in* 6. Si recuſetur delegatus Principis ſupremi, pronuntiare de juſtitia recuſationis ſpectat ad arbitros a partibus eligendos: ſi delegatus inferioris, ad delegantem: ſi plures delegati, ad condelegatum, *cap.* 39. *h. t. cap.* 4. *eod. in* 6.

TITULUS XXX.

De officio Legati.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſit Legatus.*
2 3 4 5 *Quod ſit ejus officium & poteſtas.*
6 *Quomodo finiatur.*

1 L*Egatus* in genere eſt, qui a Principe vel Magiſtratu quodam mittitur ad tractandum aliquod negotium. Si mittitur a Papa, dicitur *Legatus Apoſtolicus*. Mitti autem poteſt vel ſine juriſdictione, v. g. ad excipiendum imperatorem, ineundum fœdus &c. & eſt *Nuntius merus*, vel cum juriſdictione ſpirituali, & eſt *Legatus Judex*, de quo hic agitur. Eſt autem triplex: *Legatus a latere*, qui nempe Cardinalitia dignitate eminet, & quaſi de latere Summi Pontificis, cui in arduis negotiis Romæ aſſiſtere debent Cardinales, aſſumitur ad legationem: *Legatus miſſus*, ſeu *Nuntius Apoſtolicus*, qui non eſt Cardinalis, quamvis ſubinde mittatur *cum poteſtate Legati a latere*, quales in Germania ſunt, qui conſtanter reſidere ſolent Viennæ in Auſtria, Coloniæ ad Rhenum, & Lucernæ in Helvetia: ac demum *Legatus natus*, qui non mittitur, ſed munus Legati auctoritate Apoſtolica annexum habet ſuæ dignitati, & quaſi adnatum; qualis in Germania olim erat Archiepiſcopus Magdeburgenſis, hodie Saliburgenſis, in Gallia Rhemenſis, in Hiſpania Toletanus, in Hungaria Strigonienſis, in Bohemia Pragenſis, qui fere ſolent eſſe harum Nationum Primates.

2 Dico 1. Officium & poteſtas Legatis Judicibus

cibus omnibus communis eſt exercere juriſdictionem ordinariam in diœceſibus & provinciis ſibi commiſſis, concurrentem cum juriſdictione Epiſcopi & Archiepiſcopi locorum, ubi agunt Legatos, *c. 1. ſeq. c. 7. b. t. & c. 2. eod. in 6.* In ſpecie ipſis competit inſpectio in Epiſcopos, Principes, & populos in ordine ad negotia eccleſiaſtica, ad reformandos mores, ad Conſtitutiones Pontificias in uſum deducendas &c. Concurrunt quoque cum Epiſcopis in collatione beneficiorum, ſed non in Germania; quia ipſis obſtant concordata Germaniæ cum Nicolao V. inita, niſi beneficia ſint reſervata Summo Pontifici, vel Epiſcopi (non inferiores collatores) debito tempore ob negligentiam non provideant, quam utique etiam in Germania ſupplere poſſunt, per Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 20. *de ref.* Vi cujus Trid. etiam non poſſunt adiri in prima inſtantia Legati in cauſis eccleſiaſticis, niſi ordinarii per biennium a die litis motæ cauſam terminare negligant.

3 Dico 2. Legati a latere poſſunt 1. exercere juriſdictionem in exemptos, *gl. in c. 1. h. t. v. univerſas.* 2. Confirmare electiones Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum exemptorum, *c. 36. §. fin. de Elect. in 6.* non tamen in Germania propter concordata, 3. a die egreſſus ex Urbe quoſcumque abſolvere ob percuſſionem Clerici etiam enormem excommunicatos, ex quocumque loco advenientes, *c. 6. h. t. c.* 20. *de ſent. excomm.* 4. Ipſo præſente ſuſpenditur aliorum Legatorum juriſdictio & poteſtas *c. 8. h. t.*

4 Dico 3. Legatus non Cardinalis ſeu Nuntius Apoſtolicus, plus non poteſt, quam ordinarius provinciæ, ad quam mittitur *c. 2. h. t in 6.* & ea, quæ omnibus Legatis communia eſſe dixi; niſi nimirum in litteris Legationis plus ipſi ſit conceſ-

ſum.

ſum. In ſpecie tamen ipſi competit poteſtas abſolvendi ſubditos ſuæ provinciæ ob percuſſionem clerici, etiam enormem, excommunicatos *c. 9. cit.* Si tamen ſit miſſus *cum poteſtate Legati a latere*, probabilius poteſt omnia; quæ Legatus a latere; quia verba privilegiorum debent accipi cum effectu, & operari id, quod ſignificant, *c. 10. de privil. in 6. Objic.* Talis Nuntius habet ſe ad Legatum a latere, ſicut ſe habet Vicarius Generalis ad Epiſcopum: ſed Vicarius Generalis conſtitutus cum hac clauſula, ut *poſſit omnia, quæ poteſt Epiſcopus*, non hoc ipſo poteſt omnia, quæ Epiſcopus, ſed ſolum ea; quæ non requirunt mandatum ſpeciale: ergo. R. *n. ma.* Dein, quod Vicario Generali per clauſulam illam generalem non ſint conceſſa abſolute omnia, quæ poteſt Epiſcopus, conſtat ex jure: quod vero Legatus cum clauſula ſeu cum *poteſtate Legati a latere* miſſus non poſſit omnia, quæ Legatus a latere, non conſtat ex jure, imo colligitur oppoſitum ex *c. 10. cit.*

5 Dico 4. Legatus natus per ſe plus non poteſt, quam quod ipſi competit ratione dignitatis Archiepiſcopalis, cui Legatio perpetua eſt annexa, per *c. 9. cit.* Niſi nempe per privilegium ſpeciale ipſi plus concedatur, v.g. conferre beneficia in menſibus papalibus, diſpenſare in certis gradibus conſanguinitatis ad matrimonium &c. ut conceſſum eſſe perhibent Archiepiſcopo Salisburgenſi.

6 Dico 5. Officium & poteſtas Legati finitur 1. Revocatione Pontificis Legato debite intimata, ſaltem poſt hujus egreſſum e provincia, per *l. 3. ff. de offic. præſcr. c. 2. h. t. in 6.* 2. Egreſſu ſpontaneo ex provincia cum animo non revertendi, *c. fin. h. t. arg. l. 3. cit.* 3. Lapſu temporis præfixi, aut finito negotio, ad quod conficien-

ciendum miſſus eſt, *arg. c.* 4. *de offic. deleg.* 4. Morte ipſius Legati: non tamen morte Pontificis. Quia juriſdictio Legati eſt ordinaria, *c.* 2. *cit.* dein Legati dicuntur eſſe *Sedis Apoſtolicæ*, quæ numquam moritur. Officium tamen Legati nati eſt perpetuum, & durat, quamdiu obtinet dignitatem, cui annexum eſt.

TITULUS XXXI.

De officio judicis ordinarii.

SUMMARIUM.

1 *Judex ordinarius, præſertim eccleſiaſticus, quis.*
2 *Papa eſt infallibilis, & ſuprema pollet poteſtate legislativa univerſali, etiam extra Concilium.*
3 *Quæ ſit poteſtas Cardinalium.*
4 *Patriarcharum minorum.*
5 *Archiepiſcoporum.*
6 7 *Et Epiſcoporum.*
8 *An & quando in exemptos.*
9 *Quæ ſit prælatorum Regularium.*
10 *Et parochorum poteſtas & officium.*

1 Judex *ordinarius*, uti dictum *tit. XXIX.* eſt, qui exercet juriſdictionem ordinariam, ſeu nomine proprio, & vi officii, v. g. Prælaturæ, Magiſtratus &c. quem gerit, nec vices agit alterius, ut delegatus, & Legatus. In ſtatu eccleſiaſtico alii ordinarii ſunt ſuperiores Epiſcopis, uti Papa per totum mundum Chriſtianum, tamquam Paſtor omnium fidelium a Chriſto conſtitutus per verba, *paſce oves meas*, *Joan.* 21. item Cardinales, Patriarchæ, Primates, Ar-

chiepiſcopi ſeu Metropolitani : alii ſunt ipſi Epiſcopi; ac alii inferiores Epiſcopis, uti Vicarii generales, Prælati regulares, Parochi.

2 Dico 2. Summus Pontifex non tantum eſt infallibilis in definiendis fidei dogmatis, ſed etiam ſuprema pollet poteſtate, & juriſdictione ſpirituali in omnes Chriſti fideles, itaut per leges obligari omnes poſſit, etiam extra Concilium generale. Patet ex textibus Scripturæ Sacræ. *Rogavi pro te* (Petro, & ejus in Pontificatu ſucceſſoribus dixit Chriſtus) *ut non deficiat fides tua*. Luc. 22. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Matt. 16. nempe Eccleſiam, quam Pontifici Chriſtus regendam commiſit: *tibi dabo claves regni cœlorum: quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Matth. 16. cit. Paſce oves meas. Jo: 21.* Ubi notandum, quod Chriſtus ſoli Petro in ſingulari, licet præſentes fuerint & alii Apoſtoli ac Diſcipuli, dictam infallibilitatem promiſerit, & illimitatam poteſtatem ligandi, ſolvendi, paſcendi dederit, adeoque ſoli in Cathedra Petri ſucceſſori ſeorſim, & independenter ab aliis Eccleſiæ Prælatis, ac Epiſcopis, in Concilio generali congregatis: ergo Papa, etiam extra Concilium generale, cujus ſuperior & caput eſt conſtitutus a Chriſto (cum Epiſcopi in Concilio generali congregati maneant oves Chriſti, quas omnes Petro ſubjecit, & paſcendas commiſit idem Chriſtus) prædicta omnia poteſt, itaut ab ejus ſententia appellari nequeat, cum non habeant ullum Superiorem in terris etiam Cōcilium: imo nec ad Chriſtum, cum a Vicario, qualis eſt Papa reſpectu Chriſti in terris, ad principalem non detur appellatio, ut ad *tit. XXVIII.* dictum.

Objic. Papa eſt pars Eccleſiæ; ergo eſt minor tota

ta Eccleſia, quam repræſentat Concilium generale, & nihil poteſt in ipſum Concilium generale. R. *tranſ.ant. diſt.conſ.* eſt minor extenſive, h.e. in Concilio Generali ſunt plures Prælati & homines *c. conſ.* eſt minor intenſive, auctoritate, infallibilitate, poteſtate, præſertim reſpectu Concilii ſine Papa aſſociato tanquam Capite ſumpti *n.conſ.* Totam infallibilitatem, vim & efficaciam conſequitur Concilium generale ab influxu Papæ aſſiſtentis, dirigentis, & approbantis, ſine quo nihil poteſt Concilium. Si hoc jungatur Pontifici, accedit major auctoritas humana, non divina. Ceterum Papa in ſuo territorio temporali obtinet quoque poteſtatem temporalem ſummam, ſicut Principes ſæculares ſummi in ſuis territoriis.

3 Dico 2. *Cardinales*, præterquam quod aſſiſtant Pontifici conſilio & auxilio in regenda Eccleſia univerſali: & eligant hodie Pontificem, eaque facere poſſint Sede papali vacante, quæ ſunt neceſſaria ad defendendam Eccleſiam, per *c. 3. de Elect. in 6. Clem. 2. eod.* in Eccleſiis ſui Tituli obtinent juriſdictionem quaſi epiſcopalem, itaut circa ſubditos ſuarum Eccleſiarum quoad actus juriſdictionis omnia poſſint, quæ Epiſcopi in ſuis diœceſibus, etſi tantum ſunt diaconi, per *c. 11. de major.* Plus non legitur ipſis conceſſum, imo nec vacante Papatu ſuccedunt in juriſdictionem Papæ. *Clem. 2. cit.* Sicut tamen Capitulum Sede Epiſcopali vacante ſuccedit in juriſdictionem Epiſcopi.

4 Dico 3. *Patriarchæ minores*, uti Venetus, Aquilejenſis &c. item *Primates*, qui ab ipſis nonniſi titulo & nomine differunt, præter juriſdictionem Epiſcopalem in ſuas diœceſes, ſunt etiam Judices ordinarii Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſui diſtrictus, per *c. 9. h. t.* exceptis tamen hodie cauſis criminalibus, quas Trid. *ſ. 24. c. 5. de ref.* ſi majores ſint, nempe depoſitionem vel priva-

tio-

tionem promerentes, a ſolo Papa, minores vere a Concilio Provinciali, vel ab illo deputatis, cognoſci ac terminari voluit. Præterea iiſdem Patriarchis nulla competit poteſtas immediate in ſubditos dictorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum *c. 9. cit.* uti nec Archiepiſcopis in ſuorum Suffraganeorum ſubditos, quod ſtatim exponam. Dixi, *Patriarchæ minores:* nam quatuor *majores* per Orientem, nempe Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Jeroſolymitanus, hodie tantum ſunt titulares; cum eorum provincias & Eccleſias teneant Pagani. De Patriarcha Romano per totum Occidentem, qui eſt Epiſcopus Romanus, ſeu Summus Pontifex, nihil attinet amplius dicere.

5 Dico 4. *Archiepiſcopi* præter juriſdictionem epiſcopalem, quam habent in ſuas dioeceſes, aliis Epiſcopis communem, ſunt etiam Judices ordinarii ſuorum Suffraganeorum, ſeu Epiſcoporum ſuæ provinciæ, *c. 11. h. t. c. 54. de appell. c. 1. de offic. Vicar. in 6.* exceptis tamen hodie iterum cauſis horum Epiſcoporum criminalibus juxta Trid. *l. c.* Quamvis autem obtineant juriſdictionem in ipſos Epiſcopos ſuæ provinciæ, eorumque Vicarios, quoad perſonas ipſorum, in ſubditos tamen illorum immediate juriſdictionem non obtinent, *c. 11. cit. & c. 1. eod. in 6.* extra hos caſus. 1. Quando actualiter viſitant dioeceſes ſuorum Suffraganeorum; ſed tunc cum ſuis limitationibus, *c. 1. & fin. de cenſib. in 6. c. 1. de pœnis in 6.* & Trid. *ſeſſ. 24. c. 3. de ref.* 2. Quando ſubditi appellant a ſuis Epiſcopis vel Vicariis ad Archiepiſcopum. *c. 3. de appell. in 6.* 3. Quando Suffraganei ſunt negligentes in collatione beneficiorum, *c. 3. de ſuppl. negl.* 4. Quando iter inſtituunt per dioeceſes ſuorum Suffraganeorum; tunc enim poſ-

ſunt

ſunt ſolemniter benedicere populo, ſicut ubique, etiam in loco exempto, celebrare in pontificalibus, & curare ſibi crucem præferri &c. *Clem. 2. de privil.*

6 Dico 5. *Epiſcopi*, qui ordinariam in ſua dioeceſi & ſupremam poteſtatem ſpiritualem obtinet in Clerum & populum, etiam principem; atque etiam *Ordinarius loci* vocari conſuevit, officium eſt partialem Eccleſiam regere. *Act.* 20. *v.* 28. & Summum Pontificem juvare juxta menſuram poteſtatis ab eo ſibi conceſſæ; nam Epiſcopi *ſunt vocati in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, can. 12. cauſ. 2. q. 6.* item dioeceſanos inſtruere in rebus fidei, verbo divino paſcere, Sacramenta, præſertim pœnitentiæ, adminiſtrare vel per ſe, vel per alios idoneos, corrigere exceſſum Regularium extra Monaſteria degentium, viſitare Eccleſias, & dioeceſim &c. *c. 15. h. t.* Trid. *ſeſſ. 5. c. 2. de ref. ſeſſ. 6. c. 3. 4. de ref. ſeſſ. 21. c. 4. 6. &c. de ref.*

7 Dico 6. Epiſcopi poteſtas eſt duplex, *Ordinis*, vi cujus conſecrat Eccleſias, confert Ordines, & Sacramentum Confirmationis, ſolemniter benedicit &c. *& Juriſdictionis*, vi cujus in ſua dioeceſi poteſt omnia, ad juriſdictionem pertinentia, quæ Papa in tota Eccleſia, exceptis tamen iis, quæ Pontifici ſpecialiter ſunt reſervata, & quæ ſunt juris communis *c. 1. & fin. de offic. Archipresb. c. 16. h. t. Clem. 1. eod. &c.* In ſpecie autem poteſt 1. Ferre leges & ſtatuta. 2. Cognoſcere & decidere omnes cauſas ad forum eccleſiaſticum pertinentes, invocato etiam, ſi opus ſit, ad id brachio ſæculari. 3. Punire malefactores. 4. Turbantes ſuam juriſdictionem excommunicare, & alias ferre cenſuras, atque ab iiſdem abſolvere. 5. Inſtituere & deſtituere clericos beneficiatos. 6. Conferre bene-

ficia.

ficia ..7. Diſpenſare in votis non reſervatis, obſervatione feſtorum & jejuniorum, denuntiationibus matrimonio præmittendis, relaxare juramenta &c. viſitare dioeceſim, Eccleſias, beneficia, monaſteria, collegia, & hoſpitalia non exempta &c. Poteſtatem juriſdictionis acquirit per *Confirmationem*, Ordinis per *Conſecrationem*. Multi Interpretes ex *c. 16. h. t.* totam Epiſcopi poteſtatem reducunt ad duplicem *legem*, *diœceſanam* nempe, & *juriſdictionis;* ad hanc referunt omnia, quæ ex parte Epiſcopi conſiſtunt in dando & faciendo, ſive ſint actus ordinis ſive juriſdictionis, uti conferre ordines, conſecrare templa, ferre ſententias, diſpenſare, punire, & alia facere, quæ jam recenſuimus, omiſſis tamen plurimis, quæ videri poſſunt apud Barb. *de off. & poteſt. Epiſcopi*. Ad *legem diœceſanam* vero, quæ ex parte Epiſcopi conſiſtunt in recipiendo, uti ſunt exigere cathedraticum & ſinodaticum, ſubſidium charitativum, quartam decimationum, quartam mortuariorum ſeu *portionem canonicam*, procurationes in viſitatione dioeceſis, ſeu moderata victualia, &c. Sed ab hac lege dioeceſana exempti ſunt omnes Regulares & Monaſteria, alias etiam non exempta a juriſdictione Epiſcopi, *can. 1. q. 1. can. 8. q. 3. cauſ. 10.* exceptis procurationibus viſitalibus.

8 Dico 7. Epiſcopus jure extraordinario & delegato in multis caſibus etiam in regulares, alias per generale privilegium ab ejus juriſdictione exemptos, juriſdictionem obtinet, & quidem de *Jure novo Tridentini* in his caſibus. 1. Quoad editionem librorum ſine approbatione ordinarii. 2. Quoad viſitationem & correctionem Regularium extra Monaſterium habitantium. 3. Quoad prædicationem Verbi Divini in eorum Eccleſiis curatis. 4. Quoad reparationem Eccleſia-

ſiarum Parochialium. 5. Quoad celebrationem Miſſæ extra Eccleſias non faciendam. 6. Quoad ordinationem, & prævium examen ordinandorum, niſi quoad hoc ſpeciali privilegio muniti ſint. 7. Quoad approbationem in ordine ad Confeſſiones ſæcularium audiendas. 8. Quoad cenſuras in Eccleſiis publicandas, ſi ita petat Epiſcopus. 9. Quoad obſervationem feſtorum diœceſis. 10. Quoad promulgationem Indulgentiarum non faciendam ſine conſenſu Ordinarii. 11. Quoad clauſuram & gubernationem Monialium, quæ non ſunt ſub ordinis Prælatis &c. Vid. Trid. *ſeſſ.* 4. 5. 6. 7. 22. 23. 24. *de ref.* Idem de *Jure antiquiore* in cauſa hæreſis & criminum ad S. Inquiſitionis tribunal pertinentium, *c.9. §.fin. de hæret.* in executione ultimarum voluntatum. *Clem. un. de Teſtam.* quoad Sacramenta Euchariſtiæ & Extremæ unctionis non conferenda (extra neceſſitatem extremam) parochianis ſine licentia Parochi. *Clem.1.de privileg.* in petitione Chriſmatis, conſecratione Eccleſiarum, & omnibus, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, *cap.19. de præſcr.* quoad Confeſſarios monialium, quoad electionem Abbatiſſæ, cui per ſe vel per alium præeſſe poteſt cum ſuperioribus Regularibus. Vid. Barb. qui *de off. & pot. Epiſc. alleg.* 105. *a nu.* 14. refert 52. caſus, & Chokier, qui *de juriſd. ord. in exempt. tom.* 1. *par.* 2. *qu.* 45. adducit 116. caſus, in quibus Exemptos ait ſubjectos eſſe Epiſcopis.

9 Dico 8. *Prælati regulares* in ſuos Religioſos præter poteſtatem dominativam propter votum obedientiæ etiam habent juriſdictionem ordinariam quaſi Epiſcopalem in foro tam externo quam interno. Sumitur ex *c.* 2. *de ſent. excom*, & communi DD, Ut adeo Epiſcopus quoad

ea,

ea, quæ ſpectant ad diſciplinam domeſticam, obſervationem regularum, votorum, modum vivendi, officia, promotiones, coercitiones Religioſorum ſe immiſcere nequeat, per *c. 5. de tempor. ord.* niſi forte diſcretio Prælati non ſufficiat, per *c. 2. cit.* vel niſi Prælatus Regularis negligens ſit, aut niſi Religioſus extra clauſtra degens ſcandaloſe delinquat. Trid. *ſeſſ. 6. c. 3. de ref.* Dixi, *Prælati Regulares*, nempe Abbates, Generales, Provinciales, & Superiores locales. Abbatiſſæ autem, & Præfectæ Monialium pollent quidem in ſuas ſubditas poteſtate dominativa, gubernativa, œconomica, & materna, vi cujus poſſunt Monialibus præcipere, delinquentes corrigere, officia dividere, bona temporalia adminiſtrare, & alia agere, quæ cuivis matrifamilias competunt; juriſdictionem tamen proprie ſpiritualem, quæ ſupponat *Ordinem Sacramentalem*, non habent, imo nec ex diſpenſatione Papali ejuſdem capaces ſunt; licet ipſis non male tribuatur aliqua juriſdictio ſpiritualis improprie talis in ordine ad præcipiendum ea, quæ ad ſalutem animæ, & regularem obſervationem pertinent, cum talem poteſtatem videatur exigere utilitas ſpiritualis, & ſalutare regimen Monialium.

10. Dico 9. *Parochi* (ſeu *Curionis*, *Plebani*, aut *proprii Sacerdotis*) ſicut juriſdictio eſt ordinaria pro foro interno in ſuos parochianos, non in externo, *gl. in can. 38. cauſ. 11. q. 1.* communiter recepta; ita officium eſt per ſeipſum, vel (ſi impeditus eſt) per alios idoneos ſuis parochianis adminiſtrare Sacramenta Baptiſmi, Extremæ Unctionis, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Matrimonii: diebus Dominicis & feſtis, quibus populus tenetur audire Sacrum, celebrare Miſſam; iiſdem diebus Dominicis & feſtis ſuos ſub-

ſubditos inſtruere Verbo Dei & rebus ad ſalutem neceſſariis tum in Catecheſi, tum dicendo pro concione: habere certas matriculas, videlicet librum, in quo diligenter annotet eos, qui ex ſuis parochianis contraxerunt matrimonium cum teſtibus, die, & loco; item librum, in quo deſcribat omnes baptizatos cum eorum parentibus, patrinis, anno & die, ut de contracta cognatione ſpirituali inter certas perſonas legitime conſtare poſſit; & propter eamdem rationem deberet etiam ita deſcribere Confirmatos cum eorum parentibus & patrinis. Aliqui etiam requirunt librum mortuorum, ſeu in parochia ſepultorum, &c. Sumuntur hæc ex *can.* 8. *cauſ.* 16. *qu.* 1. *cap.* 2. *de Parochiis*. Trident. *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *de reform. ſeſſ.* 24. *capit.* 1. *&* 2. *de reform. matrim.* Volebant olim aliqui, quod Parochiani ſint obligati diebus feſtis & Dominicis audire Sacrum in Eccleſia parochiali, alias non ſatisfacturi præcepto Eccleſiæ, ſi alibi audiant: quibus etiam favere videtur *c.* 2. *cit. & Extrav.* 2. *de Treuga. int. comm.* Verum hanc obligationem, ſi qua fuit aliquando, pridem ſuſtulit tum univerſalis conſuetudo in contrarium, tum privilegia ordinum Religioſorum, per quæ indulgetur omnibus audire Sacrum etiam diebus feſtis apud Religioſos, uti & Euchariſtiam, ſaltem extra tempus Paſchale, ſumere, imo ſua peccata confiteri etiam tempore Paſchali apud Mendicantes vel Ordines Regulares, tum Trid. *ſeſſ.* 22. *in Decreto de obſerv. & evit. in celebr. miſſ.* ubi populum *monendum* (non cogendum) ait, ut ſaltem Dominicis diebus & majoribus feſtis ad ſuas parochias accedant.

TI-

TITULUS XXXII.

De officio Judicis.

SUMMARIUM.

1 *Judicis juriſdictionalis officium nobile & mercenarium.*
2 *Quis poſſit eſſe Judex.*
3 *In quo conſiſtat ejus officium mercenarium.*
4 5 *Non poteſt condemnare juridice probatum reum, quem privatim ſcit eſſe innocentem.*
6 *Debet ſupplere, quæ juris, non, quæ facti ſunt.*
7 *An poſſit acceptare munera, ſportulas, xenia.*
8 *Ad quid teneatur male judicans.*

1 JUdex dicitur a jure dicendo, ſeu a judicando inter partes litigantes. Debet ergo eſſe inſtructus juriſdictione, ſibi communicata vel a Jure, aut conſuetudine, præſcriptioneve, vel a Principe aut alio conſtituere Judicem valente. Ejus officium aliud vocatur Nobile, aliud Mercenarium. *Ex Officio Nobili* procedit, quando vel motu proprio, aut ſi pupillis conſtituit tutores, inquirit in crimina &c. vel ad inſtantiam quidem partis, actionem tamen proprie dictam non habentis, vel non proponentis; ut ſi minorem, aut læſum infra dimidium, qui ſtricte dictam actionem de jure non habet, implorat tamen Judicem, reſtituit in integrum: ſi reſtituit illegitimum Natalibus: ſi lite per ſententiam finita facit executionem &c. Ex *Officio Mercenario* autem, quando procedit ad inſtantiam partis, actionem proprie dictam propo-

nen-

nentis, & ex ſtricto jure actoris ea facit, quæ jus præſcribit, uti ſunt citare partes, audire teſtes, concedere dilationes, ferre ſententiam vel interlocutoriam vel definitivam &c. Mercenarium igitur officium deſervit actioni.

2 Dico 1. Judex eſſe poteſt quilibet, qui non prohibetur vel a natura vel a jure. Quibus modis prohibentur amentes, ſurdi, muti, ſervi, impuberes, feminæ, ſenatu moti ob turpem cauſam, infames, *l.*12. *§.*2. *ff. de Judic. l.*2.32. *ff. de R.J. l.* 2. *C. de dignit. lib.* 12. item excommunicati, *c.*24. *de ſent. & re jud.* Impuberes & feminæ, exceptis locis, in quibus (ut in Germania ſubinde contingit) juriſdictio politica tranſit ad hæredes per ſucceſſionem, exercenda tamen per tutores, curatores, vel adminiſtratores; tunc enim quaſi in habitu ſunt Judices.

3 Dico 2. Judex tenetur ex officio mercenario audire partes litigantes, rationes & momenta, quæ pro ſe afferunt, ponderare, ſecundum jura & æquitatem ferre ſententiam & exequi, atque ſic jus dicere, ſeu cuilibet jus ſuum tribuere. Ad hoc enim conſtituitur, & per quaſi contractum ſe obligat. Unde, ſi non ſit Judex ſupremus (qui ſolus regulariter poteſt moderari pœnas a jure ſtatutas in judicio criminali) tenetur procedere & ferre ſententiam ſecundum leges, ſtatuta, conſuetudines, maxime in cauſis civilibus, *c.* 1. *conſtit. pr. Inſt. h.t. Nov.* 82. *cap.* 13. Statuta & conſuetudines particulares præferendæ ſunt juri communi, utpote jus noviſſimum, quod derogat antiquiori *l.* 1. *ff. ad L. Aquil.* Dein in iiſdem cauſis civilibus tenetur Judex pronuntiare pro illa parte, quæ penſatis & diſcuſſis diligenter omnibus ipſi videtur habere probabiliorem cauſam, & majus jus; ita enim exigit pactum taci-

tum cum Republica & Partibus initum, atque Innoc. XI. prohibens hanc propoſitionem: *probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem.* Sed hinc

Objic. ergo ſaltem poterit Judex judicare ſecundum opinionem æqualiter probabilem, & in pari cauſa favere, cui voluerit. R. *n. illatum*. Quia Judex non eſt dominus rei controverſæ, atque ideo, ubi æqualis utrimque apparet probabilitas, & æqualia cauſæ merita, eam non poteſt totam adjudicare uni Parti ſine injuſta perſonarum acceptione, ſed debet, ut cuique tribuatur jus ſuum, vel rem, ſi diviſibilis ſit, dividere, & cuilibet partem aſſignare, vel partes inducere ad tranſigendum, aut ad compromittendum in arbitros, aut ad rem committendam ſorti, ſi indiviſibilis ſit res. Dixi, *in cauſis Civilibus;* nam in cauſis Criminalibus, ſi Reus habeat cauſam æque probabilem, vel etiam minus, verè tamen probabilem. Reo magis favendum eſt, quam accuſatori, per *c.11. de R.J. in 6. l. fin. C. de probat.* cum *ſatius ſit impunitum, relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare l. 5. ff. de pœnis*. Ceterum in dubio facti, pro qua parte ſtet major probabilitas, vel ubi æqualis utrimque videtur eſſe probabilitas, etiam in cauſis civilibus pronuntiandum eſt pro illa parte, quæ præſumptionem pro ſe habet, vel poſſeſſionem, per *c. 65. de R.J. in 6.* vel cauſam in jure favorabilem, quales cauſæ favorabiles ſunt cauſæ dotis, matrimonii, libertatis, pietatis, & ultimæ voluntatis *c. fin. de ſent. & re jud. l. 10. ff. de inoff. teſtam.*

4 Dico 3. Judex caſu, quo privatim certo ſcit reum eſſe innocentem, vel nihil debere, probabilius non poteſt illum condemnare, tam in cauſis civilibus, quam in criminalibus, licet juridi-

ridice, *ſecundum allegata & probata*, ut loquuntur, probatus ſit reus delicti, vel debitor eſſe. Ita cum Abb. *in c. 28. §. quia vero n. 8. de off. & pot. jud. deleg.* multi & graves DD. contra S. Th. & aſſeclas, maxime antiquos Theologos, qui ex toto nobis adverſantur, & contra Haunol. qui cum Leſſ. Laym. Lug. & Pirhing nobis contradicunt ex parte, nimirum quoad cauſas civiles, & criminales minores, ubi nempe non agitur de pœna mortis vel mutilationis. Prob. 1. ex jure naturali, & natura juſtitiæ commutativæ & vindicativæ, quæ exigit æqualitatem & proportionem inter obligationem & ſolutionem; inter pœnam & delictum: ſed inter obligationem nullam, & ſolutionem veram: inter delictum nullum vel apparens tantum, & pœnam, nulla datur æqualitas vel proportio: ergo. Cum igitur non ſufficienter probetur, jura humana receſſiſſe a jure naturali fundato in natura juſtitiæ tam commutativæ quam vindicativæ, imo in cauſis criminalibus majoribus, ubi agitur de vita & membris hominum, non potuerint recedere, ipſo Deo *Exod.* 23. prohibente Judici, *non ſuſcipies vocem mendacii: nec in Judicio plurimorum* (teſtium) *acquieſces ſententiæ, ut a vero devies ∴ inſontem & juſtum non occides*, adeoque poteſtas in vitam vel membra innocentis Reipublicæ humanæ aut Judici, non legatur eſſe conceſſa; ſed potius negata; ideo etiam nec jura humana permittunt innocentem quemcumque, a Judice cognitum ut talem, condemnari ad ſolutionem, vel ad pœnam. Ex quibus inſuper poſitive

Prob. 2. Imprimis ex *jure canonico*, quod *c. 1. de ſent. & re jud.* jubet Judices procedere *ſecundum conſcientiam, & juſtitiam, ſolum-*

que *Deum præ oculis habere ; cum æterni tribunal Judicis illum reum non habeat, quem injuſte Judex condemnat*. Confirm. Judex non poteſt ferre ſententiam juxta opinionem minus probabilem, ut dictum *nu.* 3. ex propoſitione damnata: ergo multo minus juxta opinionem vel teſtimonium certo falſum. Dein ex *jure civili*, quod quidem vult Judicem procedere ſecundum allegata & probata, at unice ideo, ut Judici certius innoteſcat veritas, & ut minus fallatur circa merita cauſæ, non vero, quando jam aliunde certo ipſi conſtat de veritate, ut patet ex *l. 6. ff. de offic. Præſ.* ibi: *Præſes provinciæ id ſequatur, quod convenit eum ex fide eorum, quæ probabuntur, ne veritas vitietur erroribus:* ſed quod falſum eſſe certo cognoſcitur, *probari* ut verum non poteſt: & nullius ſunt *fidei* teſtes, qui ſciuntur falſum teſtari: item quando veritas, quam velut finem obtineri volunt jura, per teſtes, jam aliunde ex privata certa notitia habetur, ceſſat teſtimonium, velut inutile medium ad veritatem detegendam. Confirm. 1. Jus civile prohibet fidem adhiberi teſti ſuſpecto: ergo multo magis teſti certe falſo. Confirm. 2. Idem jus vult Judicem procedere ſecundum ſuam, non aliorum, ſententiam & judicium, per *l.* 1. *§. 6. C. de vet. jure enucl.* Confirm. 3. Idem jus tot cautelas quoad teſtes & probationes adhiberi exigit præciſe ideo, ne innocens opprimatur: quis ergo credat illud velle, ut condemnetur & ſic opprimatur innocens per teſtimonia & probationes, quas Judex certo ſcit eſſe falſas, & ſic detorqueatur in diſpendium, quod in innocentis favorem eſt introductum, contra *reg. 61. in 6.*

5 *Objic.* 1. In ore duorum vel trium ſtabit omne verbum *Matth.* 18. ergo per duos teſtes con-

convictus condemnari poteſt ac debet. 2. Judex plus debet credere pluribus aliquid teſtificantibus, quam ſibi ſoli. 3. Judex tenetur ſequi ſcientiam publicam *juris*, h. e. judicare ſecundum jura & leges: ergo etiam tenetur ſequi ſcientiam publicam *facti*, quæ habetur per duos teſtes, vel alias probationes juridicas. 4. Executor debet exequi ſententiam, licet *ſciat eam eſſe injuſtam c.* 28. *§. quia vero, de off. jud. deleg.* ergo etiam Judex ferre ſententiam, licet ſciat eſſe injuſtam. 5. Juridice probatus nocens non eſt innocens: ergo recte condemnatur. R. ad 1. Illo textu probatur quidem ſufficere ordinarie duos teſtes ad plene probandum (& pauciores regulariter non ſufficere) at non pro omni caſu, maxime illo, quando ſcitur, teſtes deponere falſum. Ad 2. Judex tunc debet plus credere aliis, quam ſibi, quando non habet evidentiam vel certitudinem veritatis ex ſua, & falſitatis ex parte aliorum; hoc enim caſu aliis credere ac fidem aliis habere eſſet impoſſibile: neque proprie *credit* ſibi, ſed ſcit. Ad 3. *neg. conſ.* vel ſuppoſitum, quod, ubi Judex certo ſcit, factum aliter ſe habere, quam teſtes aſſerant, detur *ſcientia* publica contra reum; cum ſit error vel calumnia, quam utique ſequi non tenetur. Ad 4. *n. conſ.* & paritatem; quia executor, cui a ſuperiore demandatur executio, parere tenetur, & *obſequi mandanti*, ut jubet textus; nec ipſi conceditur examinare ſententiam: econtra Judex non tenetur obſequi ex ullo juris præcepto teſtibus, ſed poteſt imo debet eorum fidem examinare. Deinde nec executor poteſt exequi ſententiam *notorie* injuſtam; cum talis ſit nulla: neque ſententiam, quæ condemnat ad mortem, ſi eam privatim tantum ſciat eſſe injuſtam, vel, ut S. Thomas lo-

loquitur, intolerabilem continere errorem; alias excuſare poſſes etiam carnifices, qui SS. Martyres occiderunt, & Judæos Chriſtum crucifigentes. Ad 5. *diſt. ant.* non eſt innocens apparenter *c. ant.* reipſa, & Judici, qui veram innocentiam attendere debet, *n. ant. & conſ.* Si teſtes falſi poſſent facere nocentem, nec Chriſtus fuiſſet innocens, ſed juſte condemnatus. Quid ergo Judex in tali caſu, ubi privatim ſcit innocentiam rei, debet facere? R. omnia tentare, ut talem liberet, increpare teſtes, repellere actorem vel accuſatorem, dicendo, ſibi conſtare de oppoſito: differre ſententiam, ut interim veritas detegatur magis: vel negotium deferre ad Superiorem, ibique teſtem agere pro innocente: vel, ſi hæc non ſufficerent, & ipſe periclitaretur de amittendo officio, ſi non condemnaret, poſſet ſe conformare aliorum opinioni probabili, & condemnare, ſaltem in cauſis civilibus, & criminalibus minoribus; quia cum tam notabili ſuo incommodo non tenetur alteri conſulere: id tamen forte non poſſet in criminalibus majoribus, ubi agitur de vita innocentis, ſed potius deberet ſuſtinere privationem officii; niſi ſententiam illorum, qui etiam in his cauſis poteſtatem condemnandi tribuunt Judici, judicet æque probabilem, & ſequi malit.

6. Dico 4. Judex debet ſupplere ea, quæ juris ſunt, & à partibus omiſſa; non autem, quæ ſunt facti. Text. & DD. *in l. un. C. ut, quæ deſunt Advocatis.* Quia debet adminiſtrare juſtitiam, ſecundum jura. *Juris* autem ſunt v. g. examinare libellum, & ineptum rejicere: deferre juramentum calumniæ, ubi opus eſt: dilationes concedere: teſtes non legales repellere: exceptionem præſcriptionis, Senatus conſulti Vel-

Vellejani ſuggerere: præſcriptionem illegitimam, inſtrumentum falſum &c. rejicere, & ſimilia *Facti* autem ſunt producere teſtes, inſtrumenta: vel alias probationes: exceptiones opponere, quæ non ſunt juris: allegare privilegium ſpeciale &c. ſi enim iſta ſuppleret Judex, redderet ſe ſuſpectum de ſtudio partium. Interim tamen poteſt imo debet Judex ſupplere etiam, quæ facti ſunt, ſi factum ſit notorium, aut reluceat ex actis, v. g. quod reus jam præſcripſerit, quod habeat privilegium: vel ubi verſatur periculum animæ: vel agitur de bono publico, aut de cauſa pia.

7 Dico 5. Judex peccat accipiendo munera. 2. Probabilius tamen non tenetur accepta reſtituere ante ſententiam Judicis ſuperioris. 3. Niſi dans non ſponte obtulerit, ſed præciſe ad redimendam vexam iniquam, eo quod v. g. viderit, Judicem, niſi ei dederit pecunias, notabiliter fore ſegnem & tardum in expedienda cauſa, vel omnino injuſtæ ſententiæ periculum eſſe, &c. Pars 1. probatur partim ex jure naturali & divino; quia munera nimis propenſum reddunt animum danti, & excæcant intellectum. *Deut. 16.* ut adeo communiter ſit periculum pervertendæ Juſtitiæ; partim ex legibus humanis, *c. 11. de reſcr. in 6. §. 4. l. 3. ff. de L. Jul. repetund. Auth. novo jure C. de pœna Judicis*, etſi per accidens periculum recedendi a juſtitia non incurreret Judex ob ſerium propoſitum non recedendi. Pars 2. probatur inde, quia hæc obligatio non ſufficienter probatur. Pars 3. ex communi Doctorum; quia in dante deeſt animus ſufficienter liber ad donandum, & ſic injuſte extorquentur munera. Dixi autem, *munera*; nam *ſportulas*, quas utraque pars ſolvit æqualiter per modum ſti-

pendii vel mercedis juxta loci conſuetudinem; vel ubi Judex aliunde ſalarium ſufficiens non habet: item *xenia*, quo nomine vocantur liberaliter oblata in modica quantitate, ac fere in eſculentis & poculentis conſiſtunt, licite poteſt accipere (quamvis melius non acceptet) per *c.* 11. *§.* 4. *cit. & l.* 18. *ff. de offic. Præſ.* quia ex ſportulis nullum, ex xeniis autem ſaltem non notabile aut veriſimile naſci cenſetur periculum pervertendæ juſtitiæ.

8 Dico 6. Judex injuſte judicans, ſive per imperitiam ſive per malitiam, litem facit ſuam, h.e. conveniri poteſt de ſindicatu ad reſarciendum damnum parti inde illatum, *pr. Inſt. de oblig. quæ quaſi ex delicto l.* 15. *ff. de Judic. & Auth. cit. c.* 1. *de ſent. & re jud. in* 6. in quo etiam ſtatuitur ſuſpenſio latæ ſententiæ per annum in Judicem eccleſiaſticum. Sed cum diſcrimine: ſi *ex imperitia* tantum male judicavit in gravamen Patris, & ſic tantum ex quaſi delicto, non condemnatur in totum damnum, ſed ſolum in id, quod æquo Judici videbitur, *pr. Inſt. cit. l. ult. ff. de extraord. cognit.* Si vero *ex malitia*, ſcilicet inductus odio, gratia, timore, in totum damnum, & fit infamis; imo ſi corruptus pecunia jam accepta, inſuper in triplum, ſi tantum promiſſa, in duplum ultra totam æſtimationem litis, ac ſimul dignitatem amittit; in cauſa vero criminali confiſcatis omnibus bonis mittendus eſt in exilium, *auth. cit. & nov.* 124. *c.* 2. Præterea ex malitia vel culpa mortaliter peccaminoſa male judicans tenetur in conſcientia, & ante omnem ſententiam, omne damnum parti illatum reſarcire: ſic enim exigit juſtitia commutativa.

TI-

TITULUS XXXIII.

De majoritate & obedientia.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit majoritas & obedientia.*
2 *Quibus competat præcedentia.*
3 *Quis ſit Judex in cauſa præcedentiæ.*
4 *Quibus in rebus præſtanda obedientia.*

1 PEr *majoritatem* intelligitur prærogativa, vel excellentia unius præ altero, & inde ortum jus præcedentiæ; quod perſonis eccleſiaſticis compellit vel ratione ordinis majoris, conſecrationis aut benedictionis, quam quis habet, juriſdictionis, vel dignitatis, privilegii, antiquitatis vel ſenii; imo & ratione ordinantis, ut ſi quis ſit ordinatus a Papa. *c.1. 7. h.t.* Per *obedientiam* vero reverentia erga majores & ſuperiores, paritio, ac executio mandatorum, *c. 8. de offic. jud. ord. c. 2. h. t.*

2 Dico 1. Quamvis in clero ſæculari de jure communi (olim Archidiaconus) hodie autem Vicarius Generalis Epiſcopi obtineat primum locum poſt Epiſcopum, & Sede vacante nulli cedat, niſi præcipuam dignitatem in capitulo obtinenti; de conſuetudine tamen, præſertim Germaniæ, canonicos cathedrales non præcedit, ſaltem ſeniores ſe, ſi & ipſe ſit canonicus. Barboſ. *de off. & pot. Epiſc. alleg. 54. n. 167.* Item quamvis in clero regulari de jure præcedant *Canonici*, tum *Clerici Regulares*, dein *Monachi*, demum *mendicantes* Religioſi. In concurſu autem cleri ſæcularis & regularis poſt Epiſcopum primi ſint Abbates & Prælati regulares in

dignitate conſtituti, adeoque canonicos ſingulariter & ſolitarie (non capitulariter & in corpore) incedentes præcedant tum propter juriſdictionem, quam habent, tum propter benedictionem: in hac tamen re maxime attendenda eſt conſuetudo locorum, vel etiam conventiones. Sic vidi in aliqua civitate ex ordinibus Religioſis præcedere, qui antiquiorem in illa ſtationem obtinent.

3 Dico 2. Si controverſia inter perſonas eccleſiaſticas Epiſcopo inferiores, vel inter Confraternitates, ſuper præcedentia, Judex eſt Epiſcopus, qui illam ſtatim componet remota omni appellatione. Trid. *ſeſſ. 25. c. 13. de Regular.* nimirum ne per ſimiles controverſias non ſtatim ſopitas, quarum fundamentum videtur eſſe ambitio, cultus Divinus minuatur, vel populus ſcandalizetur.

4 Dico 3. Quamvis omni jure ſuperioribus debeatur obedientia, hæc tamen ad alia ſe non extendit, quam in quibus alteri quis ſubeſt. Ratio; quia in aliis ſe habet inſtar non ſubditi: ſic Religioſus habens parochiam Epiſcopo ſubjectam tenetur quidem ipſi obedire in iis, quæ ſpectant ad curam animarum, non vero in iis, quæ ſpectant ad obſervantiam Regularem, niſi quoad hanc curandam Prælatus Regularis eſſet negligens.

TITULUS XXXIV.

De Treuga & Pace.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit Treuga, Pax, Bellum.*
2 *Quid ſi Treuga, & Pax violetur.*
3 *Quid requiratur, ut licitum ſit bellum offenſivū.*

1 Treu-

1 TReuga, fidem vel ſecuritatem denotante, dicta, eſt ſecuritas rebus aut perſonis præſtita nondum finita diſcordia aut bello, per *c. 2. h. t.* Alio nomine dicitur Armiſtitium, Induciæ. Dividitur in conventionalem & canonicam: *Conventionalis* eſt, quando ipſi diffidentes, vel bellum gerentes, ex pacto ſolemniter conſentiunt in ceſſationem ab armis ad tempus: & hæc eſt juris gentium, imo & juris naturalis, quod jubet etiam hoſtibus ſervare fidem. *Canonica* autem, quam SS. Canones ſtatuunt; hi enim *c. 1. & 2. h. t.* Treugam ſervari volunt ab occaſu ſolis in die Mercurii uſque ad ortum ſolis diei Lunæ, & ab Adventu uſque ad Octavam Epiphaniæ, item a Septuageſima uſque ad Octavam Paſchæ. Dein ſecuritate inter arma gaudere volunt clericos, religioſos, peregrinos, mercatores, ruſticos in agricultura exiſtentes, eorumque animalia, quibus arant, vel ſemina portant ad agrum. Sed triſtis bellorum experientia oſtendit, etiam has leges inter arma ſilere, & abrogatas, vel numquam receptas eſſe. *Pax* eſt plena ac perpetua diſcordiæ vel belli ſedatio: unde differt a treuga, quod diſcordiam vel bellum omnino tollat, treuga autem ad tempus & ſecundum quid tantum, ſeu ſecuritatem præſtet durante adhuc diſcordia. *Bellum*, quod opponitur paci, eſt diſcordia Principum vel Rerumpublicarum, vim & arma ſibi mutuo inferentium per exercitus. Si diſcordia vel pugna oriatur inter Principem & ſubditos, *Rebellio*, ſi inter Rempublicam & ſubditos, *ſeditio*, ſi inter privatos, *rixa* vel *duellum* appellatur.

2 Dico 1. Si treuga vel pax frangatur facto publico ab una parte, ab altera poſſunt arma reſumi ſine nova belli indictione. Gonzal. *ad c. 1.*

b. t. n. 16. quia ut habet commune proverbium, *frangenti fidem fides frangatur eidem*. Si vero frangatur facto privato, pax non debet diſſolvi, vel ad arma convolari, ſed a violante ſatisfactio præſtanda eſt. Gonz. ibid. cum Grotio.

3 Dico 2. Ut bellum *offenſivum*, ſeu aggreſſivum, ſit juſtum & licitum, requiritur 1. juſta cauſa, moraliter certa, v. g. ut recuperetur provincia, urbs, vel res aliæ magni momenti, ab alio injuſte detentæ; ut vindicetur gravis injuria Principi vel Reipublicæ, aut grave damnum illatum; ut bellum juſtum gerenti afferantur ſuppetiæ; ut defendatur vera religio &c. 2. Ut inferatur ab habente poteſtatem inferendi, uti ſunt Principes, & Reſpublicæ Superiorem in temporalibus non recognoſcentes. 3. Ut, antequam indicatur bellum, tententur omnia alia media mitiora ad reſarciendum damnum injuſtum, impediendam vel reparandam injuriam &c. 4. Ut, qui bellum infert, recta ducatur intentione, non odio ad vindicandum &c. ſed amore Juſtitiæ, Religionis, Reipublicæ, Pacis ſtabiliendæ &c. 5. Demum ut in belli proſecutione ſerventur leges belli, nimirum ut Eccleſiæ maneant illæſæ, & locorum perſonarumque eccleſiaſticarum bona non diripiantur, uti & innocentum, ſaltem directe, ut perſonæ innocentes, puta clerici, religioſi, agricolæ, feminæ, infantes, & alii arma non tractantes, directe non occidantur, imo nec militantes finita jam pugna, & parta victoria, niſi aliunde ob ſpeciale delictum promeriti ſint mortem, multo minus obſides &c. Ita communis DD. cum S. Th. Videri poteſt Schiara in *Theologia Bellica*.

Objic. 1. Bellum offenſivum eſt contra dilectionem inimicorum Chriſtianis preceptam a Chriſto. *Matth.* 5. & a Paulo *Rom.* 12. ibi: *nulli malum pro*

malo

malo reddentes. 2. Ex bello plerumque, & fere inevitabiliter, graviſſima peccata, uti cædes innocentum, expilationes templorum, oppreſſiones pauperum, corruptiones Virginum &c. item maximæ calamitates ac devaſtationes provinciarum & urbium conſequuntur; ergo bellum offenſivum nunquam poteſt eſſe licitum. R. ad 1. Chriſtus quidem præcipit dilectionem proximi magis tamen Reipublicæ, & Paulus vetat quidem vindictam privata auctoritate, non publica, quærendam, dum ipſe ait *c. ſeq.* Magiſtratus non fruſtra *portat gladium*; eſt enim *Miniſter DEI, vindex in iram ei, qui malum agit.* Igitur per bellum alias juſtum infertur quidem inimicis malum, non tamen ut ipſis eſt malum, ſed prout Reipublicæ, quam oportet tueri, eſt bonum: nec infertur privata, ſed publica auctoritate. Ad 2. Sit, quod iſta mala plerumque ſequantur ex bello præter intentionem bellum moventis, & per accidens, majora tamen forent timenda, ſi bellum non inferretur; quia perverſis hominibus daretur anſa audendi, invadendi, & rapiendi omnia. Adde, quod DEUS ipſe in SS. Litteris ſæpe approbaverit vel juſſerit bella. Accedit communis ſenſus & praxis omnium populorum.

TITULUS XXXV.

De Pactis.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit pactum, quid contractus.*
2 *Quotuplex ſit pactum, præſertim nudum & veſtitum.*
3 *Qualem requirat conſenſum.*
4 *Quinam paciſci, & contrahere poſſint.*

5 6 7 *An*

5 6 7 *An & quomodo pupilli. Quinam dicantur pupilli, minores, filii-familias, impuberes & puberes: quotuplicia illorum bona.*
8 *An & quomodo Minores.*
9 *An & quomodo filiifamilias.*
10 *Super quibus rebus iniri pacta valeant.*
11 *Ex pacto nudo non datur actio de jure.*
12 *Quæ ſint ſubſtantialia, naturalia, ſolemnia, & accidentalia contractuum.*
13 *Diviſio contractuum.*
14 *Quid ſit dolus, & culpa, & quotuplex, quid caſus fortuitus.*
15 *In contractibus innominatis licet pœnitere.*
16 *Quis in contractibus præſtare debeat dolum, culpam, caſum fortuitum.*

1 PActum in genere eſt duorum pluriumve in idem placitum conſenſus, *l.*1. *§.* 2. *ff. de pact.* Et ſic idem eſt atque *conventio*, quæ eſt genus reſpectu *pacti in ſpecie*, & *contractus in genere* ſumpti, imo comprehendit omnes ſpecies obligationum, quas ſibi ipſi aliquis per ſuum conſenſum imponit. *Pactum in ſpecie* autem, ſeu *ſpecifice* acceptum, & prout contradiſtinguitur a contractu in genere, non male definitur eſſe *conventio ultro citroque* (ſeu mutuo) *habita, ex ſe non pariens actionem, ſeu obligationem civilem*: Contractus autem in genere: *Conventio ultro citroque habita pariens per ſe actionem civilem*. Harprecht *in §.*2.*inſt.de oblig. n.*5.8. Haun. *de J.& J. tr.*8.*n.*12.17. Obligationem *naturalem* quidem parit omne pactum & omnis contractus. *c.*1. *&* 2. *h.t.l.*1.*ff. eod. Civilem* vero ſeu actionem, vi cujus alter in judicio conveniri poſſet, pactum per ſe non parit, bene tamen contractus, & per hoc inter ſe diffe-

ferunt. Eſt autem *obligatio* in generis *juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ* (vel faciendæ, vel omittendæ) *pr. inſt. de oblig.* quamvis enim pacta *veſtita*, uti vocantur, & *legitima*, etiam pariant actionem, ſeu obligationem civilem, hanc tamen non pariunt *per ſe* & ex ſe, ſicut contractus, ſed ex adjecto & per accidens, vel ex ſpeciali juris aſſiſtentia, vel conſuetudinis. Sumo hic occaſionem aliqua principia tradendi de contractibus in genere, quia de his in noſtro jure nullus eſt *titulus* ſpecialis, utut ſcitu maxime neceſſariis, licet in *lib. III.* multi extent tituli de variis contractibus in ſpecie, ubi ſupponi debent principia de contractibus in genere.

2. Pactum dividitur in *expreſſum*, quod fit conſenſu, verbis, litteris, vel aliis ſignis manifeſtato, & in *tacitum*, quod elicitur ex præſumpta paciſcentium voluntate, eo quod a lege præſumatur, vel fingatur ex juſta cauſa conſenſus, ut ſi creditor debitori reddat chirographum *l. 2. §. 1. ff. h. t.* præſumitur enim remiſiſſe debitum, & pactum *liberatorium* ab obligatione iniviſſe, ſeu pactum de non petendo. Omiſſis aliis famoſa pacti diviſio eſt in *nudum & veſtitum*. *Pactum nudum* dicitur, quod in ſola conventione & conſenſu paciſcentium conſiſtit, neque nomen certi contractus v. g. mutui, emptionis-venditionis, ſortitur, neque cauſam habet (per *cauſam* intelligitur datio vel traditio, aut factum, quo inita conventio ab uno jam impleta eſt) neque juris aſſiſtentiam, paciſcenti actionem tribuentis: *Veſtitum* vero, quod præter conſenſum habet aliud adminiculum juris, nempe vel nomen certi contractus, vel cauſam, vel juris aſſiſtentiam. Unde pacta veſtiuntur variis modis. 1. Si tranſeant in contractum ſpecificum. 2. Si in continenti ad-

adjiciantur tali contractui. 3. Si ex alterutra parte traditió ſecuta eſt. 4. Si fiant in judicio. 5 Si ſuper iis conficiatur inſtrumentum publicum. 6. Si acceſſerit ſtipulatio, h.e. ſi interroganti, an promittas te daturum veſtem v. g. reſpondeas, promitto. 7. Si acceſſerit juramentum, ſaltem in caſu, quo jura tribuunt actionem ex promiſſione jurata. Demum 8. Si jus Civile ſpecialíter aſſiſtat tribuendo actionem civilem, ut aſſiſtit donationi ſimplici, promiſſioni dotis acceptatæ, pactis Sponſalitiis, conſtituto, ſeu promiſſioni de ſolvendo debito, proprio vel alieno, item pacto de uſuris, & de pignore. Et hæc pacta vocantur propterea *legitima l.6. ff. b. t.*

3 Dico 1. Conſenſus in omni pacto (uti & contractu) eſſentialiter neceſſarius, debet eſſe verus, ſeu non fictus. Item liber a dolo, errore, ac metu. Quamvis enim dolus vel error accidentalis circa rem conventam, etſi antecedens ſit & cauſa negotii, uti & metus, etiam gravis injuſte incuſſus non tollant conſenſum omnino, & ſic negotium non reddant irritum, tamen reddunt aliquo modo infirmum, vel reſcindibile, ut magis declarabitur ad *tit. de his, quæ vi, & ad titul. de dolo*. Debet inſuper conſenſus ſufficienter manifeſtari.

4 Dico 2. Pactum (vel contractum) inire poſſunt omnes, qui ponere liberum conſenſum, eumque ſatis manifeſtare, & ſic ſe obligare, nec a jure poſitivo prohibentur. Ratio, quia ſpectato jure naturali plus non requiritur, quam conſenſus. Prohibentur autem de *jure Canonico* Prælati Eccleſiaſtici circa alienationem rerum Eccleſiaſticarum ſine certis ſolemnitatibus, ut explicabitur ad *tit. de reb. Eccl. alien.* & Religioſi circa res temporales ſine conſenſu Superioris vel expreſſo,

preſſo, vel tacito, vel ſaltem præſumpto, propter votum paupertatis, & incapacitatem dominii inde ortam ex diſpoſitione Eccleſiæ, per *c.2. de teſt. in 6. c.2.4.6. de ſtatu Monach.* & Trid. *ſ.25. c.2. de regular.* Rurſus de *jure civili* prohibentur (ita ut ſaltem obligationem civilem non contrahant) ſervi proprie dicti; *l.14. ff. de O & A.* item prodigi juridice tales, quibus nempe a Magiſtratu interdicta eſt adminiſtratio bonorum, *l 6. ff. de V.O.*

5 Quæres, an Pupilli, Minores, & Filiifamilias paciſci vel contrahere poſſint? Antequam reſpondeam, notandum 1. *Pupillos* vocari liberos impuberes, patre orbatos, & his conſtitui ſolet Tutor: *Minores* vero ſeu *Minorennes*, illos liberos, qui patre quidem orbati ſunt, ſed annos pubertatis (qui in maſculis ſunt 14. in fœmelis 12. completi) jam ſunt conſecuti; & his dari ſolet Curator, qui res ipſorum & utilitatem curet patris loco. Poſtquam vero impleverunt annum 23. (& de Jure Bavarico annum 21.) appellantur *Majorennes* vel *Majores*. *Filiosfamilias* (vel *filiasfamilias*) dici liberos, qui patrem adhuc habent, adhuc tamen in patria poteſtate ſunt conſtituti, ſive dein ſint *majorennes*, ſive *minorennes* ſeu *puberes*, ſive *impuberes*, ſive etiam *infantes*: quæ infantia durat uſque ad 7. ætatis annum completum; quamvis autem & hi ſint, ſæpe tamen non appellentur impuberes. Notandum 2. Bona iſtorum, præſertim filiorumfamilias, quadruplicis generis conſiderari. 1. *Caſtrenſia*, quæ filius habet independenter a patre vel matre, ſed acquiſivit vel intuitu militiæ, vel ex liberalitate Principis, vel per induſtriam in Officio Militari vel Aulico. 2. *Quaſi caſtrenſia*, quæ obtinuit vel ex officio publico Medici, Judicis, Conſiliarii, Profeſſo-

ſeſſoris &c. vel ex beneficio Eccleſiaſtico, aut poſt ſuſceptum clericatum. Utriuſque hujus *peculii* (ſic vocantur) plenum dominium, &, ſi pubes ſit, etiam libera adminiſtratio eſt penes filium-familias. 3. *Profectitia*, quæ ipſi obveniunt a patre, vel principaliter intuitu patris, uti alimenta, veſtes, libri, & ea, quæ ipſi donantur intuitu, vel ad inſtantiam patris, uti v.g. ſtipendium ad proſequenda ſtudia, item quæ ipſi conceduntur a patre ad negotiandum. Et horum tam adminiſtratio & uſusfructus, quam dominium plenum ad patrem ſpectat. 4. *Adventitia*, quæ conſequitur filius aliunde, puta ex hæreditate de linea materna, ex donatione alterius quam Principis, ex artificio eventu fortuito &c. Et hæc ſunt in duplici claſſe, aliqua vocantur *regularia*, uti ordinarie ſunt; & horum uſusfructus ac adminiſtratio competit patri, dominium vero directum eſt penes filiumfamilias: alia *irregularia & extraordinaria*, quando nimirum pater concedit filio aut filiæ familias tacite vel expreſſe eorum uſumfructum præter dominium, quod aliunde jam ipſi competit. Jam

6 Dico 3. Pupillus paciſcendo (vel contrahendo) ſine auctoritate tutoris non ſolum non contrahit obligationem civilem. 2. Sed probabilius nec naturalem, & in conſcientia, ſi tutorem habeat. 3. Niſi inde factus ſit ditior. 4. Quamvis alterum ſibi obliget civiliter & naturaliter, caſu quo rem ſuam facit meliorem. Pars 1. certa eſt ex *pr. inſt & l. 5. & c. ff. de auth. tutor.* Pars 2. eſt valde controverſa, probatur tamen valde efficaciter ex *l. 59. ff. de O. & A.* ibi: *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo ne quidem jure naturali obligatur*. Et ex *l. 41. ff. de condict. indeb.* ibi: *quod pupillus ſine auctoritate tutoris ſtipulantis promiſerit, ſolverit, repetitio*

eſt;

eſt; quia nec natura debet: quod enim naturaliter, ac in conſcientia debetur, & ſolutum eſt, repeti non poteſt, *l.* 10. *ff. de O. & A* ergo, cum pupillus ſine auctoritate tutoris ſolutum repetere poſſis generaliter, & ſine dubitatione, ut ait *l.* 29 *q. de condict. indeb.* clarum eſt ſignum, quod in conſcientia, ſeu naturaliter non obligetur. Atque ita ſentiunt multi Juriſtæ cum Covar. & Vveſenbec. multique Theologi Recentiores cum Haunoldo *tr.* 8. *c.* 3. *n.* 196. *ſeqq.* & Vvadingo, contra Theologos pleroſque præſertim antiquiores, & non paucos Juriſtas. Pars 3. iterum eſt certa ex *l.* 5. *cit.* ubi tam civilem quam naturalem contrahere obligationem dicitur in hoc caſu; uti & in caſu, quo pupillus dolum committit, per *l.* 1. §. 15. *ff. depoſiti*. Pars 4. rurſus eſt certa ex *pr. cit. & l.* 28. *ff. de pact.* vi quarum legum alios ſibi quidem obligat tam in pacto vel contractu oneroſo & bilaterali, quam in gratuito & unilaterali, quamvis ipſe non obligetur aliis: poteſt igitur pupillus rem ſuam facere meliorem ſine auctoritate tutoris, non vero deteriorem.

7 Objic. contra 2. partem 1. Multi extant textus in jure civili, in quibus adſtrui videtur obligatio naturalis pupilli, paciſcentis vel contrahentis ſine auctoritate tutoris, v.g. *in l.* 25. §. 1. *ff. quando dies Legator.* ubi pupillus, quod ſolvit, repetere non poſſe dicitur, quod eſt ſignum obligationis naturalis, per *l.* 10. *cit.* 2. Spectato jure naturali certe obligatur pupillus naturaliter ex pacto vel contractu: ſpectato autem jure poſitivo & Legibus dubium eſt ac incertum, an obligetur naturaliter, cum leges allegentur in utramque partem. Sed in dubio non eſt aſſerenda correctio jurium, aut divortium juris poſitivi a naturali, atque in concurſu juris dubii & certi ſtandum eſt certo: ergo. R. ad 1. Quamvis

in

in oppoſitum afferantur plures Leges, eæ tamen nullatenus ſunt tamen claræ ſicut ſunt, quas pro noſtra ſententia adduximus, rotunde ac diſerte negantes obligationem juris naturalis. Leges autem minus claræ debent explicari ſecundum clariores. Deinde Leges, quæ allegantur in oppoſitum, vel intelligendæ ſunt de pupillo ditiore effectu, uti *l.21. ff.ad l.falcid. l.1. ff.de Novat. l.64. ff. ad SC. Trebel.*vel de non habente tutorem, uti *l. 26. ff. de fidejuſſ.* & in hoc caſu naturalem obligationem amittimus propter. 3. *C. de integr.reſt.* Vel de obligatione ad lubitum pupilli, etiam extra judicium, revocabili, ut multi diſcurrunt de obligatione orta ex promiſſione gratuita per dolum obtenta: ſed talis obligatio in effectu nulla eſt. Ad *l.25. cit.* in ſpecie, quæ valde obſcura eſt, ut legenti patet, dico, ibi ſermonem eſſe de pupillo tutorem non habente. Nicol. de Paſſer. apud Haun. *n.*220. Vel de pupillo, qui ſolvit, vel ſolutionem approbavit jam majorennis. Dein huic legi admodum obſcure oppono longe clariorem, nempe *cit.l.*41 ubi in terminis conceditur repetitio. Ad 2. hcc argumentum ſupponit, quod eſt in quæſtione; tota enim quæſtio eſt facti, conſiſtens in eo, utrum jus poſitivum ſuſtulerit obligationem naturalem, quam alias induceret jus naturale, ſeu an receſſerit a jure naturali: ergo, dum Adverſarii ſic arguunt: jus naturale certo obligat pupillum naturaliter, ſupponunt, certo adhuc dari jus naturale, & ab eo per leges poſitivas non eſſe receſſum: ergo ſupponunt, quod eſt in quæſtione, quia de hoc ipſo quæritur; & ſpectatis legibus poſitivis longe probabilius eſt, jus naturale iis ſtantibus non amplius ſtringere, & eſſe per leges ab illo receſſum, uti oſtenſum eſt.

8 Dico

8 Dico 4. Minor ſine curatore, ſi quem habet, paciſcens (vel contrahens) pariter nec civiliter nec naturaliter obligatur. Auctores iidem ex ſimilibus principiis, maxime ex *l 3. C. de integr. reſt. cit.* Ratio; quia curator non minus a jure datur minori, ne ſibi propter inconſultam ætatem præjudicet in rebus ſuis, quam tutor Pupillo. Hoc tamen a Pupillo ſingulare habet minor, quod ſine curatore ſe valide obliget perſonaliter, ſeu ad actiones perſonales, v.g. per Sponſalia, Matrimonium, profeſſionem Religioſam, & ad operam perſonalem quamcumque, per *l. 101. ff. de V.O.* & commune brocardicum: *Curator non datur perſonæ, ſed rebus, Nov. 117. c. 1.* Econtra *Tutor datur & perſonæ & rebus.* Ceterum ſi agatur de rebus immobilibus, vel mobilibus pretioſis, pupilli vel Minoris per pactum (vel contractum) alienandis, præter auctoritatem tutoris vel curatoris requiritur etiam Decretum Judicis *l. 22. C. de adminiſtr. tutor. & curat.* niſi diſponant per teſtamentum, vel profeſſionem Religioſam; quia tali caſu non amplius indigent bonis & rebus ſuis, & ſic ceſſat finis legum.

9 Dico 5. Filiusfamilias pubes circa bona adventitia Regularia, vel profectitia, paciſcens (vel contrahens) ſine conſenſu patris ſaltem tacito, agit invalide, per *l. 4. §. 1. ff. l. 2. C. Caſtrenſ. pecul. lib. 12. l. fin. §. 4. C. de bonis, quæ liberis.* Impubes autem etiam cum conſenſu patris, *§. 10. inſt. de inutil. ſtipul.* Perſonaliter autem obligare ſe poteſt filiusfamilias pubes, & ad operam perſonalem, ſine conſenſu patris, etiam ad alienandum pro tempore, quo fuerit ſui juris; licet durante patria poteſtate immobilia bona, & mobilia pretioſa, alienare nequeat ſine Decreto Judicis, ſicut minor & pupillus. *Objic.* Pupillus cum conſen-

ſenſu tutoris paciſcens obligatur: ergo & filiusfamilias impubes cum conſenſu patris. R. *n. conſ. & paritatem*; nam pupillus permittitur tutorem ſuo tempore convenire ob conſenſum male præſtitum, non vero filius Patrem.

10 Dico 6. Pacta (& contractus) iniri poſſunt de rebus, & actionibus omnibus, ubi ſpeciale jus non obſtat. Communis. Obſtat autem 1. Quando convenitur de re ſpirituali danda pro temporali; id enim eſſet Simonaicum. 2. Quando convenitur de rebus a commercio humano exemptis, & communibus, uti ſunt forum publicum, platea &c. 3 Quando de rebus alienis in ordine ad transferendum dominium. 4 Quando de factis illicitis, primum committendis, & quæ ſunt contra bonos mores. vid. *pr.§ 1.ſeqq. & § 7. inſt. de R. D. l.26.27 ff. de V.O.* Pariter invalidum eſt pactum de delicto, quod nondum eſt patratum, remittendo, v.g. de non accuſando, de non agendo actione injuriarum, vel doli *l.7. §.15.16. & l.27. §.4 ff. h.t.* quia invitat ad liberius peccandum. Imo nec valet pactum de delicto non committendo pro pretio; quia turpe reputatur pro pretio, & non gratis, abſtinere a ſcelere.

11 Dico 7. Ex pacto nudo non datur actio de jure civili. *l.7. § 4. l.10. & 13. C. h.t. &c.* Imo probabilius nec de jure canonico; quia nullibi clare reperitur conceſſa actio in hoc jure: ergo juxta regulam *c.1. de* NON. SS. Canones cenſentur ſequi jus civile; maxime cum de jure canonico pugnet eadem ratio, nempe ne tribunalia obruantur litibus nimis frequentibus. Ita multi cum Covar. & Fachin. contra plurimus cum Bald. & Butr. Dixi 1. *actio*; nam exceptio contra eum, qui ex pacto me vult urgere in Judicio, conceditur de jure, uti & im-

imploratio officii Judicis, ut compellat ſtari pacto nudo. Dixi 2. *de jure*, nimirum ſcripto; nam ex conſuetudine in utroque foro datur actio in judicio ex pacto nudo, quæ propterea vocatur *condictio ex moribus*. *Objic.* 1. Violatio pacti nudi eſt peccatum: ergo de jure canonico ex eo datur actio, quia alias non ſufficienter impediret peccata. 2. Cum Antigonus Epiſcopus in Concilio Carthaginenſi quereretur contra Optantium Epiſcopum, quod pactum, quo diviſerunt plebes, ab utraque parte manuſcriptum, nollet ſervare, Gratus Epiſcopus dixit: *aut inita pacta ſuam obtineant firmitatem, aut conventus Eccleſiaſticam ſentiat diſciplinam*, ut habetur *c.*1. *h.t.* ac univerſi ſubjunxerunt: *pax ſervetur, pacta cuſtodiantur*. Ubi notetur verbum *conventus*, nimirum actione in judicio. R. ad 1. *n. conſ. & retorq. argumentum* in læſione infra dimidium juſti prætii, quæ etiam peccatum eſt, & tamen nec de jure canonico inde datur actio, ſufficit ad abſterrendum a violatione pactorum, quod de jure canonico *c.fin. de for.comp. in 6.& c.*3.*h.t.* detur denuntiatio canonica, & imploratio nobilis officii Judicis, ut is compellat ad pacta cuſtodienda. Ad 2. imprimis nihil infertur ex verbis: *pax ſervetur, pacta cuſtodiantur*; nam ſimilibus verbis generalibus, quibus pacta ſervari vult, utitur etiam jus civile, ſpecialiter *l.*7. *cit.* §.7 *l.*5 §.2.*ff. de ſol.* Neque ex verbo *conventus*, partim quia incertum eſt, an denotet conventionem ſeu actionem, partim, quia licet hanc indicaret, & in caſu *d c.*1. fuiſſet ex pacto conceſſa actio, illud tamen non fuit nudum, ſed veſtitum, tum quia fuit redactum in ſcripturam, tum quia acceſſit diviſio actualis plebium, & ſic traditio facta, ex qua *actio præſcriptis verbis* oritur, Gonz. *ad c.*1. *h.t. n.*13.

De

De contractibus in genere.

12 Quid iſte ſit, jam ſup.diximus *n.*1.Aliqua in contractibus ſunt *ſubſtantialia*, ſine quibus non habetur eſſentia contractus, v.g. conſenſus ſigno externo manifeſtatus, & in emptione v.g. inſuper merx & pretium: alia ſunt *naturalia*, quæ tanquam proprietates inſunt, ita tamen ut a contrahentibus per pactum ſpeciale poſſint tolli ſalvo valore contractus: ſic venditor obligatur de evictione, licet ſpecialiter ad hanc ſe non obligaverit; quamvis ab ea liberare ſe poſſit per pactum ſpeciale: alia ſunt *ſolemnia*, quæ nimirum, præter ſubſtantialia & naturalia requiruntur a Lege, vel Statuto, vel conſuetudine ad formam vel ritum contractus: ſi requiruntur tanquam forma ſubſtantialis, & ad valorem, vocantur *intrinſeca*, ſi præciſe ad licentiam, *extrinſeca*: demum alia ſunt *accidentalia*, quæ poſſunt adeſſe vel abeſſe a contractu pro libitu contrahentium, v.g. in emptione pactum de redimendo vel retrovendendo.

13 Contractus dividitur 1. in *nominatum*, qui certum & ſpecificum in jure nomen habet, uti commodatum, depoſitum, mandatum, ſocietas, ludus, pignus &c. & *innominatum*, qui certum & ſpecificum in jure civili nomen non habet, ſed generali permutationis nomine venit, cujus 4. ſpecies recenſentur, *do, ut des: do, ut facias: facio, ut des: facio, ut facias.* Dividitur 2. in *conſenſualem*, qui perficitur ſolo contrahentium conſenſu, ut emptio-venditio; in *verbalem*, qui certa verborum ſolemnitate, uti ſtipulatio, & verborum obligatio: in *litteralem*, qui pro ſua conſtitutione requirit ſcripturam, uti obligatio chirographaria, & emphyteuſis ſaltem Eccleſiaſti-

ca :

ca: ac in *realem*, qui re contrahitur, ſeu qui non perficitur, niſi ſecuta traditione rei, uti ſunt mutuum, depoſitum, commodatum, pignus, ſeu contractus pignoris. 3. In *bilateralem* vel *onero*-*ſum*, qui obligat utrumque contrahentem vel principaliter & initio ſtatim, ut Emptio-Venditio, vel per accidens & ex poſtfacto, ut commodatum, adminiſtratio tutelæ: & in *unilateralem* vel *lucrativum*, qui unum dumtaxat obligat, ut mutuum, chirographum, ſtipulatio, precarium, donatio, ſi ſit contractus verus. 4. In contractus *juris civilis*, qui ſuam originem debent juri civili Romano, uti hi quatuor, ſtipulatio, donatio propter Nuptias, emphyteuſis, & obligatio litterarum: atque in contractus *juris gentium*, quales ſunt cæteri omnes. 5. In contractus *bonæ fidei*, in quibus nempe non præciſe ad verba contrahentium & ad leges attendere debet Judex, ſed ex æquo & bono extendere permittitur ad ea, ad quæ mens contrahentium veriſimiliter ſe potuit extendere, ut eſt Emptio-Venditio &c. Sic, qui vendidit equum, cenſetur etiam una cum eo vendidiſſe frænum & ephippium, quibus ille inſtructus erat: & in contractus *ſtricti juris*, in quibus Judex adſtringitur ad Leges, verba contrahentium, & ad id, quod expreſſis verbis conventum eſt: quales ſunt mutuum, aditio hæreditatis, ſolutio indebiti, donatio, & omnes unilaterales ac lucroſi, item permutatio & contractus æſtimatorius, ac probabiliter etiam contractus innominati. Glettle *de pactis c*.3. §.1. Actiones (conſequenter & contractus) *bonæ fidei* recenſentur §. 28. *inſt. de act.*

14 Cum vero ſæpius contingat, ut res in contractum deducta, antequam fiat traditio, pereat aut deterior reddatur, vel dolo, aut culpa unius contrahentium; vel caſu fortuito, quæſtio movetur quiſnam teneatur ferre damnum, ſeu (ut Juriſtæ lo-

loquuntur) quiſnam teneatur præſtare dolum, culpam vel caſum fortuitum. Per *Dolum* intelligitur hic omnis voluntaria læſio, non vero calida machinatio læſione non ſecuta: per *Culpam* negligentia ab aliquo contrahentium commiſſa, omittente, quod facere, vel faciente, quod omittere debuerat, ſi inde ſecutum eſt damnum: quæ triplex conſideratur. 1. *Lata*, quando omittitur illa diligentia in re aliena cuſtodienda, quam homines ejuſdem conditionis etiam parum diligentes adhibere ſolent in rebus hujuſmodi propriis cuſtodiendis, ut ſi quis relinquat rem in loco, quo patet acceſſus etiam ignotis hominibus. 2. *Levis*, quando omittitur illa diligentia, quam homines ejuſdem conditionis diligentiores adhibere ſolent, detinendo nimirum rem in ædibus ſuis, vel in ciſta, & quidem, ſi qualitas rei aut circumſtantiæ exigere videntur, etiam clauſa. 3. *Leviſſima*, quando omittitur diligentia, quam homines ejuſdem conditionis ſolertiſſimi adhibere ſolent: hi enim non ſolum claudunt oſtia, & obſerant ciſtas, ſed etiam manu v. g. tentant, an ſera ſit bene clauſa. Quæ tamen omnia in particularibus caſibus pro qualitate rerum, magis vel minus pretioſarum, & pro varietate circumſtantiarum, prudentis Judicis arbitrio æſtimanda requiruntur. Itaque culpa *lata* eſt omiſſio diligentiæ communis & ordinariæ: culpa *levis* omiſſio diligentiæ mediæ: culpa *leviſſima* omiſſio diligentiæ exactæ & extraordinariæ. Et hæc triplex culpa appellatur *Juridica*, quamvis quælibet conjungi poſſit cum *Theologica* (h. e. coram Deo) ſeu gravi ſeu levi. Denique per *caſum fortuitum* intelligitur eventus inopinatus, qui prævideri non potuit, vel prævíſus non præcaveri, uti fulmen, grando, furta,

ta, rapinæ, hoſtiles incurſus, naufragia &c. Alio nomine vocatur *Fatum*, vel *Fortuna*.

15 Dico 1. In contractibus innominatis regulariter pœnitere (ſeu reſilire) poteſt pars, quæ ex ſua parte jam implevit, etiam re non amplius integra, ſeu licet altera pars jam fecerit præparatoria ad implendum, modo re ipſa nondum impleverit: vel poteſt alteram partem compellere ad pariter implendum actione *præſcriptis verbis l.3.§.2.3.l.5.ff.de cond. cauſa data cauſa non ſecuta. Objic.* Contractus innominatus, antequam & altera pars eum impleat dando, vel faciendo, habet ſaltem rationem pacti: ſed ſtante pacto non licet pœnitere altera parte invita: ergo. R. Habet quidem rationem pacti, ſed de jure aliter regulatur contractus innominatus propter inhibitam conditionem, *niſi rem traditam repetivero:* vel *niſi pœnituerit. l. 5. cit.*

16 Dico 2. Dolum, & culpam latam, quæ in contractibus æquiparatur dolo præſtare tenetur, qui illum, vel hanc commiſit. 2. Culpam levem vero, qui illam commiſit, in iis contractibus, qui cedunt in utriuſque contrahentis utilitatem. 3. Culpam leviſſimam; qui illam commiſit, in iis contractibus, qui in ſolius accipientis utilitatem cedit, uti eſt commodatum, excepto tamen precario. 4. Caſum fortuitum vero nemo, ut adeo dominus rei ferre debeat damnum; niſi quis ſpecialiter ad id ſe obligaverit, vel per dolum aut culpam dederit cauſam caſui fortuito, quia cuilibet mora ſua debet eſſe nociva, *c.25. de R. J. in 6.* vel niſi debeat rem non in ſpecie, ſed in genere tantum, v.g. aliquam pecuniam, aliquem equum indeterminatum, quia genus perire non cenſetur. Pars 1. conſtat ex *l.1.§.5.ff.de O. & A. l.23.ff. de R.J.* cum cuilibet debeat nocere factum pro-

 prium,

prium, non alteri *arg. c.* 22. *de R. J. in 6.* pars 2. eo *l.* 5. §.2. *l.* 18. *pr. ff. commod.* pars 3. ex *LL. citt.* juncta *l.*8. § 3. *ff. de Precario* pars 4. ex *dd. l.*5. §.4.7. *l.*18. & *l.*23.

TITULUS XXXVI.

De Tranſactionibus.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit tranſactio, & quomodo ineatur.*
2 *Quinam tranſigere valeat.*
3 *Et ſuper quibus rebus.*
4 *Tranſactio non facile reſcinditur: probabilius neque propter læſionem ultra dimidium.*

1 TRanſactio, late & generaliter ſumpta denotat modum quemcumque, quo negotium inter partes componitur; preſſe autem pactionem non gratuitam, qua partes terminant litem, vel rem dubiam: ac definitur eſſe *conventa deciſio rei dubiæ vel controverſæ, aliquo dato, aliquo retento l.*1. *ff. l.* 38. *Codic. h. t. c.* 7. *eod.* Res dubia, vel lis incerta dicitur propter dubium & incertum eventum: ſive dein lis jam ſit mota, ſive timeatur movenda. Deinde aliquid dari aut remitti, & aliquid retineri vel accipi debet; alias eſſet gratuita remiſſio, vel donatio, & non pactio *non gratuita*. Iniri poteſt vel nudo pacto, & tunc de jure ſcripto non datur actio, bene tamen *exceptio litis finitæ, c.* 1. *de lit. conteſt. in 6.* vel per ſtipulationem, & tunc datur actio *ex ſtipulatu*: ac per contractum innominatum, & tunc, ſi pars una implevit, datur actio *præſcriptis verbis*, Nihilominus tamen in tran-

tranſactione pœnitere non licet, ſicut in contractibus innominatis *l.39. C. h. t.*

2 Dico 1. Tranſigere poſſunt omnes & ſoli illi, qui paciſci, & rerum ſuarum liberam adminiſtrationem, ac alienandi poteſtatem habent, *per l.27. C.h.t. l 21. C. Mandati.* Ratio, quia tranſactio involvit conventionem, qua devenitur ad alienationem. Unde pupillus, minor, hæres fideicommiſſo gravatus, Prælatus Eccleſiæ, circa res ſuas, vel fideicommiſſo ſubjectas, aut immobiles ad Eccleſiam pertinentes, ſine juris ſolemnitatibus & aliis requiſitis tranſigere poſſunt tunc tantum, quando rem ſuam faciunt meliorem, aut rem retinent data pecunia; non vero, quando rem alienant, vel faciunt deteriorem ſuam conditionem.

3 Dico 2. Tranſigi poteſt ſuper omni & ſola re dubia vel litigioſa, ſi non ſpecialis obſtet prohibitio juris *l.1.2. ff. h.t.* Prohibetur autem tranſactio 1. de beneficiis Eccleſiaſticis, ac de omni re ſpirituali, vel huic annexa, ſi interveniat pretium temporale *c.7. h. t.* ubi tamen permittitur gratuita & amicabilis compoſitio. 2. Super Matrimonio in ordine ad illud diſſolvendum, ſi validum, vel ad continuandum, ſi invalidum fuerit. 3. Super alimentis per ultimam voluntatem relictis ſine auctoritate Prætoris *l.8. ff. & C. eod.* 4. Super eo, quod in teſtamento relictum eſt, antequam inſpectæ ſint tabulæ & verba teſtamenti *l 6. 12. ff. eod.* 5. Super cauſis criminaliter intentatis, ſi non agitur de pœna capitali, & ſanguinis, excepto forſan crimine falſi; ne delicta maneant impunita contra jus & bonum publicum. Si autem agatur de pœna mortis (excepta cauſa adulterii) permittitur Reo tranſigere *l.18 C. eod.*

4 Dico 3. Tranſactio legitime inita (h. e. ſine

dolo, metu gravi injuſte incuſſo, errore ſubſtantiali, ac ſine falſis inſtrumentis) ita ſtringit, ut altera parte invita reſcindi aut revocari nulla ratione poſſit *c.1.b.t.* etiam per Reſcriptum Principis *l.17.C.eod.* aut ſub prætextu novorum inſtrumentorum repertorum *l.19.29.C.eod.* cum habeat vim rei judicatæ *l.20. C. eod.* & Reipublicæ expediat, lites ſemel ſopitas non amplius reſuſcitari. Excipe, niſi verſetur cauſa publica *l. 35. ff. de re jud.* vel niſi cum minore, vel Eccleſia tranſactum; his enim ob gravem læſionem conceditur reſtitutio in integrum : vel niſi læſio ſit *enormiſſima*, ut communiter notant DD. quia tunc præſumitur dolus. Unde nec ob læſionem gravem majorennis, etiam ſufficienter probatam, ad reſciſſionem tranſactionis agi poteſt. An vero ob læſionem *enormem*, ſeu ultra dimidium, concedatur reſciſſio, quæſtio eſt. Ego cum Bald. Menoch. & Manzio contra Bart. Fachin. & Molin. cenſeo veriorem eſſe negativam ſpectato rigore juris propter textum in *l.65. §.1. ff. de cond. indeb.* ibi: *quod tranſactionis nomine datur, licet res nulla media fuerit* (adeoque læſio ultra dimidium) *non repetitur*, & propter *l.2.C.de re jud.& l.2. C. ſentent. reſcindi non poſſe*, ubi negatur reſciſſio *rei judicatæ* ſub prætextu læſionis ultra dimidium : ſed tranſactio æquivalet rei judicatæ, uti dictum.

Objic. In *l.5.C. de dolo*, tribuitur filiæ *actio in factum* propter immodicam læſionem, quam paſſa eſt ex tranſactione cum patre : ergo. R. Ibi conceditur reſciſſio non propter læſionem; ſed propter dolum, qui intervenerat, ut indicat ipſe textus, & ſpecies actionis conceſſæ, quam lex vocat *in factum*, nempe ob reverentiam patri debitam, non *doli*. Per hoc tamen non negatur, quod lædens in foro interno teneatur ad dam-

damnum reſarciendum, niſi læſerit bona fide; ſi enim bona fide læſit, ſecurus eſt in conſcientia quoque, ſicut, qui præſcripſit. Ceterum læſio ultra dimidium in tranſactione difficulter probatur ob dubium litis eventum; fieri enim potuiſſet, ut læſus per ſententiam parum conſequeretur.

TITULUS XXXVII.

De Poſtulando.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit poſtulare, & quis dicatur Advocatus.*
2 *Quis poſſit eſſe Advocatus.*
3 *Quod ejus officium & obligatio.*
4 *Quando peccet graviter, & obligetur ad reſtitutionem.*
5 *Licite ſuſcipit cauſam minus probabilem.*

1 POſtulare hic idem eſt, ac patronum vel Advocatum agere in cauſa aliena; ſiquidem *Advocatus* vel *Cauſidicus* dicitur, qui litigantibus, in judicio præſentibus (per quod maxime differt a Procuratore judiciali, qui partes abſentis ſuſtinet, & ut dominus litis) patrocinium præſtat, cauſam legitime deducendo ſecundum jura. Conſtituitur vel a partibus, vel, ſi partes per ſe ipſas agere, & Advocatum habere nequeant, v.g. ob paupertatem &c. a judice *l.* 1. §.4. *l.* 2. *ſeqq. h. t.* Officium Advocati eſt publicum, honoratum, gaudens multis privilegiis, & exigit virum jurium peritum, non item Officium Procuratoris per ſe; quamvis hodierno uſu ſæpe confundantur Advocatus & Procurator, vel ſaltem Advocatus ſimul conſtituatur Procurator.

2 Dico 1. Poſtulare, ſeu Advocatos agere poſſunt omnes, qui non ſpecialiter prohibentur, *arg. l.43. ff. de procur.* eſt ergo de re generaliter permiſſa, & edictum hoc eſt prohibitorium, ſicut illud de dandis procuratoribus. Imo etiam per ſe prohibiti agere Advocatos, uti minores 17. annis, feminæ, ſurdi, cœci &c. poſtulare permittuntur, ſeu deſiderium ſuum in judicio exponere, vel alterius deſiderio contradicere, pro ſe ipſis, perſonis valde propinqua conſanguinitate conjunctis, pro pupillis, & fatuis *l. 1. ff. h.t. in f.* Prohibentur inſuper, qui legitimam perſonam ſtandi in judicio non habent, qui fuerunt judices vel arbitri in cauſa, in qua patrocinari volunt, potentiores contra infirmiores, jurium imperiti, & qui ſalarium a civitate vel domino aliquo recipiunt, contra hunc vel illam &c. DD. paſſim. Item Religioſi ſine conſenſu ſui Prælati, & extra caſum utilitatis Monaſterii *c 2. eodem.* Clerici Sæculares in majoribus conſtituti coram judice Laico, & coram Eccleſiaſtico contra Eccleſiam, in qua habent beneficium *c. 1. & 3. eod.* Quamvis hi Clerici omnes etiam in tribunali Laico advocare poſſint in cauſa propria, vel ſuæ Eccleſiæ, item pro perſonis ſanguine junctis uſque ad quartum gradum, & pro perſonis miſerabilibus *c. 1. & 3. cit. junct. gloſſ.*

3 Dico 2. Advocati officium & obligatio eſt ſedulo rimari factum cum ſuis circumſtantiis, inſpicere jura, conſulere libros, & omnia facere, quæ in utilitatem clientis ſerviunt: econtra abſtinere a fallaciis & falſis allegationibus, a ſtudioſa litis protractione, a conviciis & ſarcaſmis, a colluſione cum parte adverſa, ei revelando arcana cauſæ ſibi creditæ, aut iis cognitis ad partem adverſam tranſeundo, a pacto de *quota* litis ſibi ſolvenda, aut de *palmario* ſeu

ſeu de aliquo extraordinario ultra ſalarium, in eventum victoriæ dum lis adhuc durat, vel priuſquam inchoetur, a defenſione cauſæ certo injuſtæ &c. Ita DD. communiter ex variis legibus, & conformiter juri naturali.

4 Dico 3. Advocatus peccat graviter, & tenetur ad reſtitutionem parti læſæ. 1. Si vel ex malitia, vel ignorantia culpabili, ſuſcipiat cauſam injuſtam. 2. Si ad hanc in judicium deducendam inducat clientem. 3. Si poſt acquiſitam in proceſſu notitiam injuſtitiæ non ſtatim deſiſtat. 4. Si ſciens injuſtitiam cauſæ ſui clientis diſponat Adverſarium ad tranſactionem. 5. Si adverſario pandat ſecreta ſibi credita, ut cliens perdat cauſam. 6. Si lucri capiendi gratia protrahat notabiliter litem & ad longum tempus. 7. Si culpabili negligentia, aut ignorantia legum, vel meritorum cauſæ perdat litem, ſi nempe ignoravit imperitiam, vel negligentiam ſui Advocati; ſi enim ſcivit, & tamen elegit, ſibi imputare debet damnum. Ratio dictorum omnium eſt, quia Advocatus in his caſibus eſt injuſta cauſa damnorum in partes redundantium. Advertendum vero eſt, quod Advocatus, ſi cauſam injuſtam ſui clientis, quem prius de injuſtitia non monuit, perdat, huic ſolum obligetur reſarcire expenſas, quia in his ſolis eum læſit: ſi vero cauſam injuſtam ſui clientis lucretur, teneatur alteri parti non ſolum reſtituere litem principalem, ſeu æſtimationem litis, ſed etiam expenſas.

5 Dico 4. Licite tamen defendendam ſuſcipit Advocatus cauſam, etiam minus probabilem, modo vere ſit probabilis, & prudens victoriæ ſpes affulgeat. Communis contra Sotum. Ratio eſt partim, quia non raro minus probabilia ſunt vera, partim quia ipſe cliens poteſt ſuam minus probabilem defendere cauſam: ergo & per Advocatum.

Tenetur tamen Advocatus monere clientem de minori probabilitate, non litigaturum forte, ſi ſciviſſet cauſæ ſuæ ſtatum. Nec ſuſcipere poteſt etiam vero probabilem cauſam, ſi prudens victoriæ ſpes non affulgeret, ut, ſi ſciret, in ſuo Dicaſterio conſtanter practicari ſententiam ſuo clienti adverſantem: vel Reum, contra quem ſuſcipit patrocinium, eſſe in poſſeſſione rei litigioſæ, probationes tamen contra ejus poſſeſſionem, vel dominium præſumptum, ſufficientes afferri non poſſe. *Objic.* Illi tenetur favere Advocatus, cui favent jura: ſed jura favent habenti cauſam probabiliorem: ergo. R. *diſt. maj.* cui favent jura certa ac vera, *c.ma.* apparentia tantum & exiſtimata *n. ma.*

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſit Procurator. Indiget mandato.*
2. 3 *Quis conſtituere, & conſtitui poſſit.*
4 *At in quibus cauſis Procurator.*
5 *Quanta ſit poteſtas.*
6 *Et quod ſit officium Procuratoris.*
7 *Qualis actio competat ex mandato procuratorio.*

1 PRocurator, in genere eſt, qui aliena negotia adminiſtrat mandato Domini *l.* 1. *ff. h.t.* ſcil. abſentis, vel per ſe ipſum negotia ſua tractare non valentis aut non volentis. Differt a negotiorum geſtore, quia hic aliena gerit negotia ſine mandato, *l.* 3. *ff. de negot. geſt.*

Alius.

Alius eſt procurator *ad litem*, vel *ad lites*, ſeu *judicialis*, qui nempe ad litigandum in judicio: alius *ad negotia*, ſeu *extrajudicialis*, qui ad unum vel plura negotia extra judicium gerenda conſtituitur. Si ad omnia negotia, vel ad omnes lites conſtituitur *generalis* appellatur, ac ſubinde conſtituitur *cum libera*; h. e. cum plena libertate ac poteſtate agendi omnia, quæ poſſet ipſe dominus, ſeu principalis. Judicialis alius eſt procurator *in rem ſuam*, cui nempe actiones & jura ſua ceſſit principalis vel per donationem, vel per venditionem, vel per ſimplicem ceſſionem, ut adeo præter mandatum habeat etiam titulum ad transferendum dominium habilem, conſequenter, ſi rem obtinet, eam acquirat ſibi: alius autem, & ordinarie, *in rem alienam*, qui nimirum litem gerit in utilitatem domini conſtituentis. Poſt litis conteſtationem procurator fit dominus litis ita ut ipſe, non dominus, deinceps citetur, & in Procuratorem feratur ſententia; licet in camera Imperiali ordinarie feratur directe in Dominum, & in foro Eccleſiaſtico ſæpe. Conſtui autem poteſt procurator, vel coram, & in judicio, vel per litteras, & extra judicium. Si per litteras ſeu inſtrumentum, privatum vel publicum, debent exprimi 1. nomina conſtituentis, & Procuratoris conſtituti, Adverſarii, & Judicis. 2. Qualitas cauſæ demandatæ. 3. Actus, ad quos gerendos datur poteſtas; poſt quos ſpecifice expreſſos plerumque additur clauſula: *& ad reliqua omnia, quæ ego ipſe, ſi præſens eſſem, agere poſſem*. 4. Clauſula, per quam conſtituens ratum habet, quidquid Procurator egerit: 5. Annus, & dies DD. paſſim. De reliquo *mandatum Procuratorium*, ita eſt regulariter neceſſarium, ut Procurator eo deſtitutus

dicatur *falſus*, & nihil agat valide, ac ſententia ſubſequens, niſi ante hanc Dominus rata haberet acta talis procuratoris, ipſo jure ſit nulla *c.4. & l.24. C. h.t.* Excipe, niſi jura voluntatem eorum, pro quibus aliquis intervenit, præſumant, & ſpeciale mandatum non requirant, uti ſit, ſi perſona interveniens ſit valde conjuncta cum principali, v.g. pater, filius, frater, maritus, ſocius, conſors litis, vel ſi dominus ſciat,aliquem ſuo nomine agere, & non contradicat. Quod ſi dubium ſit, an procurator habeat legitimum mandatum, admitti quidem poteſt ſed cum cautione *de rato*, ſeu quod dominus ratum habiturus ſit, quod ejus nomine aggreditur agere *l.1. Cod. eod.*

2 Dico 1. Procuratorem conſtituere poteſt, quiſquis rei dominus eſt, & liberam adminiſtrationem habet; quia hoc edictum eſt prohibitorium *l 43. ff. h.t.* adeoque quiſquis non prohibetur ſpecialiter, ei permiſſum eſſe cenſetur. Si ſermo ſit de procuratore in litem, requiritur, ut conſtituens ſit Dominus litis, & ipſe per ſe ipſum ſtare in judicio poſſit. Unde tutor, Curator, Syndicus, & Procurator ſibi alium ſubſtituere non valet ante litem conteſtatam *l. 11. C. eod.* bene tamen poſt litis conteſtationem, per quam hæ perſonæ ſiunt domini litis. Sic etiam pupillus, minor, filiusfamilias ſine conſenſu eorum, quibus ſubſunt, item excommunicatus, ſaltem ad agendum, procuratorem conſtituere prohibentur. Pro minore curatorem non habente dandus eſt a Magiſtratu *l 43. cit. c. fin. de Judic. in 6.*

3 Dico 2. Procurator conſtitui poteſt, & quidem ad negotium extrajudiciale quilibet, qui capax eſt illud gerendi, & ad litem, qui ſuo nomine in judicio ſtare poteſt, niſi prohibeatur. Communis. Prohibentur autem milites, & feminæ *l.7. C. h. t. l. 4. 41. ff. eod.* niſi in rem ſuam, & pro perſonis val-

valde conjunctis in defectu alterius conſtituantur. Item (de jure canonico ſaltem) minorennes, & infames, *c.5. eod. in 6. can.1.2. cauſ. 3. q. 7.* Item clerici ſæculares in cauſis laicorum & coram Judice laico, ſicut a munere Advocati pro hoc caſu repelluntur juxta dicta *tit.* præcedenti *n.2.*

4 Dico 3. Procuratorem admittunt omnes cauſæ & negotia, quæ ſunt in arbitrio domini ſeu principalis. Iterum communis ex *l.1.& 41. ff. h t.* Excipiuntur cauſæ criminales, in quibus de jure ſtatuta eſt pœna relegatione major, *l penult. §. ad crimen ff. de public. judic. c. 15. de accuſat.* ne judicium reddatur eluſorium, auſugiente forſan accuſatore, ſi in probatione deficeret, vel reo, ſi ſuccumberet; nam in procuratorem pęna corporalis ſtatui nequit. Defenſor tamen rei abſentis admittendus eſt. In cauſis criminalibus *famoſis* (ſeu condemnato infamiam irrogantibus) præſtat litigare per procuratorem, ut evitetur infamia juris; non enim infamis redditur procurator; qui excipit ſententiam, utpote non reus delicti, neque principalis, quia in ipſum non fertur ſententia: quod procedit ſaltem in iis delictis, in quibus infamia non principaliter, ſed per conſequentiam tantum infligitur.

5 Dico 4. Poteſtas procuratoris tanta eſt, quantam ei concedit jus, conſuetudo, & mandatum domini. Ratio, quia omnem poteſtatem non a ſe, ſed a domino vel tacite ſecundum jura, vel ſpecialiter & expreſſe in mandato ſibi conceſſam obtinet. Unde ſi in forma communi eſt conſtitutus, ejus poteſtas eſt ſolum *generalis*, prout ex diſpoſitione juris vel ex conſuetudine communis eſt omnibus procuratoribus, & vi hujus poteſt conteſtari litem, ſubſtituere ſibi alium, appellare &c. Si autem in forma ſpeciali conſtitutus eſt, & ipſi conceſſa aliqua ſunt, quæ alias ſpeciale man-

datum exigunt, uti ſunt jurare de calumnia, deferre parti adverſæ juramentum litis deciſorium, compromittere in arbitros, tranſigere, fide jubere, debitum remittere, donare, petere reſtitutionem in integrum, tractare cauſam matrimonialem ſui principalis, vel criminalem criminaliter intentatatam &c. poteſtas ipſius eſt *ſpecialis*, & ex mandato procuratorio tota dependet. Cenſetur quoque talis poteſtas, ſe extendens ad ea, quæ ſpeciale mandatum alias exigunt, ipſi conceſſa per clauſulam *cum libera* mandato adjectam. Text. & DD. *in c.4. h.t. in 6. l.58. ff. eod.* vel ſi eſt procurator in rem ſuam, *gl. fin. in d. c. 4.* Non vero per hanc clauſulam, *poſſit omnia, licet mandatum ſpeciale exigat*, per *c. 4. cit.* & ibi Laym. quia adhuc generalis eſt conceſſio, per quam non veniunt ea, quæ ſpeciali nota ſunt digna, per *l. 81. de R.J. in 6.* Excipe, niſi in mandato per modum conceſſionis (non exceptionis) aliqui articuli, ſpeciale alias mandatum requirentes, eſſent ſpecificati; tunc enim poſſet alia etiam, quæ requirunt ſpeciale mandatum, ſpecificatis ſimilia aut minora, non vero majora. *Clem. 2. h t.*

6 Dico 3. Officium procuratoris conſiſtit in hoc, ut negotium ſibi demandatum fideliter agat nihilque ex neceſſariis omittat, nec principali ſuo ſive per dolum, ſive per culpam, ſeu omiſſionem diligentiæ, quam alias requirit natura negotii, præjudicet aut damnum inferat, atque finito negotio rationes reddat domino, eique reſtituat, quæ conſecutus eſt. Ita communis. Sed quam culpam tenetur præſtare procurator? R. 1. Per ſe ex contractu *mandati*, quia redundat in favorem ſolius mandantis (niſi mandatarius vel procurator mercedem accipiat) præſtanda foret ſolum culpa lata & dolus *l. 5. §. 2. ff. commod.* R. tamen 2. Procurator ad litem tenetur præſtare etiam cul-

culpam leviſſimam, per *l.* 5. *cit.* & *l.* 13. *C. Mandati.* Quia gravitas negotiorum judicialium cenſetur exigere diligentiam exactiſſimam. Iſte etiam, ſi condemnatus fuerit, tenetur appellare a ſententia, vel dominum monere, ut appellare poſſit, ſi ſibi conſultum cenſuerit, quamvis non teneatur appellationem proſequi, ut habetur *c.* 14. *h. t.*

7 Quæres, an & qualem actionem adverſus ſe habeant dominus, & procurator. Reſp. uterque habet *actionem mandati*, ſi unus ab altero ſit læſus: & quidem dominus *directam* ad proſequendum id, quod ſua intereſt ratione litis non exactiſſime adminiſtratæ, vel negotii non cum debita diligentia geſti, *l.* 9. 13. 21. *C. Mandati*. Procurator autem *contrariam* ad conſequendum id, quod ex cauſa mandati bona fide præſtitit, vel expendit, *l.* 46. §. 5. *ff. h. t.* Si autem procurator ſalarium accipiat pro ſuo munere, domino & procuratori non actio Mandati, ſed actio *locati & conducti* ipſis competit, §. 13. *Inſtit. de Manum*. De reliquo contractus *Mandati* nihil eſt aliud, quam contractus conſenſualis, bilateralis, quo negotium gratis gerendum alteri committitur, & ſuſcipitur.

TITULUS XXXIX.

De Sindico.

SUMMARIUM.

1 *Quis dicatur Sindicus.*
2. *Quæ ſit ejus poteſtas & officium.*

1 **S**Indicus eſt procurator non qualiſcumque & alicujus privati, ſed univerſitatis, conſtitu-

tus

tus ad ſolas lites ejuſdem generaliter omnes: unde pleraque de procuratoribus dicta etiam ſindico conveniunt. Per *univerſitatem* intelligitur omnis collectio hominum, unum morale corpus conſtituens, & res communes habens, uti Civitas, Eccleſia, Monaſterium, Collegium Clericorum &c. Differt a *Procuratore*, tanquam ſpecies a genere; & a *Fiſcali*, quia hic tantum cauſas criminales tractat, & mulctas univerſitati debitas ac pœnas perſequitur; ab *Actore* autem, quia hic non ad omnes generaliter lites, ſed ad unam, vel ad certas tantum conſtituitur.

2 Dico. Poteſtas & officium ſindici fere coincidit cum poteſtate ac officio procuratoris; quia revera procurator eſt, ſed generalis, & integræ communitatis, non hominis privati. Amplior tamen eſt poteſtas ſindici, quia cenſetur eſſe conſtitutus *cum libera*. Gail. *l.* 2. *obſerv.* 72. *n.* 11. Unde & ea, quæ ſpeciale alias mandatum exigunt, poteſt, præterquam donare, & liquidum remittere debitum. Et quando jurat, non in animam univerſitatis, ſed in ſuam propriam jurat, per *c.* 3. *de juram. cal.* Et quamvis conſtituatur communi omnium, vel majoris partis communitatis conſenſu, revocari tamen a ſolo Prælato vel capite Univerſitatis poteſt, per *c.* 21. *de reſcr.* ubi ſoli Prælato conceditur adminiſtratio, & ut per ſe ſolum procuret cauſas communitatis.

TITULUS XL.

De his, qui vi metuſve cauſa fiunt.

SUMMARIUM.

1 2 *Quid ſit vis, ac metus, & quotuplex.*
3 *An metus faciat actionem licitam.*

4 *An*

4 *An invalidam, vel reſcindibilem, ſi metus ab intrinſeco, vel juſte ſit incuſſus, aut levis ſit.*
5 6 *Valent actus per metum etiam gravem & injuſtum extorti de jure naturali, imo & poſitivo.*
7 *Licet ſint reſcindibiles, & reſcindendi.*

1 VIs, nempe *abſoluta*, ſeu præciſa, quæ dicitur eſſe *majoris rei impetus, qui repelli non poteſt*, *l. 2. ff. quod met. cauſ.* h. e. corporalis coactio ad faciendum vel patiendum aliquid: ut ſi tibi violente curventur genua coram Idolo, vel e manibus eripiatur liber: hæc omnino tollit voluntarium & liberum conſenſum. *Vis conditionalis*, ſeu *compulſiva*, quæ coincidit cum *metu*, definitur eſſe *inſtanti vel futuri periculi cauſa mentis trepidatio l. 1. ff. eod.* ſeu eſt violentia externa, compellens aliquem, ut conſentiat in aliquam actionem vel omiſſionem, non conſenſurum, ſi talis violentia abeſſet; ut ſi quis te minis compellat, ut des ei 10. aureos: hæc vis (ſeu metus) non tollit omnino voluntarium & liberum conſenſum, ſed tantum ſecundum quid, & facit, ut conſenſus non ſit ſpontaneus; nam *coacta voluntas eſt voluntas*, ut habet axioma deſumptum ex *l. 21. §. 5. ff. eod.* ibi: *quamvis, ſi liberum eſſet, noluiſſem, tamen coactus volui.*

2 Porro metus, de quo hic potiſſimum ſermo, poteſt incuti *ab intrinſeco*, ut loquuntur DD. h.e. a cauſa naturali non libera, v. g. morbo, incendio, periculo naufragii &c. & *ab intrinſeco*, ſeu a cauſa libera creata, puta ab homine. Si homo metum inferens habet jus incutiendi, vel patiens metum ſua improbitate cauſam dedit, *juſte incuſſus*, vel *juſtus* appellatur metus: ſi vero inferens nullum habet jus inferendi, vel minitandi malum, nec patiens dedit cauſam ullam, *injuſte incuſſus*, vel *injuſtus* dicitur propter injuriam, quæ infertur alte-

alteri, ut ſi latro tibi minetur mortem, niſi ipſi ſolvas 100. vel ſi homo privatus minetur occiſionem deprehenſo cum puella impudice agenti, niſi hanc ſibi matrimonio jungat. Præcipue vero dividitur metus in gravem & levem: *Gravis*, quam aliqui etiam *juſtum* vocant & *probabilem*, eſt, qui cadit in virum conſtantem, vel conſtantiſſimum, *l.6. ff. eod.* h. e. qui hominem, alias fortem, & non nimis meticuloſum, movere poteſt, ut aliquid faciat vel omittat, quod alias non faceret, vel non omitteret. Si malum, quod timetur, eſt tantum, ut quemlibet virum conſtantem a propoſito dimovere valeat, ut eſt mors, mutilatio, carcer diuturnus, atrox cruciatus, amiſſio ſtatus honorifici, amiſſio bonorum fortunæ in notabili valde quantitate &c. dicitur metus *abſolute gravis*: ſi vero malum ſit tale, quod non quemlibet virum fortem, ſed tantum magis meticuloſos homines, uti pueros, minores, ſenes, feminas, vel viros etiam minus cordatos, dimovere a propoſito poſſit, *reſpective gravis;* quia hujuſmodi homines ſubinde malum levius perturbare magis poteſt, v.g. verberatio non nimis ſæva, indignatio, &c. quam viros fortes majus. Ad metum gravem igitur requiruntur hæ conditiones, 1. ut malum ſit grave, ſeu magnum vel abſolute reſpectu omnium, vel reſpective ad certas perſonas, 2. ut metum inferens poſſit minas exequi, 3. ut metum patiens non ex vano, ſed veriſimiliter ſaltem, credat, illum minas executurum; adeoque ſibi grave malum imminere, 4. ut alia via, v. g. rogando, fugiendo, Judicis vel aliorum auxilium implorando, non facile malum avertere queat, ſive a ſe, ſive a perſonis valde conjunctis, v. g. parente, liberis, uxore, conſanguineis vel affinibus propinquis; quia talium

per-

perſonarum mala putamus noſtra. Unde facile apparet, quid ſit metus *levis*, qui nempe non cadit in virum conſtantem, ſeu quando vel malum non eſt magnum, vel ſi quidem ſit magnum, tamen illud a minitante inferri non poteſt aut non ſolet, vel ſolum ex vanis conjecturis apprehenditur inferendum, vel alio modo haud difficulter evitabile eſt. Ad metum levem reducitur probabilius *metus reverentialis*, ſeu ortus ex pudore, verecundia aut reverentia certis perſonis debita, qualem liberi debent parentibus, uxor marito, ſubditus ſuperiori. Suar. & Sanch. *l.* 4. *de matr. d.* 6. *n.* 7. contra Bart. & Menoch. niſi nempe accedat aliquid aliud, v. g. rigida tractatio, continua exprobratio, perpetua vultus aſperitas, importunæ preces ac repetitæ, minæ graves, rixæ, vel ſaltem probabilis horum malorum exiſtimatio; tunc enim evadit gravis. Palao *p.* 1. *tract.* 2. *d.* 1. *pun.* 7. *n.* 6. *ſeq.* cum aliis.

3 Dico 1. Non licet ex metu quocumque aliquid committere, quod eſt contra jus naturale, & intrinſece malum, aut contra jus divinum utilitatem publicam ſpectans, *c.* 5. *h. t.* quia Deus & natura tam arcte poſſunt & ſolent obligare; nec enim habemus rationem dicendi, quod ſtante quocumque metu obligare ceſſent.

4 Dico 2. Valet actus, aut contractus, quem extorquet metus ab intrinſeco incuſſus, 2. geſtus ex metu levi, etiam injuſte incuſſo, 3. extortus per metum gravem, juſte tamen incuſſum, 4. nec tales actus ſunt reſcindibiles in foro externo per Judicem. Pars 1. eſt omnium, qui cenſent, votum v. g. emiſſum metu mortis, ex morbo, naufragio, vel alio caſu ſiniſtro imminentis valere. Favet *c.* 17. *de regular.* Pars 2. ſumitur ex *c.* 6. *h. t. l.* 7. *ff. quod met. cauſ. l.* 184. *ff. de R. J.*

Con-

Conſpirant iterum plerique omnes. Pars 3. quam tenet communis contra paucos, ex *l.* 21. *cit. pr.* & ex ratione, quia adeſt conſenſus abſolute liber, licet non ſpontaneus, nec intervenit injuria. Sicut ergo actus, quem leges extorquent per metum v. g. excommunicationis, ab omnibus habetur pro valido, etiam actus, quem extorquet homo juſte, v. g. Judex eccleſiaſticus, ad contrahendum matrimonium compellens per minas excommunicationis eum, qui cum aliqua prius contraxit ſponſalia, erit validus, cum metus ab homine juſte incuſſus non magis minuat voluntarium & liberum, quam metus a lege incuſſus. Pars 4. patet inde, quod jura non dent actionem hujuſmodi metum paſſis, & quod in his caſibus nulla interveniat injuria, propter quam reſciſſio peti poſſit, excepto metu levi injuſte incuſſo, qui tamen a jure poſitivo non attenditur, neque conceditur actio ad reſciſſionem, ne tribunalia nimirum multis obruantur litibus, *c. 6. & l. 184. cit.* Interim tamen metum levem injuſte incutiens in conſcientia obligatur reſcindere contractum, quem extorſit, ſi metum paſſus exigat (excepto matrimonio & profeſſione religioſa, quæ diſſolvi nequeunt) vel damnum illatum reſarcire. Molina, Sanch. Leſſ. &c. contra Med. & Pontium. Ratio, quia metum levem injuſtum inferens alteri fecit injuriam: ergo jure naturali pro hac tenetur ſatisfacere: ſed non ſatisfaciet, niſi reſcindat actum altero petente, vel damnum reſarciat. Si tamen metum paſſus vellet ſtare contractui, quia forſan ipſi eſt utilis, teneatur metum inferens illum implere; quia libere & ſine injuria ſibi illata conſenſit.

5 Dico 2. Valet quoque actus, vel contractus, etiam metu gravi injuſte incuſſo extortus ſpectato

jure

jure naturali. 2. Imo & regulariter ſpectato etiam jure poſitivo, paucis tantum exceptis. Pars prior, quam tenet communis cum Palao contra Molin. & Tamb. diſſentientes quoad contractus lucrativos, probatur exinde, quia jus naturale ad valorem actus non plus requirit, quam conſenſum ſimpliciter voluntarium, & abſolute liberum, atque juſtum titulum; ſed metus voluntarium & liberum ſimpliciter non tollit; cum *coacta voluntas ſit voluntas*, & interna potentia volendi cogi nequeat: nec metus excludit titulum empti, donati, &c. dati & accepti: ergo. Interim tamen metum incutiens tenetur in conſcientia ad omnia, ad quæ obligatum eſſe diximus eum, qui metum levem injuſtum incuſſit, & contractum, vel ex contractu aliquid extorſit. Pars poſterior, quam rurſus amplectitur communis cum Sanch. *l.4.de matrim. d.8.n.* 4. Leſſ. Palao &c. contra Molin. & Sot. prob. 1. negative; quia nullum extat jus poſitivum generaliter irritans, conſequenter ſtandum juri naturali. 2. Poſitive ex §. 1. *Inſt. de except.* §. 27. *inſt. de Act. l.* 1. *&* 9. §.3.4.*ff.quod met. cauſ.* ubi datur *exceptio*, & *actio quod metus cauſa* ad actum reſcindendum, & *quod metus cauſa geſtum eſt, prætor ratum non habet*, *l.*1. *cit.* adeoque reſciſſionem indulget jus poſitivum: item ex *l.fin.C.h.t.* ubi venditiones, donationes, tranſactiones per metum extortæ jubentur *infirmari*, & ex *c.* 2. 4. *eod. X.* ubi per metum geſta *de jure in irritum revocari debere* dicitur, & conceditur *reſtitutio:* Sed actio ad reſcindendum, infirmandum, irritandum manifeſta ſunt indicia valoris; quod enim numquam valuit, vel coaluit, irritari & reſcindi non poteſt. Addidi, *paucis tamen exceptis*, nempe 1. Matrimonio. 2. Profeſſione religioſa. 3. Teſtamento, ad quod

teſtes ſunt metu coacti. 4. Promiſſione per incarcerationem directe extorta. 5. Abſolutione a cenſuris. 6. Promiſſione & traditione rerum Eccleſiæ, ac juramento de iis non repetendis. 7. Actis tutoris per vim retenti. Hi actus ſpecialibus juribus ſunt irritati propter metum gravem injuſte incuſſum. Quibus addunt multi ſponſalia: promiſſionem, & ſolutionem dotis: conſtitutionem procuratoris: juriſdictionis prorogationem metu obtentam. Sed alii reclamant.

6 *Objic.* 1. Metus tollit conſenſum; quia conſenſui, ut ait *l.* 116. *ff. de R. J.* nihil eſt tam contrarium, quam vis & metus. 2. Eſt iniquum, ut aliquis ex injuria ſua conſequatur commodum: ſed metum injuſtum inferens ferret commodum ex ſua injuria, ſi actus, quem per injuriam extorſit, valeret, & ſibi alterum ſic obligaret. 3. Eſt contra jus naturale, ut ex injuſtitia oriatur obligatio juſtitiæ, & ex injuria obtineatur jus: ſed hoc fieret, ſi actus metu injuſte extorti valerent: ergo jure naturali debent eſſe invalidi. 4. In *l.* 1. *C. de reſcind. Vendit.* venditio metu extorta dicitur *irrita*: ergo ſaltem jure poſitivo actus metu extorti non valent. R. ad 1. *diſt.* Metus tollit conſenſum ſpontaneum. *C.* liberum ſimpliciter. *N.* & retorqueo argumentum in metu gravi juſte incuſſo. Ad 2. retorq. imprimis in metu levi injuſte incuſſo. Dein commodum, quod acquirit metum injuſtum inferens, vix æſtimabile eſt, partim quia in conſcientia tenetur liberare alterum ab obligatione, & ſiquid emolumenti accipit, alter vero damnum, tenetur ad reſtitutionem, imo ad idem tenetur in foro externo, ſi metum paſſus inſtituat *actionem quod metus cauſa*, quam habet contra quemcumque poſſeſſorem rei per metum ſibi extortæ. *l.* 14. §. 3. *ff. quod met. cauſ.*

par-

partim quia optabilius eſt metum paſſo, ſi contractus valeat; nam caſu, quo contractus eſt ipſi utilis, habet ſibi obligatum alterum ad ſtandum contractui, ad quod alter non eſſet obligatus, ſi contractus non valeret: ſi vero metum paſſo contractus eſt noxius, poteſt petere reſciſſionem, reſtitutionem in ſtatum antiquum, adeoque & reſarcitionem damni. Ad 3. retorq. iterum in metu levi injuſto. Dein *n. min.* non enim obligatio juſtitiæ naſcitur ex injuſtitia, aut jus ex injuria, ſed ex contractu per conſenſum abſolute liberum inito. Ratione autem injuriæ fit actus infirmus & reſcindibilis. Ad 4. *diſt. ant.* pronuntiatur *irrita* quoad effectum, ſeu debet irritari. *C. ant.* immediate & in ſe. *N. ant. & conſeq.* Ratio ſic reſpondendi eſt partim, quia illa lex ponitur ad rubricam de *reſcind. vendit.* partim quia addit, quod præſes Provinciæ debeat *interponere auctoritatem ſuam*, partim quia plures, & aliæ leges ſatis clare dicunt, actus metu geſtos valere.

7 Dico 3. Actus & contractus, metu gravi injuſte incuſſo extorti, reſcindibiles ſunt, & reſcindendi, *l.7.§.1.ff.quod met.cauſ.l.fin.* & aliis pro priori aſſertione *cit.* Conſpirat communis ex ratione, quod æquitas poſtulet, ut injuriam paſſis, & gravi metu injuſte læſis, per Juris & Judicis remedia ſuccurratur. Unde duplex remedium Jura ſuppeditant. Primum eſt *actio quod metus cauſa*, quæ eſt actio prætoria, perſonalis in rem ſcripta, rei perſecutoria, & perpetua, ac tranſiens utrimque ad hæredes, lædentis & læſi, nimirum quatenus eſt rei perſecutoria (nam qua pœnalis ad quadruplum annalis eſt, nec tranſit ad hæredes) *§.27. inſt.de act. l.1.9.12.14.16. ff.quod met.cauſ.* Alterum *eſt exceptio quod metus cauſa*, in rem ſcripta. *§. 1. Inſt. de except.*

l. 4. §. 33. *ff. de doli mali & met. except.* Et hæc datur, quando res nondum eſt tradita, quæ interveniente metu promiſſa, ad repellendum, qui petit traditionem: Actio vero datur, quando res jam eſt tradita, vi cujus ita reſtitui debet metum paſſus, ut non tantum res illi tradatur, ſed etiam emolumenta & fructus, quos percepit metum inferens, vel qui mala fide rem detinuit, imo & quos metum paſſus percipere potuiſſet, *l.* 12. *cit.* quia mala fide detinens fuit injuſta cauſa hujus lucri ceſſantis. Si tamen res metu extorta pervenit ad poſſeſſorem bonæ fidei, is per ſententiam ſolum ad rem & fructus formaliter extantes reſtituendos condemnatur, ut magis declarabo ad *tit. de cauſ. poſſeſſ. & propr.*

TITULUS XLI.

De in integrum reſtitutione.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit reſtitutio in integrum, & quando habeat locum.*
2 *Competit per ſe minoribus, & quando.*
3 *Item Eccleſiis, communitatibus, & quandoque majoribus.*
4 *An etiam contra minores, vel Eccleſias.*
5 *Ubi & quomodo petenda ſit.*
6 *Ac intra quale tempus. Ignoranti læſionem currit hoc tempus.*
7 *Qualiter fieri debeat reſtitutio.*

1 RESTITUTIO *in integrum* formaliter ſumpta ac in genere eſt repoſitio in priſtinum ſtatum: cauſaliter vero & ſpecifice eſt remedium extraordinarium a prætore introductum, quo

quo læſi ex æquitate vel juſta cauſa per officium Judicis reponuntur in ſtatum, in quo fuerunt ante læſionem. Dicitur *extraordinarium*; quia conceditur pro caſu, quo deficit remedium juris ordinarium, ſeu actio, *l. 16. pr. ff. de minor.* uti apud minores, quibus ratione ætatis lubricæ de actione proviſum in jure non eſt. Per accidens tamen competere etiam poteſt, licet non deſit remedium ordinarium, ſi nimirum illud extraordinarium ſit iſto pinguius, *l. 3. & ult. C. ſi tut. vel curat. intervenerit*, v. g. ſi minor eſt læſus ultra dimidium, habet quidem actionem ex *l. 2. C. de reſcind. vendit.* poteſt tamen, & recte petit reſtitutionem in integrum, quia in hac non tenetur probare læſionem ultra dimidium, ſed ſolum notabilem, quod facilius eſt; ac inſuper rem ipſam recuperat, cum tamen in arbitrio lædentis ultra dimidium eſſet vel rem redhibere, vel ſupplere pretium, ſi ageret ex *d. l. 2.* Ab initio eſt quidem introducta reſtitutio in integrum a Prætore, *l. 1. ff. h. t.* poſtea tamen ab Imperatoribus extenſa. Petitur non per actionem, ſed per implorationem officii Judicis.

2 Dico 1. Beneficio reſtitutionis in integrum regulariter gaudent minores utriuſque ſexus, 2. eorumque hæredes & ſucceſſores, 3. modo probent notabilem læſionem, 4. quam paſſi ſunt ex negotio civili, valido, & ex ſe reſcindibili, ob ætati infirmitatem, vel aliorum nequitiam, aut curatorum negligentiam, &c. Pars 1. manifeſta fit ex *l. 1. ſeqq. l. 31. ſeqq. ff. de min. l. 1. 2. 7. 8. ff. h. t.* Dixi *regulariter*; nam nec minores reſtituuntur, ſi dolum commiſerunt in contractu, vel alios per injuriam & delictum, v.g. per furtum læſerunt, licet ipſi ſimul ſint læſi: ſi caſu fortuito ſunt læſi: ſi fraudulenter ſe finxerunt majorennes, ſeu 25. annis majores: ſi poſt impe-

tratam ætatis veniam contraxerunt, niſi immoderatam donationem facerent: ſi actum vel contractum juramento firmarunt, vel jurati renuntiarunt huic beneficio: ſi majorennes effecti approbarunt in minorenitate geſtum, vel in hac cœptum perfecerunt majorennes: ſi lædantur a parentibus. Pars 2. ex *l.6.ff.eod. l.* 18. §. 5. *ff. de minor.* non obſtante, quod hoc privilegium ſit perſonale, quia aliquo modo eſt reale, utpote conceſſum non tantum ratione perſonæ, ſed etiam ratione damni: qua de cauſa etiam privilegium SC. Vellejani tranſit ad hæredes, *l.* 20. *C. ad SC.Vellej.* hæredes igitur & ſucceſſores minorum reſtituuntur toto tempore, quo poterunt ipſi minores reſtitutionem petere. Pars 3. ex *l.*3. 4. 8. *ff. h. t.* nam de minimis non curat prætor, ut habet commune axioma, & niſi læſio, unde unde orta, deberet vel eſſe manifeſta, vel convincenter probari, nemo vellet contrahere cum minoribus, uti &, ſi ipſis concederetur reſtitutio ob caſu fortuito evenientem læſionem; & ſic in ipſorum diſpendium retorqueretur, quod eſt in eorum favorem introductum, contra *c.* 61. *de R. J. in 6.* Pars 4. tum ex *l* 1. *C. ſi adverſus delictum*, ibi: *in criminibus ætatis ſuffragio minores non juvantur; etenim malorum mores infirmitas animi non excuſat:* ergo negotium non debet eſſe criminale, vel delictum, ſed civile, ſive dein ſit contractus vel aliud negotium extrajudiciale, gratuitum vel oneroſum, ſive ſententia, vel actus Judicialis, ex quo damnum, aut lucrum ceſſans ipſis ſecutum eſt: tum ex *l.16.* §.3. *ff. de minor.* & ex ratione; ſi enim negotium non eſſet validum (vel reſcindibile non eſſet, uti matrimonium a minorenni valide contractum) locum non haberet reſtitutio in integrum proprie dicta, utpote remedium reſciſſorium *t. t. ff. de integr. reſtitutionibus, & de minor.*

3 Di-

3 Dico 2. Ad exemplum minorum etiam Eccleſiæ gaudent reſtitutionis in integrum beneficio, 2. & aliqui majorennes ex juſta cauſa. Pars prior conſtat ex *c.* 1. *ſeqq. h. t. & c.* 1. *eod. in* 6. quia earum res etiam curari debent aliena induſtria & adminiſtratione, ſicut res minorum, atque idcirco facile læduntur vel negligentia, vel malitia adminiſtratorum, in proprium commodum illarum bona vertentium. Nomine *Eccleſiarum* autem veniunt omnia loca Pia & Religioſa, uti Collegia Clericorum, Monaſteria, Hoſpitalia auctoritate Epiſcopi erecta, confraternitates ad Religionis augmentum inſtitutæ: Reſpublica, civitates, Princeps ſeu Caput Reipublicæ, imo & vici, caſtra &c. quæ habent bona communia, per adminiſtratores curari ſolita. Pars poſterior ex *l.* 1. *ff. ex quibus cauſis majores*, ubi Ulpianus ex Edicto Prætorio recitat hanc clauſulam generalem: *item ſi qua alia mihi juſta cauſa eſſe videbitur in integrum reſtituam*. Juſtæ autem cauſæ ſunt 1. ſi quis fuit læſus tempore, quo fuit abſens Reipublicæ cauſa, vel propter morbum, peſtem, metum, captivitatem, vel injuſtam detentionem, 2. ſi ſint perſonæ, in quibus toleratur ignorantia juris, uti mulieres, ruſtici, milites in actuali expeditione morantes. 3. juſtus error, & probabilis ignorantia, at probabilius non ignorantia facti in ordine ad reſtituendum contra præſcriptionem completam.

4 Quæres, an minor contra minorem, & Eccleſia contra Eccleſiam reſtituenda ſit? R. affirmative *l.* 11. *§.* 6. *ff. de minor. c.* 3. *h. t.* Si *objicias*, privilegiatum non gaudere ſuo privilegio contra pariter privilegiatum, R. id verum eſſe, ſi par ſit utriuſque conditio, non vero, ſi diſpar, ut ſi unus ſit lædens, & certet de lucro captando, alter autem læſus, & certet de

damno vitando: quia tali caſu lædens non eſt privilegiatus. Aliud foret, ſi uterque eſſet læſus, & certaret de damno vitando, ut ſi minor dediſſet minori mutuam pecuniam, & iſte hanc abſumpſiſſet prodige, vel perdidiſſet; tunc enim non daretur reſtitutio *l.* & *§. cit.*

5 Dico 3. Reſtitutio in integrum peti debet a Judice, qui competens eſt reſpectu rei, contra quem petitur, 2. citata parte adverſa, & cauſa cognita, niſi læſio ſit notoria, 3. intra debitum tempus. Pars 1. ſumitur ex *c.* 8. *de for. comp.* ubi habetur, quod actor debeat ſequi forum rei, præſertim ubi actio realis (qualis non datur petenti reſtitutionem ob læſionem, imo nulla actio proprie dicta, ſed ſolum imploratio officii Judicis) locum non habet, quæ poſſet etiam in loco rei ſitæ proponi. Nihil autem intereſt, utrum Judex ſit ordinarius, vel delegatus Principis, vel inferioris, modo non ſit pedaneus, vel ſubdelegatus ad unum tantum cauſæ articulum, ac omni juriſdictione & imperio deſtitutus, vel arbiter: & modo non attentet reſtitere adverſus ſententiam Superioris, per *l.* 18. *ff. de minor.* Pars 2. ex *l. fin. ff. h. t. l.* 11. *cit. §.* 3. Pars 3. ex *l. ult. C. de tempor. in integr. reſtit. c.* 1. *in* 6. *& Clem. un. h. t.*

6 Quæres igitur, intra quod tempus peti debeat reſtitutio? R. 1. Reſpectu minorum, ſi non petita eſt durante minorennitate, intra quadriennium ab adepta majorennitate, *l. ult. cit.* ubi correctum eſt jus antiquum, *l.* 19. *ff. de minor.* ubi annus utilis tantum fuit conceſſus. Quadriennium vero in decurſu eſt *continuum*, initio tamen eſt *utile*, h. e. non incipit fluere, niſi ceſſante impedimento. R. 2. Reſpectu majorennium pariter conceſſum eſt quadriennium, quod ſtatim incipit a die læſionis factæ, & ceſſantis impedimenti,

v. g.

v. g. abſentiæ: ſi tamen illud impedimentum fuit dolus, per biennium tantum, ſi metus, per annum dumtaxat impeditur initium quadriennii *l. fin. C. de dolo*, *l.* 14. §. 1. *ff. quod met. cauſ.* R. 3. Reſpectu Eccleſiæ, vel Reipubl. rurſus quadriennium a die factæ læſionis, & ceſſantis impedimenti, licet impedimentum ſit dolus vel metus, quod ſaltem reſpectu Eccleſiæ perpetuo impedit initium quadriennii, & probabiliter uſque ad 30. vel 40. annos, per *c.* 1. *cit. c. penult. de reb. Eccl. alien.* & arg. *l.* 3. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *annor. juncta gl. marg. litt.* C. quia Eccleſia ſemper manet quaſi minor, & res ejus ſemper curantur per adminiſtratores. Quæſtio eſt, utrum ignorantia læſionis ſit impedimentum & cauſa talis, propter quam Eccleſiæ non incipiat currere quadriennium, ſeu, an reſpectu Eccleſiæ incipiat quadriennium a die læſionis *factæ* vel *cognitæ*, cum Arnoldo Rath *de uſucap. c.* 5. §. 45. P. Vvieſtner *h. num.* 71. & multis Recentioribus (contra Engel, König, Menoch. & pleroſque antiquos, qui ajunt ſibi ſuffragari praxin) a die læſionis *factæ*; adeoque ignorantia læſionis nec Eccleſiæ patrocinatur, per *c.* 1. 2. *in* 6. *Clem. un. h. t.* Confirmatur 1. ab exemplo majorennium, & minorennium majorennitatem adeptorum, 2. quia alias nemo facile contraheret cum Eccleſia, eo quod numquam foret ſecurus, ne Eccleſia poſt 40. 100. 1000. annos ſub prætextu non cognitæ prius læſionis peteret Reſtitutionem, 3. ex paritate cum præſcriptione, quæ currit etiam contra ignorantes: ergo etiam præſcribitur contra Eccleſiam, quæ ignorat læſionem, intra quadriennium, ſicut aliis actionibus, quas habet Eccleſia, præſcribitur tempore a Jure determinato non obſtante ignorantia; alias enim præſcriptio

numquam haberet locum; quis enim ſciens rem ſuam ab alio detineri non repetit? vel quis ſciens contra jus ſuum aliquid fieri, vel damnum ab altero ſibi illatum eſſe, non reclamat?

7 Dico 4. Reſtitutio in integrum ita fieri debet, ut læſus recuperet rem ſuam abſque ullo detrimento, lædens vero (ſi bona fide egit) nihil perdat de ſuo, adeoque ut neuter fiat ditior. Ratio, quia reſtitutio eſt repoſitio in priſtinum ſtatum, *c.* 1. *h. t. l.* 24. §. 4. *ff. de minor.* Unde reſtitutus debet compenſare expenſas utiles in rem factas reſtituenti, & æſtimationem laboris in colligendis fructibus, *l.* 27. 39. *ff. eod. l.* 10. *C. de prædiis minorum*. Econtra ſi minor, cui reſtituitur, pretium, pro re ſibi ſolutum ſine decreto Judicis, dilapidaſſet, non cogendus eſſet ad illud refundendum; quia non factus eſt ditior. Quod ad fructus attinet, vel reſtituitur majorennis, & tunc debent reſtitui una cum re fructus formaliter extantes, ſi lædens fuit in bona fide, item fructus omnes poſt litis conteſtationem percepti, *l.* 22. *C. de R. V.* Si vero fuit in mala fide, etiam conſumpti præter extantes, imo & percipiendi, ut alibi docetur, & inſinuatur *l.* 22. *cit.* Si vero reſtituatur minor vel Eccleſia, tunc ipſi debent reſtitui fructus rei, quando & quatenus in his eſt læſus vel læſa. *Objic.* Res fructificat domino: ergo fructus non debent reſtitui a lædente; quia per actum vel contractum, qui ſupponi debet tanquam validus, ut locum habeat reſtitutio, acquiſivit dominium rei. R. Lædens factus eſt quidem dominus rei & fructuum, qui per ſe cedunt domino, ſed ſolum revocabiliter, & non abſolute, propter privilegium reſtitutionis in integrum.

TITULUS XLII.

De alienatione judicii mutandi cauſa.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit alienare judicii mutandi cauſa.*
2 *Quale remedium competat læſo per talem alienationem.*

1 **A**Lienare *judicii mutandi cauſa* dicitur, qui rem, de qua litem timet vel ſuſpicatur ſibi movendam, doloſe transfert in alium vel quoad dominium, vel quoad poſſeſſionem, ut adverſario rem faciat difficiliorem, ut ſi credat potentiori, vel valde rixoſo, vel exiſtenti ſua aliena juriſdictione *l. 1. ſeqq. ff. c. 2. h. t.* non vero, ſi ex juſta cauſa vel morbi, ſenii, ad ſolvenda debita, alienat, vel per ultimam voluntatem, quia tunc dolo non facere cenſetur.

2 Dico. Læſis ex prædicta alienatione ſuccurritur duplici remedio pro ipſorum voluntate eligendo. 1. *Actione in factum* prætoria adverſus alienantem, vi cujus reſtitui debet in integrum, quanti nempe intereſt læſi alium adverſarium non habere, ſalvo tamen alienationis valore *l. 1. 3. 4. ff. h. t.* ut adeo doloſe alienans reſarcire debeat petitori expenſas & alia damna atque lucrum ceſſans ex alienatione ſecutum. 2. *Actione in rem*, ſeu *utili rei vindic. l un. C. eod.* vi cujus poteſt læſus contra poſſeſſorem rei alienatæ, imo & contra alienantem (quia dolo deſiit poſſidere, & hinc pro poſſeſſore habetur *l.27. §.3. l.36 ff. de R. V.*) petere poteſt reſtitutionem in integrum, contra quem ex prædictis voluerit.

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſit arbiter, & quid arbitrator.*
2 3 *A quibus, & in quos arbitros compromitti poſſit, ac in quibus cauſis.*
4 5 *Quæ ſit poteſtas & officium Arbitri.*
6 *Quis ſit effectus arbitrii, ſeu, laudi.*
7 *An laudum reduci poſſit ad arbitrium boni viri.*

1 ARbiter eſt vir bonus, qui conſtituitur ad aliquod negotium arbitrandum ſeu æſtimandum, rel terminandum. Si eligatur libero partium conſenſu, quæ ad parcendum tempori & ſumptibus recte deferunt cauſam vel litem ſuam ad unum, vel plures, ut ſecundum æquum & bonum pronuntient *laudum* (ſic appellatur ſententia ſeu arbitrium ab arbitris pronuntiatum) & litem dirimant, vocatur *Arbiter compromiſſarius*, vel *voluntarius*, de quo potiſſimum hic agitur: unde & *arbitrium* dicitur *compromiſſum l.* 1. *ff. de Receptis, qui arbitrium.* Si vero conſtitui debeat ex præſcripto Legis, vel ſtatuti, vel Judicis appellatur *arbiter juris*, vel *neceſſarius:* ſic ſi recuſetur Judex delegatus, ut ſuſpectus, jubet *c.* 39. *de off. & pot. Jud. Deleg.* conſtitui arbitros: item ſi Epiſcopus habeat controverſiam cum Clerico ſibi ſubjecto, *can.* 46. *cauſ.* 11. *q.* 1. debent eligi arbitri, qui cauſam dirimant. Arbiter juris, utpote auctoritate publica conſtitutus, habet aliquam juriſdictionem quaſi mediam inter ordina-

nariam & delegatam: non vero arbiter compromiſſarius: adeoque iſte multum diſcrepat a Judice; & Arbitrium a Judicio, licet Arbitrium aliquam cum Judicio ſimilitudinem habere dicatur *l. 1. cit.* quia nempe lites dirimit, & ordinem ac formam Judicii requirit. Arbitro vicinus eſt *Arbitrator* qui aſſumitur ad complananda negotia extrajudicialia, v. g. contractus. Iſte per *arbitramentum*, (ſic vocatur ejus ſententia) ſecundum æquitatem naturalem ſine ullo Judicii ordine & forma Judiciali, v. g. citatione partium, examine teſtium &c. ac ſine juriſdictione pronuntiat, quid ſentiat, cui Arbitramento ſtare tenentur partes, niſi illud velint reduci ad *arbitrium boni viri*, h. e. ſubmitti vero Judici; nam *vir bonus* in Jure dicitur Judex competens *l. 18. ff. judicatum ſolvi*. Et per hoc, quod Partes ſtare debeant pronuntiato arbitratoris, iſte differt a *Mediatore*, *vel amicabili Compoſitore*, potius conſilium dante, quam ſententiam edicente.

2 Dico 1. Compromittere in arbitros poſſunt omnes, & ſoli, quibus permiſſum eſt transfigere: arbitrium vero recipere ſeu arbitri eſſe poſſunt (non tenentur) omnes & ſoli, qui poſſunt eſſe Judices, per *c. 5. 9. h. t. l. 1. 3. ſeqq. ff. de Receptis &c.* Arbitri tamen eſſe non prohibentur (licet nequeant eſſe Judices) infames, *l. 7. ff. eod.* item Laici una cum Clerico (non ſine iſto) in cauſa ſpirituali cum conſenſu Epiſcopi, *c. 9. cit.*

3 Dico 2. Compromitti in Arbitros poteſt ſuper omnibus & ſolis cauſis, ſuper quibus transfigere licet. Communis ex *c. 9. cit.* & *l. 32. §. 6. 7. ff. de Receptis &c.* cum Panormit. *in c. 9. de in integr. Reſtit.* Videatur igitur *titulus de tranſactionibus*.

4 Dico 3. Poteſtas arbitri tota dependet a voluntate compromittentium, ſeu ex compromiſſo, quod diligentiſſime cuſtodire debet *l.* 32. *cit.* §. *fin. c.* 6. *h. t.* quia totam facultatem judicandi habet a partibus: illa tamen ſe extendit ad neceſſario connexa, uti ad cognoſcendum & pronuntiandum de fructibus & expenſis, ad condemnandum in pœnam a compromittentibus conventam, ad diem ſolutionis præfigendum &c. executionem tamen laudi debet relinquere Judici ordinario; quia executio ſupponit juriſdictionem.

5 Dico 4. Officium Arbitri conſiſtit in his, 1. ut illud ſemel ſuſceptum non deponat invitis partibus abſque gravi cauſa, *l.* 13. *l.* 15. *ff. de Receptis*, dein 2. ut proferat laudum juſtum, ſervato ordine Judiciali (niſi partes velint, ut ſummariter & de plano procedat) adeoque ſententiam edat in præſentia partium, quas proin citare oportet, *l.* 27. §. 5. *ff. eod. c.* 10. *h. t.* quamvis enim proprie Judex non ſit, nec exerceat actus juriſdictionales, exercet tamen Judiciales, 3. ut, ſi plures ſint arbitri, vel omnes proferant laudum, vel unus in præſentia aliorum (de Jure Canonico ſufficit omnes fuiſſe vocatos, & ſaltem majorem partem eſſe præſentem *c.* 2. *h. t. in 6.*) & quidem nomine omnium in numero plurali: *nos &c.* per *c.* 21. *de elect. in 6.* nam ut ſingulis non ut Collegio, committitur pluribus arbitrium, 4. ut non pronuntiet in feriis, per *l.* 36. *ff. de receptis*, 5. ut laudum ſemel pronuntiatum non mutet, *l.* 19. 20. *ff. eod.*

6 Dico 5. Effectus Arbitrii prolati eſt 1. quod finem cauſæ imponat ita, ut ab eo, licet iniquum fuerit, appellari nequeat, *l.* 1. *C. de Receptis Arbitris*, *c.* 1. 9. 11. *h. t.* cum æqui-

valeat

valeat tranſactioni, & ſententia proprie judicialis non ſit, 2. quod acta coram arbitro retineant vim probandi intereoſdem compromittentes in quolibet Judicio, 3. quod producat *actionem*, non quidem *judicati*, ſed, ſi pacto nudo ſit compromiſſum, *condictionem ex moribus*, adeoque ex conſuetudine, non de Jure ſcripto, niſi laudum ſit homologatum; tunc enim parit *actionem in factum l.* 5. *C. de Receptis*, vel *condictionem ex lege*, vi cujus compelli poteſt, qui laudo non vult ſtare, & reddere rem, alteri adjudicatam; ſicuti rem poſſidenti datur ſimilis exceptio ad alterum repellendum. Si vero compromiſſum ſit per Juramentum, de Jure Canonico quidem inde datur actio, *c.* 2. *h. t.* non vero de Jure Civili noviore. *Nov.* 82. *c.* 11. *Auth. decernit C. de Receptis*.

7 Quæres, an laudum non poſſit ſaltem reduci ad arbitrium boni viri, ſeu a parte, quæ ſe læſam exiſtimat, ſubmitti Judici, ut is revideat & corrigat? Reſp. Si ſit homologatum, non poteſt de Jure *c.* 5. *h. t. l.* 27. *cit.* §. 2. Aliud eſt, ut obſervat P. Vvieſtn. *h. n.* 52. de conſuetudine in caſu enormis læſionis. Porro *homologatum* dicitur, quando a partibus eſt approbatum vel expreſſe, vel tacite intra 10. dies nihil contra movendo *c.* 9. *h. t. l.* 5. *C. de Recept.*

DECRETALIUM GREGORII PAPÆ IX.

LIBER II.

IN hoc libro inſtruitur proceſſus judiciarius, ea claritate ac ita ordinate proditus in jure canonico, ut hunc ordinem procedendi non modo eccleſiaſtica, ſed etiam ſæcularia, imo & hæreticorum tribunalia, paſſim amplectantur, & uſu obſervent.

TITULUS I.

De Judiciis.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit Judicium, & quæ illius conſtitutiva.*
2 *Quotuplex ſit Judicium.*
3 *Quis poſſit eſſe actor, & reus.*
4 *An valeant acta Judicis putatitii.*
5 *Quando inſtituendum ſit Judicium Summarium.*
6 *Quid ſit actio, realis & perſonalis.*
7 *Aliæ diviſiones actionis.*

1 JUdicium, prout hic ſumitur, ex *c.* 10. *de V. S. & l.* 19. 14. *C. h. t.* definitur eſſe *legitimæ cauſæ inter actorem & reum controverſæ per Judicem facta diſcuſſio & definitio.* Unde in omni Judicio tres perſonæ neceſſario interveniunt: actor, reus, & judex. In criminalibus tamen vices actoris ſæpe ſupplet fama, aut indicia delicti, vel judex per viam inquiſitionis procedens, vel

vel notorietas facti. *Actor* eſt, qui primus movet litem apud Judicem: *Reus*, non tamen a *reatu*, quam a *re*, circa quam convenitur, dictus, cui movetur lis: *Judex*, qui competenti juriſdictione inſtructus litigantibus prævia cognitione jus dicit proferendo ſententiam &c. Præter dictas perſonas principales & neceſſarias poſſunt & ſolent judicio intereſſe etiam aliæ auxiliares & acceſſoriæ, uti *referendarii & conſulentes*, ut vocant, qui præciſe cognitionem habent de cauſa, ejus merita ad Judicem referunt ſine poteſtate ferendi ſententiam, *Advocati*, *& Procuratores*, *Notarii*, *Secretarii*, *Actorii & Protocolliſtæ*, qui in judicio acta annotant, vel in Protocollum referunt, demum *Nuntii*, *Pedelli*, *& apparitores*, qui in jus vocant, mandata ad partes perferunt, & actus judiciarios exequuntur. Differt judicium ab *inſtantia*, quia hæc potius dicit tempus, intra quod lis agitatur, & finiri debet: finitur autem maxime per ſententiam: a qua ſi appellatur, incipit nova & *ſecunda inſtantia* coram Judice Superiore; quamvis ſubinde altera inſtantia locum habeat coram priori Judice, ut ſi Judex interloquendo Reum abſolvit ab obſervatione judicii &c. *Objectum* ſeu *materia* judicii eſt omnis res, circa quam controverti poteſt. *Forma* conſiſtit in Ordine judiciario, & formalitatibus a jure præſcriptis, quas ſucceſſive in hoc libro explicabimus. *Partes eſſentiales* ſunt tres, *litis conteſtatio*, quæ dicitur baſis & fundamentum judicii: quæ enim a citatione, per quam minus ſtricte inchoatur judicium, uſque ad litis conteſtationem geruntur, vocantur præparatoria judicii: dein *probationes* ex parte Actoris, & *exceptiones* ſeu reſponſiones ex parte rei: demum *ſententia*, ac ejus executio ex parte Judicis. Quia vero *res* contra *perſonas* in judicium deferuntur

per

per *actiones*, etiam de his præter morem aliorum Canoniſtarum breviter aliqua delibabimus.

2 Judicium dividitur 1. in *eccleſiaſticum*, quod agitur coram judice Eccleſiaſtico qua tali, ſeu quando vel ratione cauſæ vel ratione Rei conventi neceſſaria in Judice eſt juriſdictio ſpiritualis & Eccleſiaſtica: & in *Sæculare*, quod tractatur coram Judice Sæculari qua tali. 2. In *Criminale*, in quo non ſolum ſuper delicto agitur, ſed etiam *criminaliter*, h. e. eum in finem, ut delinquenti infligatur pœna & vindicta publica: ac in *civile*, in quo agitur *civiliter*, h. e. quando Actor intendit ſuam utilitatem ac intereſſe, etſi agat ſuper delicto, modo intendat ſuam utilitatem privatam, aut pœnam quidem, v. g. mulctam pecuniariam, at ſibi adjudicandam & applicandam. 3. In *petitorium*, in quo principaliter controvertitur de dominio & proprietate rei ratione juris vel in re, vel ad rem; & in *poſſeſſorium*, in quo principaliter diſceptatur de poſſeſſione rei vel juris, ſive adipiſcenda, ſive retinenda, ſive recuperanda. 4. In *ordinarium*, quod & *plenarium* dicitur, quando litigatur ſervata juris forma ac ſolemnitatibus per oblationem libelli, ſolemnem litis conteſtationem, feriarum obſervationem &c. & in *ſummarium*, quod & *extraordinarium* appellatur, in quo proceditur de plano, ſimpliciter, levato velo, ut ajunt, ac ſine ſcripturis, ſine forma & ſolemnitatibus juris; ſervatis tamen iis, quæ jure naturali ad cognitionem & deciſionem cauſæ ſunt neceſſaria.

3 Dico 1. Actor, & Reus eſſe quilibet poteſt, qui habet legitimam perſonam ſtandi in judicio, per *l. 2. C. qui legit. perſ. ſtandi.* modo aliunde prohibiti aut impediti non fuerint. Talem perſonam autem non habent 1. muti, ſurdi, furioſi, prodigi, pupilli, & minores 25. annis, nimirum ſine

ſine tutore, vel curatore, qui ipſis, ſi aliunde non habent, ad litigandum a judice dari debet, per *l.1.2. eod. l.1.C. de curatore furioſi l.12.ff. de tutorib. & curat.* §.2. *inſt. de curator.* Excipe, niſi minores agant in cauſa ſpirituali: vel ſuper alimentis: niſi conveniant ſuum curatorem tanquam ſuſpectum: vel niſi pro ipſis feratur ſententia. 2. Filiifamilias ſine conſenſu patris, ſi agant contra extraneum *l.* 8. *pr. v. ſancimus C. de bon. quæ lib. c.ult.h.t. in 6.* Excipe, niſi filius agat in cauſa ſpirituali: vel ſuper bonis caſtrenſibus vel quaſi-caſtrenſibus: vel in criminalibus: vel in cauſa perſonali: vel ſi pater ſit abſens: ſi tamen vellet agere contra patrem, & non ſuper peculio caſtrenſi, opus haberet conſenſu judicis *l.13.ff de in jus voc.* 3. Religioſi ſine conſenſu Superioris ſui *arg. c.fin. de Sepult. in 6.* Excipe, niſi abſentes ſint a Monaſterio: niſi litem inſtituant contra ipſum Superiorem: niſi defendant Monaſterium ſuum: niſi habeant beneficium, cui annexa eſt adminiſtratio, & lis ſit ſuper cauſa beneficiali: niſi agant in cauſa ſe conſervandi in Religione, vel ſuper jure, quod ipſis competit ratione profeſſionis; & probabilius niſi agant in cauſa famæ propriæ, aut ſint actores neceſſarii. 4. Excommunicati in ordine ad agendum, niſi in cauſa ſuæ excommunicationis *c.5.de exception.* Si ſint tolerati, poſſunt, ſed non debent repelli per *c.1.eod. in 6.* ſi ſint non tolerati, neceſſario debent repelli vel a parte conventa, vel a judice *c.1.cit.c.2. & 12. eod. X.* ut Rei tamen conveniri poſſunt, ac ipſi reſpondere tenentur, non quidem per ſeipſos, ſed per procuratores. Idem eſt de Bannitis ſeu deportatis juxta ordinationem Cameræ.

4 Dico 2. Quæ geruntur a vel coram judice putato, vel exiſtimato tantum, qui tamen communi

ni & probabili errore habetur pro legitimo, valent in utroque foro Civili & Eccleſiaſtico, interno & externo, modo defectus, quo laborat judex, ſit ſupplebilis a Republica, Eccleſiaſtica vel Civili. Communis ex *l. Barbarius 3. ff. de offic. Prætorum.* canonizata per *can.* 1. *cauſ.* 3. *q.* 7. quia nimirum Reſpublica propter utilitatem publicam, & gravia incommoda, quæ ſequerentur, ſi acta hujuſmodi non valerent, ſupplet defectum vel juriſdictionem *l. 3. cit.* Unde Parochus, qui vere talis non eſt, valide aſſiſtit Matrimoniis, licet ipſe ſciat, vel etiam contrahentes coram ipſo, Parochum verum non eſſe, modo communiter haberetur pro vero Parocho: econtra abſolutio Sacramentalis, data a non Sacerdote, qui tamen communi errore habetur pro Sacerdote, non valet; quia defectum qualitatis Parochi ſupplere poteſt Eccleſia, non vero qualitatem Sacerdotii, utpote Jure Divino neceſſarii ad valide abſolvendum a peccatis. *Objic.* Abſurdum eſt, jus naſci & juriſdictionem ex errore conferri: ſed hoc fieret, ſi acta judicis putatitii valerent: ergo R. *neg. min.* Non error, ſed Reſpublica, vel Eccleſia, occaſione erroris ob bonum publicum tribuit tali caſu juriſdictionem.

5 Dico 3. Judicium ſummarium eſt inſtituendum in duplici caſu. 1. Quando cauſa celerem requirit expeditionem, v. g. in electione & aliis proviſionibus beneficialibus, in cauſis Matrimonialibus, imo in pleriſque Eccleſiaſticis, ſeu ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus *Clem.* 2. & *Extrav. un. int. com. h. t. litium diſpendiis* 18. Clem. VIII. in qua etiam ordinatur, ut Judices territorio Eccleſiæ Romanæ ſubjecti nullas judiciorum & Proceſſuum nullitates attendant, niſi ortas ex defectu citationis, juriſdictionis, aut mandati. Idem pro foro civili tenendum

de

de cauſa ſtatus actionis ad exhibendum, alimentorum, mercedum, & de omnibus incidentibus: ac vi conſuetudinis de litibus mercatorum, ſtudioſorum, pupillorum, & miſerabilium perſonarum, tributorum, collectarum &c. 2. Quando res, circa quam litigatur, eſt modica *auth. niſi breves C. de ſentent. ex brevic. l. 6. ff. de accuſat.* Et in his cauſis modicis, ſaltem civilibus, ſufficit ſemiplena probatio. Demum obſerva, in quibuſvis cauſis licitum eſſe Proceſſum ſummarium inſtituere: imo etiam finito ſummario ad judicium ordinarium tranſire coram eodem judice, & abſque appellatione, vi conſuetudinis teſte P. Konig. *h. t. n. 12.* cum Mathia Kaut.

6 Dico 4. *Actio* (nempe in civili, & petitorio judicio proponenda: nam in criminali vocatur *accuſatio*, in poſſeſſorio *interdictum*) definitur eſſe *jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur*, ſive ex jure reali ſive ex perſonali debeatur *pr. inſt. de action.* Dividitur 1. In realem, & perſonalem. *Realis*, ſeu *in rem*, oritur ex jure reali, vel ex dominio, vocaturque *vindicatio* generali nomine, ſiquis autem rem corporalem petat tanquam ſuam, dicitur *vindicatio in ſpecie*, ſi autem incorporalem, v. g. ſervitutem prætendat, vocatur *confeſſoria*, ſi negat alteri ſervitutem, vel jus incorporale, appellatur *negatoria*. Si agatur de dominio ficto, triplex alia competere poteſt actio realis: *Publiciana*, quæ competit illi, qui rem bona fide ſibi traditam accepit a non domino, & ideo repetere illam, quaſi præſcriptam (quamvis necdum præſcripſerit) poteſt a quocumque poſſeſſore, qui illam vel nullo, vel infirmiori, quam ipſe, titulo detinet; & *reſciſſoria*, qua quis repetit rem, ab altero jam præſcriptam, ac ſi non

pre-

præſcripta fuiſſet, adeoque datur ad reſcindendam præſcriptionem, & facta reſciſſione ad reſtitutionem rei; ac *Pauliana*, qua creditor rem, a debitore in fraudem creditoris alienatam, ac ſi alienata non fuiſſet, repetit, quia jus fingit, eam ſemper in bonis debitoris manſiſſe. Denique inter actiones reales recenſetur. *Hypothecaria* duplex, reſultans ex pignore; *Serviana*, quæ datur locanti prædium ad perſequendas res a conductore in prædium illatas, utpote ſi prædium ſit urbanum, tacite oppignoratas pro penſione &c. ſi vero prædium ſit ruſticum, opus eſt oppignoratione expreſſa; & *quaſi-Serviana*, quæ datur cuique creditori ad perſequendas res ſibi vel tacite vel expreſſe oppignoratas, donec debitum ſit ſolutum. Et ſic prodeunt octo ſpecies actionis realis. Actio *perſonalis* ſeu *in perſonam*, quæ generali nomine vocatur *condictio*, oritur ex jure perſonali, ſeu ex jure ad rem, tanquam debitam ex contractu vel quaſi-contractu, ex delicto vel quaſi-delicto, adeoque non petitur res tanquam actu jam ſua, ſed ſolum ut debita.

7 Dividitur 2. In actionem *civilem*, quæ ex aliqua parte juris civilis, & in *prætoriam*, quæ ex jure prætorio deſcendit. 3. In *rei perſecutoriam*, qua quis petit ſibi reddi rem, vel ſuam, vel debitam, & in *pœne perſecutoriam*, ſeu pœnalem, qua quis petit, ut alter ob delictum condemnetur in pœnam, ſibi tamen applicandam, v.g. duplum, quadruplum ratione furti. 4. In actionem *bonæ fidei*, in qua judici conceditur poteſtas arbitrandi, quantum alter alteri ex æquo & bono præſtare debeat, etſi expreſſe inter partes conventum non ſit, uti eſt actio empti & venditi, ac aliæ, quæ recenſentur §. 28. *inſt. de action.* & in actionem *ſtricti juris*,

in

in qua Judex ſtricte ad verba contrahentium, vel legum attendere debet, nec ex æquo & bono extendere aut arbitrari permittitur ultra verba, uti eſt actio ex mutuo, & quæ ex contractu unilaterali, non ſupponente pactum utrinque obligatorium, deſcendunt. 5. In *perpetuam*, quæ (nimirum hodie) durat tempore longiſſimo 30. vel 40. annorum, & in *temporalem*, quæ durat tempore breviori, ut actiones prætoriæ, quæ regulariter uno anno, & actio doli, quæ biennio terminatur. 6. In tranſitoriam ad hæredes, & non tranſitoriam; *tranſitoria ad hæredes active* eſt, quæ competit hæredibus actoris, *paſſive*, quæ competit contra hæredes Rei: uti ſunt actiones ex contractu deſcendentes; *non tranſitoriæ*, quæ nec ad hæredes actoris, nec in ſeu contra hæredes Rei dantur, uti actiones ex delicto deſcendentes, & mere pœnales; quatenus enim rei perſecutoriæ eſſent, tranſirent ad & in hæredes. Demum aliquæ actiones vocantur *in factum*, quando nempe deficit proprium nomen actionis vel contractus, & tamen actionem dari æquum eſt. Alias actiones in ſpecie explicamus in ſuis locis ad varios *titulos*, maxime ubi agitur de contractibus ſpecificis.

TITULUS II.

De Foro competente.

SUMMARIUM.

1 *Quid, & quotuplex ſit forum.*
2 *Actor debet ſequi forum rei.*
3 *An reus teneatur ſemper comparere coram Judice, ad quem citatur.*
4 5 6 *Clerici & Religioſi ſunt exempti a foro, & juriſ-*

juriſdictione Sæculari, etiam in cauſis temporalibus realibus.

7 *Nec renuntiare poſſunt huic privilegio.*

8 9 *Quod ipſis competit non ſolum jure humano, ſed etiam Divino, & quidem immediate in theſi.*

10 *An in cauſis realibus vi conſuetudinis conveniri poſſit coram Judice laico.*

11 *Clericorum inferiorum Judex competens eſt Epiſcopus proprius.*

12 *Quale privilegium fori habeant nobiles immediati.*

13 14 *Et quale ſtudioſi. Quid ſi iſti ſint Clerici.*

15 *Et quale Milites.*

16 *Quod ſit forum laicorum non privilegiatorum?*

17 *Cauſæ Eccleſiaſticæ pertinent privative ad Judicem Eccleſiaſticum.*

18 *An etiam, ſi agatur ſuper poſſeſſione.*

19 *Vel ſi dubium ſit, an cauſa ſit Spiritualis.*

20 *In cauſis mixtis & Laicus & Eccleſiaſticus Judex eſt competens, ut adeo detur locus præventioni.*

21 *Ubi cauſæ feudales tractari debeant.*

22 *Qui ſunt modi forum ſortiendi.*

23 24 25 *Quid requiratur, ut quis ſortiatur forum ratione* domicilii, & quaſi.

26 *Forum domicilii concurrit cum foro contractus, delicti, imo & rei ſitæ.*

27 28 *Ubi quis conveniri poſſit ratione* contractus, & diſtractus.

29 30 *Ubi ratione* delicti.

31 *Ubi ratione* rei ſitæ.

32 *Quid requiratur, ut quis Judici non ſuo per* prorogationem *ſubjiciatur.*

33 *Apud quos & in quibus cauſis locum habeat Prorogatio.*

34 *Quan-*

34 *Quando quis ſortiatur forum ratione* connexionis cauſarum.

35 *Cauſæ connexæ regulariter coram eodem Judice ſunt tractandæ.*

JUdicia ſeu proceſſus judiciales ut valeant, neceſſario inſtitui debent in foro competente, ſeu coram judice competente, h. e. qui in perſonam conventam & cauſam litigioſam, juriſdictione præditus eſt; nam *extra territorium* (& abſque juriſdictione) *jus dicenti impune non paretur c.2.de conſt.in 6.& l.fin.ff. de juriſd.* Quapropter actor & Judex ante omnia diſpicere debent, an reſpectu perſonæ, contra quam, & cauſæ, ſuper qua judicium inſtituere volunt, fundata ſit juriſdictio; dein videre, an perſona huic judici ſubjecta ſit ratione domicilii, delicti, contractus, vel rei ſitæ, qui ſunt 4. modi *ordinarii* ſortiendi forum aut ratione delegationis, prorogationis, connexionis cauſarum, præventionis, reconventionis, &c. qui ſunt *extraordinarii* modi ſortiendi forum.

§. I.

De Foro in generè, ac de foro privilegiato certarum Perſonarum, & certarum Cauſarum.

1 *Forum* eſt locus exercendarum litium neceſſario adeundus a litigantibus text. & DD. *in c. forus* 10. *de V. S.* Si judex talis loci in reum & cauſam uno ex dictis modis habet juriſdictionem, dicitur *forum competens*: ſi juriſdictionem non obtinet, vocatur *incompetens*, ſicut & ipſe Judex: imo ſi litigantes nec poſſint ſe ſubjicere judici, is non quomodocumque eſt incompetens, ſed *incapax*,

uti

uti laicus in cauſa ſpirituali. Dividitur ulterius. 1. in *Eccleſiaſticum*, in quo Judex qua Eccleſiaſticus, & in *Sæculare*, in quo Judex laicus jus dicit. 2. in *Contentioſum*, in quo exercetur juriſdictio contentioſa, ſeu cum juſſione, coercitione, in invitos, & ad invicem contendentes: & in *Voluntarium*, in quo exercetur juriſdictio voluntaria, ſeu in volentes &c. 3. in *Externum*, quod etiam appellatur *forum fori*, in quo proceditur per actus externos, ac ſecundum allegata & probata aliquis abſolvitur vel condemnatur, & in *Internum*, quod etiam dicitur *forum poli*, aut *conſcientiæ* vel *animæ*, in quo præciſe juxta internam rei conſcientiam judicatur: ſi id fiat in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, abſolvendo a peccatis reum, qui ſimul eſt accuſator & teſtis. *Pœnitentiale* ſeu *Sacramentale*: ſi extra hoc ſacrum tribunal Pœnitentiæ quis abſolvitur ab obligatione voti v. g. vel ligatur cenſuris pro foro ſolum interno, *non Sacramentale* nuncupatur. Porro a Foro vel Judice ordinario, ex privilegio vel diſpoſitione Jurium, exemptæ ſunt certæ non tantum perſonæ, uti clerici, principes, & nobiles, ſtudioſi, & milites, ſed etiam certæ cauſæ, uti ſpirituales & feudales; de quibus proinde hic agendum.

2. Dico 1. Actor debet ſequi forum rei, h. e. illum adire Judicem, qui reſpectu rei eſt competens. Ita per modum regulæ ſtatuitur in *c. 5. & 8. h. t.* Conſpirant Doctores plerique omnes. *Objic.* Siquis fuit ab altero diffamatus poteſt accedere Judicem proprium, qui perpetuum injungat ſilentium diffamanti, ſi in probatione deficiat, nec debet adire Judicem diffamanti proprium, non obſtante, quod diffamatus ſit reus, *l. diffamari 5. C. de Ingenuis*. Item ſi quis timeat litem ſibi movendam ab alio, ſuum proprium

Judi-

Judicem poteſt accedere, ac petere, ut Adverſarium, alias ipſi non ſubjectum, citet, eoque præſente ſuam exceptionem audiat, qua putat Adverſarii ſui jus adverſus ſe enervari, *l. ſi contendat.* 28. *ff. de fidejuſſ. & mandatoribus.* Ergo reus debet ſequi, ſubinde ſaltem, actoris, & non actor forum rei. ℞. N. *Conſ.* & ſuppoſitum, quod in duobus dictarum legum caſibus reus ſit diffamans, & is, a quo timetur lis; nam quia primo movere litem de Jure cenſentur, unus accuſando tacite eum, quem diffamat, alter dando indicia actionis & litis movendæ, potius ſunt actores, ut adeo maneat regulæ noſtræ ſua generalitas etiam in foro *l. diffamari*, & in foro *l. ſi contendat.*

3 Dico 2. Reus, licet non teneatur comparere, ſi in competentia Judicis citantis ſit notoria, v. g. ob privilegium in corpore juris expreſſum, quale habent clerici contra laicos, & ſtudioſi contra eos, qui non ſunt magiſtratus Academici; ſi tamen competentia eſt dubia, vel privilegium exemptionis fundatur tantum in jure ſpeciali, tenetur competere eatenus, ut proponat exceptionem fori declinatoriam, & doceat de ſua exemptione, *c. 7. de Privil. in 6. l. 5. ff. de Judic.* ibi: *ſi quis ex aliena juriſdictione ad Prætorem vocetur, debet venire; Prætoris eſt enim, æſtimare, an ſua ſit juriſdictio, vocati autem non contemnere auctoritatem prætoris .... ut in jus vocati veniant, privilegia ſua allegaturi.* Ex quo textu, uti & *l. 2. C. ſi contra jus vel util. publ.* item *c. 2. de Reſcr.* colligitur, penes Judicem, ordinarium vel delegatum, regulariter eſſe poteſtatem cognoſcendi de ſua competentia, ſeu an ſua ſit juriſdictio: niſi nempe utilitas & commodum proprium redundaret in Judicem ex tali cognitione, ut ſi dubitaretur, an hoc territorium ſubſit juriſdictio-

dictioni judicis, ex cujus proprietate plura emolumenta provenire poſſunt; vel niſi recuſetur Judex in perſona, v. g. ut ſuſpectus, infamis &c. vel niſi quoad alterum membrum contradictionis incapax foret jurisdictionis, ut ſi laicus in dubio, an cauſa ſit Spiritualis vel non, vellet pronuntiare, non eſſe Spiritualem, conſequenter ſe eſſe competentem judicem.

4 Dico 3. Clerici, & Religioſi, quoad perſonas ſuas ſunt exempti a foro & jurisdictione Sæculari non modo in cauſis & actionibus perſonalibus; ſed etiam in cauſis & actionibus realibus quoad res temporales. Aſſertio eſt indubitata, & non tantum in SS. Canonibus definita, ſed etiam a jure civili agnita. Pars 1. habetur *can.*2.6.15.42.43.45. *cauſ.*11. *q.*2. *c.*10. *de conſtit. c.*4.8.10. *de judic. c.*12. *h. t. c.*4. *de cenſib. in 6.* cum concordantibus. Trid. *ſeſſ.*25. *c.*20. *de ref. auth. Caſſa. C. de ſacr. Eccl. auth. Statuimus C. de cop. & cler. Nov.* 123. *c.* 21. quia nempe *fas non eſt, ut Divini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio*, uti loquuntur Imperatores Theodoſius & Valentinianus in *C. Theodoſ. l.*16. *tit.*2. *l.*46. 47. Pars 2. pariter fundatur in *citt. can.*2. 6.42. 43. *c.*12. *h. t. & c.* 4. *de cenſib. in 6.* item *in c.* 1. 3. *fin. de immun. Eccleſ. in 6. auth. Statuimus cit.* ac in aliis textibus; quia nempe res temporales & bona ſequuntur conditionem perſonarum, adeoque & forum; cum acceſſorium ſequatur ſuum principale *l.*42. *de R. J. in 6.* &, *quæ Religioſis adhærent, religioſa ſunt l.*43 *ff. de R. V.* Atque ita ſentiunt etiam Legiſtæ Catholici, quos inter Illuſt. D. Cancellarius Bavariæ L.B. de Schmid. qui *Semicent.* 2. *controv.* 11. *n.* 1. ſic pronuntiat: *ſi præciſe inſpiciamus diſpoſitionem juris canonici, nobis certum eſſe vide-*

videtur, bona Eccleſiarum & Clericorum, tametſi patrimonialia ſint, gaudere immunitate Eccleſiaſtica, etiam in actionibus realibus. Quid autem ſit de conſuetudine, paulo poſt videbimus.

5 Per *Clericos* intelligimus omnes in majoribus ordinibus conſtitutos; item Minoriſtas, vel prima tantum tonſura initiatos, ſed cum limitatione, ſi habeant complete ſaltem unam ex conditionibus a Trid. *ſeſſ.23. c.6. de ref.* requiſitis, nimirum 1. ſi habeant beneficium Eccleſiaſticum, vel 2. ſi geſtent habitum & tonſuram, ac inſuper deſerviant alicui Eccleſiæ ex Epiſcopi mandato, h.e. voluntate ſaltem permittentis, ut explicant deciſiones Cardinalium apud Pignatelli, vel 3. ſi geſtent habitum & tonſuram, ac inſuper verſentur in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola vel Univerſitate de licentia Epiſcopi quaſi in via ad majores ordines ſuſcipiendos. Per *Religioſos* autem intelligimus omnes Regulares utriuſque ſexus, licet laici ſint, & nullos ordines habeant. Extenditur a communi ſententia etiam ad Novitios, item ad fratres & ſorores tertii Ordinis S. Franciſci & S. Dominici, ſi geſtent habitum, & vivant in communi, imo etiam ad Eremitas non Religioſos in commune tamen viventes, & ſecundum modum ab Epiſcopo approbatum, quin a quibuſdam etiam ad illos eremicolas, qui voto ſaltem paupertatis edito, aut ſuſcepta obligatione, habitum deferentes alicui Eccleſiæ vel Oratorio ſub obedientia Epiſcopi vel alterius Prælati deſerviunt.

Objic. 1. cum Hæreticis: *omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit. Rom.*13. ergo & Clerici Principibus ſæcularibus. 2. S.Paulus appellavit ad Cæſarem, dicens: *ibi me oportet judicari. Act.*25. ergo Cæſarem agnovit pro ſuo judice. 3. In *l.25. & 33.C. de Epiſc. & Cleric.* Clerici ſubjiciun-

jiciuntur Sæculari poteſtati; & Imperatores Catholici etiam Pontifices Romanos depoſuerunt, uti Henricus IV. Benedictum X. 4. In multis caſibus etiam juxta Catholicos Doctores tam in Criminalibus, quam in Civilibus actionibus perſonalibus ſubſunt Clerici, judicantur, & puniuntur a Laicis. 5. Actio realis non dirigitur in perſonam, ſed *in rem.* §. 1. *inſt. de action.* ergo, cum res temporales nihil Spiritualitatis habeant, ſuper his conveniri poſſunt Clerici & Religioſi coram Laico judice, cum præciſe ſpectentur ſolæ res in actione reali, non perſonæ conventæ. R. ad 1. *n. conſ.* quia Clerici habent ſuos Superiores Eccleſiaſticos, quibus ſubditi ſunt. Ad 2. iterum *n conſ.* Paulus Cæſarem appellavit, non qua judicem ſuum, ſed qua protectorem contra vim iniquam judæorum, quorum judex erat Cæſar. Ad 3. Juſtinianus per illas Leges miſit falcem in meſſem alienam, ac illæ Leges propter defectum juriſdictionis in ferente fuerunt irritæ, ut agnovit ipſe Imperator Fridericus in *auth. caſſa. C. de SS. Eccleſ. in auth. item nulla. & auth. ſtauimus C. de Epiſc. & Cler.* imo ipſe Juſtinianus aliter ſenſit, & diſpoſuit in poſteriori lege, nimirum *Nov.* 123. *c.* 21. Illi Imperatores, temere invadentes ſolium Pontificale, id auſi ſunt via facti, non via juris, quod nullum in Pontifices habere poſſunt. Ad 4. in iis caſibus judicantur, vel etiam puniuntur Clerici a Laicis juxta Catholicos DD. in quibus SS. Canones & Pontifices id concedunt, v. g. in cauſa feudali, ubi Clerici ſunt Vaſſalli Laicorum; quando Clerici non nomine proprio conveniuntur, ſed ut tutores, curatores, procuratores; ac in caſu evictionis, ut defenſores; item juxta aliquos, ſi ſint hæredes, & lis cum defuncto jam fuit conteſtata, Sic ex permiſſione
Ec-

Eccleſiæ etiam puniuntur a Laicis, quando degradati traduntur Curiæ Sæculari, quando ob enormia delicta, vel non geſtatum, jam ſunt privati privilegiis Clericalibus, & probabiliter quando immiſcent ſe rebellioni, ac in flagranti deprehenduntur inter perduelles, & res non patitur moram, ac damnum publicum aliter averti nequit. In aliis caſibus nec judicatura, nec punitio Clericorum conceditur Laicis tam in cauſis civilibus perſonalibus, quam in criminalibus. Ad 5. Etſi actio realis immediate tendat in rem, juriſdictio tamen, & judicium, quod inſtituitur ſuper tali re; immediate & directe tendit in perſonam, quæ ſola proprie capax eſt juriſdictionis paſſivæ, judicaturæ, & condemnationis.

7 Dico 4. Clerici & Religioſi ita ſunt exempti a foro Sæculari, ut huic privilegio nec renuntiare valeant, etiam interveniente juramento, & conſentire in Judicem Laicum *can.* 33. 42. 43. *cauſ.* 11. *q.* 1. *c.* 12. *h. t.* ratio ibi redditur, quia hoc privilegium non eſt introductum in favorem ſingulorum, ſeu cujuslibet perſonæ Eccleſiaſticæ in particulari, ſed in favorem ac reverentiam totius ſtatus Eccleſiaſtici, adeoque eſt favor & jus publicum, cui renuntiari pacto privatorum etiam jurato non poteſt. Si præſumant conſentire in Judicem Laicum, perdunt cauſam, ſi ea civilis ſit, & cenſuris puniendi ſunt, per jura *cit.* Laicus trahens Clericum ad judicium Sæculare extra permiſſos caſus peccat graviter, & excommunicatur *c.* 2. *h. t.* & in Bulla Cœnæ.

8 Dico 5. Exemptio Clericorum & Religioſorum a foro & juriſdictione laicali non ſolum ſtatuta eſt a SS. Canonibus, ut ex dictis patet, ſed etiam introducta a Jure Divino. 2. Probabilius immediate, ſaltem in theſi. Pars 1. Videtur innegabilis ab ullo Catholico propter claros textus non

ſolum *c.*4. *de cenſib in* 6. ibi: ***cum igitur Eccleſiæ Eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum, non ſolum jure humano, quin imo & Divino a ſæcularium perſonarum exactionibus ſint immunes;*** ſed etiam duorum Conciliorum Generalium, nempe Lateran. ſub Leone X. *S.* 9. *in Bulla ref.* ibi : ***cum a jure tam Divino quam humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit***: & Conc. Trid. quod *ſeſſ.*25. *c* 20. *de ref.* pronuntiat, *Eccleſia & perſonarum eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione & Canonicis ſanctionibus conſtitutam eſſe*. Ergo nullus Catholicorum inficias iverit, ſaltem ***aliquo modo*** Juris Divini eſſe immunitatem perſonarum Eccleſiaſticarum. Unde, quando Catholici DD. plurimi eam Divini juris eſſe negant cum Covar. Mol.Farinac. Oliva, & Zœſio, intelligendi veniunt in eo ſenſu, quod dicta immunitas non ***immediate*** deſcendat a Jure Divino, ſed ſolum mediate, originaliter, & initiative, quatenus nempe Chriſtus dedit Eccleſiæ mandatum eximendi Clericos & Religioſos a foro ſæculari, vel quatenus Clericos conſtituit velut Patres & Magiſtros reliquorum fidelium. Quod autem ***immediate*** Divino jure exempti ſint (& ſic pars 2 aſſertionis) probatur 1. ex allegatis verbis Conciliorum Lateranenſis & Trid. quæ ſecundum communem regulam, ſicut verba S.Scripturæ, accipi debent in ſenſu proprio, niſi ea impropriare cogat neceſſitas : ſed verba dictorum Conc. ***jure Divino***, & ***Divina ordinatione***, non videntur ſumi in propria ſignificatione, niſi dicatur, exemptionem Clericorum ***immediate*** a jure Divino deſcendere, & Divina ordinatione conſtitutam eſſe, nec aliquid ſpeciale per illa verba tribueretur ſtatui Eccleſiaſtico; nunquid enim hoc pacto poteſtas Regia, & Ma-

gi-

giſtratuum Sæcularium, poſſet dici eſſe juris Divini & naturalis, ſi ad hanc denominationem ſufficeret, illam mediate a Deo & jure naturali (hominibus facultatem concedente, vel inſtinctum ingenerante, eligendi ſibi Reges & Magiſtratus ſæculares) deſcendere; cum non ſit poteſtas niſi a Deo? Numquid per ſe clarum eſt, ſtatum Eccleſiaſticum ſaltem mediate jure Divino exemptum eſſe a juriſdictione Laicorum? quid ergo opus fuiſſet, ut Concilia exprimeret tam accurate, hanc exemptionem eſſe a *jure Divino*, ſeu *Divina ordinatione* conſtitutum, ſi ſolum mediate eſſet juris Divini? Atque ideo de immediata exemptione intelligendi ſunt DD. illi, qui immunitatem perſonalem perſonarum Eccleſiaſticarum abſolute juris Divini eſſe pronuntiant, uti Abb.Felin. Azor, Fagn.Barb.Laym.Engel,ac alii, præſertim Theologi & Canoniſtæ. P.Friderich in egregio *tr. de for. comp. n.229.* Prob.2. Clerici & Religioſi non minus dicati & conſecrati ſunt ad cultum & ſervitium Dei, atque ideo Sacri exiſtunt, imo magis, quam templa, altaria, veſtes ſacræ &c. ſed iſta propterea ſunt jure Divino immediate exempta a diſpoſitione Sæcularium, & onere Sæculari, ut plerique fatentur: ergo & Clerici ac Religioſi a juriſdictione Sæcularium. Prob.3. hoc ipſo, quod Chriſtus Clericos conſtituerit patres, magiſtros, & paſtores Laicorum, cenſetur illos ab horum juriſdictione exemiſſe immediate per ſe *arg. can. 9. 11. diſt. 96.*

Addidi tamen, *in theſi*, h.e. in genere, ſeu ſecundum rationem genericam, & abſtrahendo a caſibus & circumſtantiis particularibus,vel ab hypotheſi particulari, & applicatione ad materias, cauſas, circumſtantias ſpecificas aut individuales; adeoque *in hypotheſi*, declarare ad Eccleſiam pertinet, an hic & nunc, atque in his particularibus

caſibus illud generale privilegium, a Deo & Chriſto immediate conceſſum, habeat locum, nec ne. Accipe rem in exemplo: obligatio reſidendi perſonaliter in beneficiis Curatis eſt immediate Juris Divini, ut fatentur plerique adverſarii; licet penes Eccleſiam ſit, hoc Jus Divinum quoad caſus particulares declarare, determinare, limitare, v.g. ex juſta cauſa dando licentiam non reſidendi, & Epiſcopatum, Parochiam, & curam animarum exercendi per alium æque idoneum. Sic quoque Juris Divini & naturalis eſt in theſi colere Deum, hominem non occidere &c. licet modum ſpecialem, quo colendus ſit Deus, & circumſtantias, in quibus prohibeat Deus hominem occidere, determinare & declarare ſit Juris Eccleſiaſtici, & poſitivi humani.

9 *Objic.* 1. In Scripturis Divinis nullus reperitur textus eximens perſonas Eccleſiaſticas a poteſtate Sæculari: ergo Jure Divino non ſunt exemptæ. 2. Per hoc, quod aliquis ex Pagano fiat Chriſtianus, non eximitur Jure Divino a vinculis, quibus ante erat adſtrictus, v. g. conjugii, obedientiæ, debiti pecuniarii &c. ergo neque per hoc, quod ex Chriſtiano fiat Clericus, eximitur aliquis Jure Divino a vinculo prioris ſubjectionis. 3. Exemptio Clericalis variari poteſt pro varietate temporum & locorum, ut hic & nunc ſit reſtrictior vel amplior, vi privilegii Pontificis, aut conſuetudinis: ergo non eſt Juris Divini; cum adverſus hoc nihil virium habeat vel ipſe Pontifex, vel populi mores. R. Ad 1. *tranſ. antec.* nam Chriſtus Petrum, ac in eo omnes ejus in primatu Succeſſores, Romanos Pontifices, ſatis clare exemit, dum conſtituit ſupremos omnium fidelium Paſtores, verbis, *paſce oves meas Jo: 21.* reliquos vero Apoſtolos eorumque in cura animarum ſucceſſores,

dum

dum illos conſtituit Judices Laicorum verbis; *quæcumque alligaveritis ſuper terram &c. & quæcumque ſolveritis &c. Matth.* 18. Sed tranſmiſſo *antec. n. conſeq.* Quia ſufficit, quod hæc exemptio introducta immediate ſit Jure Divino tradito, ſeu non ſcripto, per Eccleſiam & Concilia nobis declarato: ſicut juxta adverſarios in ordinatione Sacerdotum traditio patenæ cum vino eſt materia ordinis Sacerdotalis Jure Divino, per Eccleſiam declarato, licet nullum Scripturæ textum ad id probandum adducere valeant. Ad 2. *n. conſ.* & paritatem; quod factus ex Pagano Chriſtianus eximatur Jure Divino a dictis vinculis, nullum habemus fundamentum: bene tamen, quod ex Chriſtiano factus Clericus eximatur Jure Divino a vinculo ſubjectionis Sæcularis. Ad 3. *diſt. conſ.* ergo non eſt Juris Divini in qualibet hypotheſi. *C. conſ.* in theſi, ac abſtrahendo a circumſtantiis particularibus. *N. conſ.* Sed hinc

10 Quæres, an vi conſuetudinis, quam vigere in Galliis, & multis Germaniæ locis, præſertim apud Cameram Imperialem, paſſim teſtantur Auctores, Clerici & Religioſi in cauſis *realibus*, ſeu quando intentatur actio *realis*, conveniri poſſint in foro Sæculari, ſeu coram Judice Laico? R. Cum Covar. Jul. Claro, Zœſio, Gail., Mynſ. de Baſſis, & Schambogen *h. n.* 31. & Clariſſ. D. Greneck in *exam. Can. h.t.n.* 42. ubi me ipſum citat, aliiſque multis affirmative; modo ſufficienter conſtet de conſuetudine, quæ, quia facti eſt, utique probari debet, &, quia odioſa utpote juri contraria, ſtrictæ interpretationis eſt, adeoque extendi non debet a caſibus, de quibus conſtat, ad alios, de quibus talem conſuetudinem vigere non conſtat. Sed ex quo capite ſuſtineri ac defendi poteſt talis conſuetudo, immu-

nitati Eccleſiaſticæ contraria, ac toties in jure reprobata? R. Ex duplici 1. ex jure reſervationis, & advocatiæ; ſiquidem Imperatores ac alii Principes fundatores, teſte Goldaſto & Jo: Palatino, in erectione & fundatione Epiſcopatuum, Monaſteriorum &c. conſenſu Eccleſiæ reſervarunt ſibi cognoſcendi & judicandi ſuper bonis temporalibus, quæ Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis liberaliter tribuerunt; quod jus poſtea ſubin dederunt inferioribus, v.g. Magnatibus, & Magiſtratibus ſæcularibus, quos ſibi ſubſtituerunt advocatos & protectores Eccleſiarum, Monaſteriorum &c. 2. ex tacito conſenſu Pontificis, hujuſmodi conſuetudinem ſcientis, & non reclamantis in ſpecie: fere ſicut conſuetudo reconveniendi Clericos coram Judice Sæculari in cauſa non connexa ob tacitum Pontificis conſenſum, communiter a DD. Catholicis agnoſcitur ut legitima, nec eam reprobare audent. Certe non videtur credibile, quod Pontifex omnes illos principes & Magiſtratus, in quorum territoriis non ignorat vigere talem conſuetudinem, alias de Eccleſia præclare meritos velit vinculo excommunicationis eſſe innodatos, tanquam violatores immunitatis Eccleſiaſticæ, urgendo ſuas leges circa hunc caſum particularem, quarum obſervantiam propter invaleſcentem nimis uſum contrarium, longiſſimo & immemoriali tempore continuatum, moraliter vix ſperare poſſet. Ubi igitur immemorialis reperitur conſuetudo conveniendi Clericos & Religioſos coram Judice Laico in cauſis realibus, non immerito præſumitur, eam fundari vel in jure Advocatiæ & reſervationis, vel in onere reali aut juriſdictionis jam prius impoſito bonis, poſtea in Eccleſias translatis; vel in tacito conſenſu Summi Pontificis, & ſic legitimam eſſe.

Objic.

Objic. Jus Canonicum paſſim reprobat conſuetudinem, immunitati Eccleſiaſticæ adverſantem, velut corruptelam, uti *in c.3.de conſuet. c.* 8. *&* 17. *de Judic.* in *Concil. Lateran. ſub Leone ac in ſeſſ.*10. & quotannis in famigerata *Bulla Cœnæ conſtit. Romanus Pontifex* Urbani VIII. ergo ſuſtineri non poteſt, præſertim ex tacito Pontificum conſenſu. R. retorquendo: in conſuetudine reconveniendi Clericos coram Judice Laico, quam Catholiciſſimi DD. damnare non audent, licet adverſetur immunitati Eccleſiaſticæ. R.2. *diſt. antec.* paſſim reprobatur vel in genere tantum, & terminis generalibus: vel in ſpecie quidem, at relate ad cauſas criminales, vel civiles perſonales: vel quæ non innititur tacito Pontificis conſenſui, aut alteri juri ex conſenſu Eccleſiæ Laicis competenti. *C. antec.* reprobatur conſuetudo, de qua hic ſermo eſt, in ſpecie, eaque immemorali, & quæ innititur, ac inniti non abſque fundamento præſumitur, vel juri, cum expreſſo conſenſu Eccleſiæ Laicis conceſſo in primæva Eccleſiarum &c. fundatione, vel tacito Pontificum conſenſui. *N. antec. & Conſ.*

11 Dico 6. Clerici inferiores, & non exempti a juriſdictione Epiſcopi, conveniri debent coram Epiſcopo, eoque proprio, niſi nempe ex cauſa particulari pro prima inſtantia ſubſint alteri Superiori. Communis ex *can.*43. 45. *cauſ.*11. *q.*1. *c.*5. *h. t. c.* 7. *de offic. ord. in* 6. ſive dein ſit proprius ratione domicilii, vel beneficii, ſive contractus, &c. Loco Epiſcopi autem ordinarie venit quoque Vicarius Generalis, & Sede vacante Capitulum. Dixi, *inferiores*; ubi enim ipſi Epiſcopi, & eo ſuperiores Prælati, conveniendi ſint, dictum eſt *ad tit. de offic. ordin. n.* 4.

N 5 12 Di-

12 Dico 7. Principes, Nobiles immediati (nempe Laici) ſtatus Imperii, & Civitatum Imperialium Magiſtratus, in cauſis profanis exempti ſunt a foro inferiori, itaut conveniendi ſint coram Summo aliquo Imperii vel Imperatoris tribunali, nimirum vel in *Camera Imperii*, quæ nunc eſt Vvezlariæ, vel in Conſilio Imperiali Aulico Viennæ. Ita habent receſſus Imperii, praxis, & ſenſus communis DD. Interim tamen Principes, & immediati Nobiles (non tamen Civitates Imperiales per ſe) habent privilegium, ut ſaltem in cauſis civilibus poſſint ex ſe ipſis eligere inferiores Judices, quos vocant *Auſtregas*, ut adeo horum prima inſtantia poſſit eſſe judicium Auſtregarum, ſeu Auſtregarium. Ordinat. *can. p.3. tit.27.* Dixi, *Nobiles immediati*, ſeu *Liberi*, h.e: qui nulli ſubſunt inferiori Principi aut ſtatui Imperii, ſed immediate Imperatori vel Imperio Romano, quales ſunt in Svevia, Franconia, & ad Rhenum: qui vero immediate ſubſunt inferiori Principi aut ſtatui, quia nempe in ejus territorio poſſident prædium, caſtrum, pagum &c. vocantur *nobiles mediati*, quia primum mediate ſubſunt Imperatori ac Imperio, vel *Landſaſſii*, quales ſunt Nobiles plerique in Auſtria, Bavaria, Saxonia, Marchionatu Brandenburgico, Palatinatu, Haſſia, &c. & hi in prima inſtantia conveniendi ſunt coram tali ſuo Principe, vel Statu.

13 Dico 8. Studioſi, qui nempe in aliquo ſtudio generali vel Academia immatriculati (aut in Lycæo vel Gymnaſio publico, ut communiter extendunt) litteris addiſcendis dant operam, gaudent ſpeciali privilegio fori, ipſis conceſſo a Friderico I. a rubra barba dicto *Barbaroſſa*, anno 1158. *in Authent. Habita quidem C. Ne filius pro patre*, vi cujus Scholares, illorumque

famu-

famuli , Matriculæ inſcripti , Profeſſores , & horum domeſtici , atque Notarii , Pedelli, ac Nuntii Academici in conſequentiam , non coram alio Judice conveniri, poſſunt , quam coram Domino, vel Magiſtro ſuo, h.e. Rectore Univerſitatis aut Scholarum, vel Senatu Academico, aut, ſi malint, coram Epiſcopo ipſius Civitatis (quæ tamen optio , vel poteſtas eligendi Epiſcopum, teſte Beſoldo *de Jure Acad. c.6. n.2.* apud P. Schmalzgrueber *h. n.111.* per conſuetudinem ſublata eſt) ex adjecta ratione; quia *illorum ſcientia totus illuminatur Mundus, & ad obediendum DEO, & nobis* (Imperatoribus) *ejus Miniſtris vita ſubjectorum informatur*. Privilegium ſic ſonat: *decernimus, ut nullus de cetero tam audax inveniatur, qui aliquam Scholaribus injuriam inferre præſumat, nec ob alterius cujuſcumque provincia delictum, ſive debitum, aliquod damnum eis inferat . . . Verumtamen ſi litem eis quiſpiam ſuper aliquo negotio movere voluerit: hujus rei optione data Scholaribus, eos coram Domino vel Magiſtro ſuo, vel ipſius Civitatis Epiſcopo conveniat*. Ex verbis *delictum, ſive debitum*, atque ex verbis, *litem ſuper aliquo negotio*, quibus denotantur cauſæ tam criminales quam civiles, commune Doctorum votum, ut ait Ummius *ad Proceſſ. judic. diſp.4. th.12.n.66.* cum Gloſſa in *d. auth.* Bart. Mendo, & Lymnæo, conſpirante communi Germaniæ praxi, deducit, Academiis de Jure Communi (niſi nempe Princeps territorii vel Fundator hoc privilegium limitent) competere etiam merum Imperium, & jus gladii in Studioſos ſubditos. Quidquid alii dicant contra cum Baldo, Cujacio, & Sichardo. Ratio, quia privilegium & beneficium Principis, maxime ſi in *corpore juris* clauſum ſit, ſicut iſtud,

latiſſime eſt interpretandum *l.* 3. *ff. de conſtit. Princ.* ergo etiam de cauſis criminalibus majoribus, ubi agitur de vita & ſanguine intelligendum venit. *Objic.* In conceſſione generali juriſdictionis non comprehenditur juriſdictio alta, ſeu merum imperium, & judicium Sanguinis, niſi nempe hujus fiat expreſſa mentio *l.* 1. *ff. de offic. ejus cui mandata*. Sed *in auth.* Habita ſolum generaliter fit mentio juriſdictionis, non vero meri imperii: ergo. R. *n. maj.* caſu quo ſupremus Princeps juriſdictionem *ordinariam* illimitate concedit, vel expreſſe ad cauſas criminales & civiles ſine exceptione, uti Fridericus conceſſit *in d. Auth.* allegata *lex* 1. loquitur tantum de juriſdictione *mandata* ſeu *delegata*. Si juriſdictio *ordinaria* illimitate conceditur a Principe, etiam merum imperium cenſetur eſſe conceſſum *l.* 7. §. 2. *l.* 8. *ff. de offic. Proconſ.*

14 Quæres, an etiam ſtudioſus Clericus conveniri poſſit coram Rectore Univerſitatis, vel toto Magiſtratu Academico, ſaltem Eccleſiaſticis permixto? R. De jure communi negative; quia de jure Canonico Clericorum Judex eſt Epiſcopus *can.* 45. *c.* 1. *& c.* 7. *ſup. citt.* cui præjudicare non potuit Imperator per *auth. habita*, utpote incapax diſponendi per legem de Clericis, a ſua juriſdictione exemptis. Interim tamen jure ſpeciali, nempe privilegii Apoſtolici, aut conceſſionis Epiſcopi, aut conſuetudinis vel præſcriptionis canonicæ, aut amicabilis compoſitionis poſſunt, & ſolent conveniri Clerici ſtudioſi coram Rectore Clerico, aut membris Academiæ Eccleſiaſticis, non tamen in cauſis criminalibus criminaliter intentatis, Abb. *in c.* 12. *h. t. n.* 29. 30.

15 Dico 9. Milites quoque, nimirum qui præſti-

to

to juramento rite relati ſunt in numerum militum, in *l. 6. C. de juriſd. omn. Jud.* obtinuerunt privilegium, vi cujus tam in cauſis civilibus, quam in criminalibus, non alibi, niſi coram Judice militari, nempe ſuo duce vel colonello, aut Senatu militari, conveniendi ſunt. Licet, ſi conveniantur civiliter ratione prædiorum, mercaturæ, tributorum, &c. dicantur non gaudere foro militari, per *l. fin. C. ubi quis curiali*.

16 Dico 10. Laici, non ſpecialiter privilegiati, in cauſis profanis conveniri debent coram Judice laico, *c.* 13. *de Judic. cap.* 10. 11. *h. t.* eoque proprio, cui nempe ſubſunt ratione domicilii, vel delicti, vel contractus, vel rei ſitæ &c. non obſtante, quod clericus ſit actor; cum actor ſequi debeat forum rei, *c.* 5. 8. *eod.* niſi nempe admiſta reperiatur cauſa ſpiritualis, vel agatur de peccato; tunc enim ratione cauſæ debet eſſe Judex eccleſiaſticus, *c.* 13. *cit.* & niſi ſubſint laici eccleſiaſtico Magiſtratui etiam in temporalibus.

17 Dico 11. Cauſæ eccleſiaſticæ pertinent privative ad Judicem eccleſiaſticum. Ita omnes catholici, a quibus nec Heterodoxi plerique diſſentiunt, ut videre eſt apud Zanger *c.* 1. *p.* 2. *de Except. n.* 421. Patet ex variis juribus, maxime *c.* 2. *de Judic.* ubi generalis datur regula: *de negotiis eccleſiaſticis, maxime illis, quæ ſpiritualia eſſe noſcuntur, laicorum Judicio diſponendum non eſſe*, ſcil. propter defectum juriſdictionis eccleſiaſticę & ſpiritualis, cujus ſecluſo Papæ privilegio ne quidem capaces ſunt. *Eccleſiaſticæ* autem cauſæ cenſentur eſſe 1. ſpirituales *c.* 2. *cit.* ſeu verſantes circa rem intrinſece ſacram, uti ſunt gratia ſanctificans, virtutes & dona ſupernaturalia, Sacramenta, profeſſio religioſa, votum, juramentum, & ea, quæ pertinent ad fidem, officia,

& ju-

& juriſdictionem eccleſiaſticam, 2. ſpirituali annexæ, *c.* 3. *eod. c.* 3. *de ord. cognit. &c.* uti prælaturæ & beneficia eccleſiaſtica, jus patronatus, jus eligendi ad prælaturas, jus decimandi, res conſecratæ, vel benedictæ, &c. 3. duo crimina, nempe Hæreſis, *c.* 13. §. 3. *& fin. de hæret.* & ſimonia juxta communem, quia adverſatur rei ſacræ, nimirum religioni, ſicut illa fidei, 4. quando reus conventus eſt clericus vel religioſus: de his, qui cauſam ſolum extrinſece ac improprie faciunt eccleſiaſticam, jam egimus. Sicut autem cauſæ eccleſiaſticæ ad forum eccleſiaſticum, ita profanæ & temporales, quæ moventur inter meros laicos, privative regulariter pertinent ad forum ſæculare, ſi inſtituatur actio; ſiquidem per viam *denuntiationis*, vel canonicæ, vel evangelicæ, poſſunt etiam deferri ad Judicem eccleſiaſticum, ubi nempe agitur de peccato vitando. Communis ex *c.* 13. *de Judic. cit. & c.* 5. *de raptor.*

18 Quæres, an in caſu, quo agitur de poſſeſſione nuda, vel mero facto, circa cauſam eccleſiaſticam, poſſit eſſe competens judex laicus? R. Spectato jure ſcripto negative. Sumitur ex *Clem. un. de ſequeſt.* item *c.* 12. *de ſent. excomm. in* 6. & hac ratione; quia poſſeſſio, & factum tale, verſatur circa rem ſacram vel ſpiritualem, v. g. ſi quæritur, an & quanto tempore Titius poſſederit decimas, an matrimonium inter has peſonas fuerit contractum, an ordo ſacer ſuſceptus, vel iſte homo ſit clericus &c. ergo cauſa poſſeſſoria rei ſpiritualis recte dicitur ſpiritualis, & factum, quod contingit rem ſpiritualem, eſſe ſpirituale magis quam temporale *c.* 12. *cit.* Adde, quod facile, imo fere ſemper in quæſtione facti, vel ſuper poſſeſſione, involvatur *quæſtio juris*, v.g. de *valore* facti, v. g. an matrimonium ſit valide contra-

ctum,

ctum, ordo ſacer rite ſuſceptus &c. vel de *titulo* poſſeſſionis, an nempe ea ſit juſta, præſertim ſi de poſſeſſione adipiſcenda agatur, imo &, ſi de recuperanda, vel retinenda. Si autem moveatur, vel involvatur quæſtio juris ſuper re ſpirituali, juxta communem ſpectato Jure ſcripto debet eſſe judex eccleſiaſticus. Interim tamen plurimi DD. teſtantur, ſpectata conſuetudine quæſtionem ſuper nuda poſſeſſione, vel mero facto, circa rem ſpiritualem, poſſe coram Judice quoque laico tractari, cui proin, ubi ſufficienter probata fuerit, me nolim opponere.

19 Dubitabis, an in dubio, num cauſa ſit ſpiritualis vel eccleſiaſtica, privative ſit competens Judex eccleſiaſticus, itaut laicus de tali dubio nequeat cognoſcere? R. Cum receptiſſima omnium, tam Juriſtarum quam Thelogorum, traditione, quos inter etiam eſt Covar. *practicar. qq. c.* 33. *pr. & nu.* 1. licet alias ſubinde lubricus in materia immunitatis eccleſiaſticæ, indubitanter affirmative, non tantum propter *c.* 12. *cit.* ubi cognitio ſuper dubio, an aliquis ſit clericus, necne, tribuitur privative judici eccleſiaſtico, ſed etiam propter hanc efficaciſſimam rationem: ſi enim ſuper tali dubio cognoſceret & pronuntiaret judex laicus, deberet diſcutere naturam intrinſecam rei, & ſuper natura vel qualitate ſpiritualitatis cognoſcere ac pronuntiare: ſed hoc excedit ſphæram & juriſdictionem judicis laici, utpote requirens juriſdictionem ſpiritualem, cujus omnino incapax eſt laicus: ergo. Confirmatur: qui judicat ſuper dubio, an cauſa ſit ſpiritualis vel eccleſiaſtica, an vero temporalis vel profana, præditus eſſe debet juriſdictione quoad utrumque membrum contrarietatis vel contradictionis; alias enim pronuntiando de membro, ſuper quo juriſdictionem non

habet,

habet, pronuntiaret invalide, & exponeret ſe periculo vel invalide pronuntiandi, ſi determinaret eam eſſe ſpiritualem, vel ſacrilege invadendi cauſam ſpiritualem, ſi eam determinaret eſſe profanam, quia forte eſſet ſpiritualis: atqui Judex laicus quoad utrumque membrum, nempe quoad qualitatem ſpiritualitatis, evidenter præditus non eſt juriſdictione, imo ejus eſt incapax (non tamen eccleſiaſticus quoad qualitatem temporalitatis) ergo Judex laicus de tali dubio cognoſcere & judicare nequit. Quamquam alias & regulariter quilibet Judex in dubio cognoſcat de ſua competentia, ſeu an ſua ſit juriſdictio, ſi inde in ipſum non redundat emolumentum temporale, *l. 5. de Judic. c. 2. de reſcr.*

20 Dico 12. In cauſis miſtis, ſeu miſti fori, datur locus præventioni, itaut ille Judex cognoſcere de iis poſſit (ſive ſit eccleſiaſticus, ſive laicus) qui prævenit alterum per aliquem actum judicialem, etiam per ſolam citationem reo intimatam, ut adeo Judex alter, præventus nempe, non poſſit ſe amplius immiſcere, *l. 7. ff. de Judic. c. 8. de off. deleg. in 6.* ubi enim cœptum eſt Judicium, ibi & finem accipere debet, *l. 30. ff. de Judic.* Porro *cauſæ miſtæ* dicuntur, quæ pertinent ad plures & diverſos Judices *in ſolidum*, ſeu ſi plures Judices reſpectu ejuſdem cauſæ habent juriſdictionem *concurrentem* & ſeorſim, non *cumulativam*, & ſimul ſeu conjunctim; quod contingit vel in concurrentia fori, uti quando unus Judex eſt competens ratione domicilii, alter ratione delicti &c. vel ex qualitate ipſius cauſæ, quæ tam a laico quam ab eccleſiaſtico Judice tractari poteſt; quales ſunt vel civiles, vel criminales: *civiles* ſunt quæ quidem originaliter ſunt ſæculares, propter certam tamen qualitatem ſpiritualem, vel ex lege aliqua per-

pertinent ad forum utrumque, eccleſiaſticum & ſæculare, ad neutrum privative, uti contractus, quibus adjectum eſt juramentum; teſtamenta laicorum, quibus inſerta ſunt pia legata, vid. P. Friderich de *for. comp. p. 5. c. 5.* §. 1. aut viciſſim quæ originaliter quidem ſunt eccleſiaſticæ, ſed propter aliquam qualitatem temporalem ex conſuetudine etiam coram laico Judice proponi ſolent, v. g. ſi moveatur quæſtio facti (non juris) vel intentetur poſſeſſorium, non petitorium, ſuper cauſa ſpirituali vel eccleſiaſtica. *Criminales* miſti fori ſunt delicta, quæ utramque Rempublicam offendunt, atque ideo tam a jure canonico quam civili certæ in illa pœnæ ſtatuuntur, uti blaſphemia, perjurium, magia, aſſaſſinatus, crimen incendiariorum, fornicatio, concubinatus, inceſtus, adulterium, ſodomia, polygamia &c. Hodie tamen punitionem horum delictorum, ſi rei ſint laici, fere Judicibus ſæcularibus relinquunt Judices eccleſiaſtici.

21 Dico 13. Cauſæ feudales, quia nimirum inter vaſallos qua tales moventur, ordinarie ſpectant privative ad dominium directum ſeu ad eum, a quo ſua feuda acceperunt, etiamſi dominus ſit laicus, reus vaſallus vero clericus. 1.*Feud.* 18. *&* 2. *F.*55. §.2.*fin.* & maxime *c.* 6. *&* 7. *h.t.* ubi jus canonicum pro hoc ſpeciali caſu tribuit laicis juriſdictionem in clericos reos. Dixi 1. *inter vaſallos*; ſi enim inter vaſallum & extraneum, vel inter dominum & extraneum, oriatur lis: item ſi inter dominum & vaſallum, iſte vero neget ſe eſſe vaſallum, & *Pares curiæ*, h. e. plures vaſalli ejuſdem domini non exiſtant, Judex competens eſt, qui alias eſt ordinarius; ne dominus ſit Judex in propria cauſa: ſi vero dominus habeat pares curiæ, & lis eſt inter ipſum & vaſal-

ſallum ſuper re feudali, judicant pares curiæ; ſeu convaſalli; niſi aliud habeat conſuetudo, 2. *qua tales*, h. e. litigantes de re vel jure feudali, non de re alia, 3. *ordinarie*, niſi nimirum juſta adſit cauſa recuſandi dominum directum.

§. II.

De modis ſortiendi forum, ordinariis & extraordinariis.

22 Poſtquam conſtiterit, an ratione perſonæ, vel cauſæ, competens forum ſit eccleſiaſticum vel ſæculare, actori videndum ulterius eſt, quem Judicem ex eccleſiaſticis vel ſæcularibus adire poſſit vel debeat: plures enim poſſunt eſſe competentes, nimirum ratione vel *domicilii* aut *quaſi domicilii* ſeu loci, in quo reus contractum, ſuper quo lis eſt, celebravit: vel *delicti*, ſeu loci, in quo delictum commiſit, ſuper quo convenitur: vel *rei ſitæ*, ſeu loci, in quo ſita eſt res ſuper qua litem vult movere actor; hi enim ſunt quatuor modi communes ſeu ordinarii, quibus aliquis ſortitur forum, ſive ſubjicitur juriſdictioni certi Judicis in particulari. Præter quos ſunt & alii modi extraordinarii, quibus certo quis Judici ſubjicitur, nempe 1. ratione *privilegii*, quod obtinent certæ perſonæ, & certæ cauſæ, de quibus in præcedenti §. dictum, 2. ratione *præventionis*, de qua paulo ante, 3. ex *L. diffamari*, & ex *L. ſi contendat*, de quibus *n.* 2. *h. t.* egimus breviter, 4. ratione *reconventionis*, de qua ad *Tit. IV. de mutuis petitionibus*, infra 5. ratione *delegationis*, de qua *lib. I. tit. XXIX. de off. jud. deleg.* jam actum eſt, 6. ratione *prorogationis*, & 7. ratione *connexionis* ſeu *continentiæ cauſarum*,

rum, de quibus duobus ultimis hoc loco tractandum, uti & de 4. ordinariis modis.

23 Dico 1. Ut aliquis ſortiatur forum ratione *domicilii*, nempe privati & accidentalis, conſequenter ut fiat ſubditus, requiruntur duo, *factum & animus*, h. e. habitatio in aliquo loco actualiter cępta vel per momentum, & ſimul animus ſeu propoſitum ſtabiliter & perpetuo ibi manendi. 2. Ut autem ratione *quaſi domicilii*, requiruntur eadem duo, cum diſcrimine tamen ex parte animi; nam ad conſtituendum quaſi domicilium ſufficit & requiritur propoſitum manendi in loco per notabile tempus, v. g. per aliquot ſaltem menſes, aut per majorem, ut aliqui volunt, anni partem, ac non perpetuo; ut faciunt ſtudioſi, famuli, milites præſidiarii, negotiorum geſtores, mercatores. Proin ſi aliquis venit ad locum, ibi autem non intendit ſubſiſtere perpetuo, nec ad tempus notabile, etiamſi per accidens ibidem ſubſiſteret diu, v. g. per integrum annum, vel etiam per plures maneret peregrinus, & extraneus, nec fieret incola, & ſubditus. Pars 1. ſuſtinetur a pleriſque communiter ex *l 5. in f. l. 26. ff. de captivis*, *l. 2. C. ubi Senatores l. 7. C. de Incolis*. Pars 2. ſumitur ex *l. 19. §. 2. ff. de judic.* & communi DD. Dixi 1. *privati*; nam aliud domicilium vocatur *commune*, nempe omnibus Imperii Romani membris, in quacumque illius provincia exiſtentibus, quod olim erat Roma: hodie autem in foro civili ſublatum eſt conſuetudine: in foro autem canonico adhuc hodie Roma forum commune eſt reſpectu Clericorum, imo & laicorum in cauſis ſpiritualibus. Oliva *For. Eccleſ. p. 3. q. 25. n. 28.* eoque teſte omnes ex *c. fin. h. t.* itaut ibi in prima inſtantia conveniri poſſint; ſi tamen (ut recte limitatur, ne Curia

Ro-

Romana nimirum obruatur litibus, & inferiorum vilipendatur juriſdictio) Romæ exiſtant rei, & jus non habeant cauſam inde avocandi domum; & ſi cauſa non ſit ex majoribus, v. gr. circa fidem, Sacramenta, jura, obligationes, & immunitates ordinis clericalis &c. quæ reſervantur Summo Pontifici; cui etiam conceſſum eſt cauſas minores, ſi velit, avocare ad ſe, & immediate ad ſe confugientes audire. Dixi 2. *accidentalis*, ſeu *adſcititii*, vel *habitationis;* nam aliud eſt domicilium *naturale*, ſeu *originis*, quod eſt locus, in quo quis oriundus vel natus eſt, ſi pater ibi fuit incola, vel domicilium habitationis habuit. Hoc domicilium, poſtquam aliquis inde ſemel egreſſus alibi fixit domicilium habitationis, non amplius attenditur tam in foro civili quam canonico, excepta ſuſceptione ordinum, in ordine ad quos ratione originis fit aliquis ſubjectus Epiſcopo loci originis ſuæ, *c. 3. de tempor. ord. in 6.* Porro ſicut domicilium non acquiritur, niſi facto & animo, ita non amittitur niſi per utrumque, ſcilicet per diſceſſum actualem cum animo non redeundi, *text. & gl. in l. 20. ff. ad Municip.*

24 *Objic.* 1. Nemo eſt ita comparatus, ut velit pro omni eventu perſiſtere in loco, ubi habitare cępit: ergo ad conſtituendum verum domicilium habitationis non requiritur animus ſtabiliter permanendi in loco. 2. Animus perpetuo manendi in loco eſt internus, ideo latet: ergo, ſi requireretur talis animus, numquam foret certum, an aliquis ſit incola aut civis, vel tantum peregrinus; quod foret noxium Reipub. 3. Si quis relinquit ſuum domicilium cum animo alibi illud figendi, at nondum attigit, ſed adhuc eſt in itinere, iſte in illo alio loco jam cenſetur habere domicilium (alias enim nullibi haberet, quod dici nequit)

quit) ergo actualis habitatio jam cœpta non requiritur ad conſtituendum domicilium. Reſp. Ad 1. non eſt neceſſe, ut aliquis velit abſolute pro omni eventu perſiſtere in loco, ſed ſolum tamdiu, quamdiu non mutaverit mentem, vel rationabilis cauſa inde non avocaverit, adeoque ſufficit perpetuitas propoſita: id quod inſinuat etiam *lib. 7. cit.* verbis: ***unde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet.*** Ad 2. quamvis lateat animus, & per ſe introſpici nequeat, recte tamen colligitur ex quibuſdam ſignis, v.g. ex tranſlatione majoris partis bonorum ad talem locum: ex redempto vel impetrato jure civitatis: ex contracto matrimonio, vel adeptione beneficii in loco: ex longiori inibi habitatione &c. Ad 3. N. *ant.* talis enim recte dicitur pro illo tempore itineris nullum habere actu domicilium, & eſſe vagus, per *l. 7. §. 2. ff. ad municip.* per *vagos* enim intelliguntur illi, qui nullibi habent domicilium, vel verum, vel quaſi domicilium. Et iſti ſubjiciuntur Magiſtratibus locorum, ubi exiſtunt, ut ſentiunt plerique cum Panormit. in *c. fin. h. t. n.* 13. juxta illud: ***ubi te invenero, ibi te judicabo.***

25 Dico 2. Non modo ratione domicilii veri aliquis ſortitur forum, ut fiat ſubditus quoad actus juriſdictionis tam contentioſæ, ut obligetur legibus loci, & ibi judicialiter conveniri poſſit, quam voluntariæ, ut ibi ſuſcipere poſſit omnia Sacramenta, diſpenſari in votis, &c. Sed etiam 2. ratione quaſi domicilii. Pars 1. eſt certa apud pleroſque ex *l. 29. ff. ad Municipalem, & c. 17. h. t.* Pars 2. eſt prope certa (ſi excipias Sacramentum Ordinis) ex *l. 19. §. 2. ff. de Judic.* quamvis enim Durand. Delbene, & alii apud Sanch. *l. 3. de matr. d. 18. n. 8.* exiſtiment, eum, qui in loco non fixit domicilium, legibus & conſuetudi-

tudinibus loci non obligari, eorum tamen ſententiam pro practice probabili Suar. *l.* 2 *de feſtis c.* 14. *n.* 2. non vult agnoſcere.

26 Dico 3. Forum domicilii, veri, & quaſi domicilii, ita eſt univerſale, ut concurrat etiam cum foro contractus, delicti, & probabilius etiam rei ſitæ, h. e. penes actorem eſt, an eum, quem poſſet convenire in loco contractus, vel delicti, vel rei ſitæ, velit convenire in his locis, vel in loco domicilii communis ex *l.* 19. *ff. de juriſd. l.* 19. *§.* 2. *&* *§.* 4. *ff. de judic. c.* 17. *h. t.* ſaltem quoad concurrentiam cum foro contractus & delicti, licet contractus alibi ſit celebratus, vel delictum alibi ſit commiſſum, ſiquidem Judex domicilii acquirit & retinet juriſdictionem in incolam tanquam ſubditum, ubicumque locorum iſte exiſtat, *l.* 4. *§. Prætor ait ff. de damno infecto*, *c.* 3. *de dolo & cont.* Gail. 2. *obſerv.* 36. *n.* 12. Extendit ſe aſſertio probabilius etiam ad quaſi domicilium, ut talis in hoc loco conveniri poſſit ratione contractus alibi celebrati, & delicti alibi patrati, propter *l. fin. C. ubi de Crim.* ubi habetur, plagii reum conveniri poſſe, *ubi degit*, h. e. ut explicat gloſſa, *ubi converſatur*, *ut ſcholaris in ſcholis*, *licet domicilium non habeat*; nam verbum *degit* in propria ſignificatione denotat, & applicari poteſt tam quaſi quam verum domicilium habenti. Neque dicas, ſic verum & quaſi domicilium quoad effectum non differre; nam adhuc differunt, quia verum domicilium facit, ut quis ſubjiciatur etiam quoad onera & munera publica, non vero quaſi domicilium. Accedit praxis, de qua teſtatur P. Engel, licet nonnihil contrarius quoad theoriam. Dixi in aſſertione, & *probabilius etiam cum foro rei ſitæ*; ſic enim ſentit communior & mihi verior cum Panorm. Bart. Bald. &c. licet contradicat Jus Bavari-

varicum, D. de Baſſ. in 50. *deciſ. dec.*4. *n.* 10. & P.Friderich *de for.comp.n.*216. exiſtimantes, reum neceſſario conveniendum eſſe in loco rei ſitæ, ſeu in loco domicilii non poſſe proponi actiones reales, ſed tantum perſonales. Prob. 1. ex *l.* 3. *C. ubi in rem actio*, ubi, poſtquam per modum regulæ ſtatuit Imperator, ut actor ſequatur forum (id eſt domicilium) Rei, ſubjungit: *ſive in rem ſive in perſonam ſit actio*: ergo etiam actio realis in loco domicilii proponi poteſt, 2. ex *l. un.* C. *ubi de hæred.* ubi diſerte dicitur hæreditas petenda, *ubi domicilium habet, qui convenitur, vel ſi ibi, ubi res hæreditariæ ſitæ ſunt, degit*, 3. ex praxi, optima Legum interprete, de qua teſtatur Vultejus *in l. ult.cit.* Sed huic doctrinæ ultimæ

Objic. 1. In *l.* 3. *cit.* textus ſic habet; *ſed & in locis, in quibus res, propter quas contenditur, conſtitutæ ſunt, jubemus in rem actionem adverſus poſſidentem moveri*: ergo neceſſe eſt actionem realem moveri in loco rei ſitæ, & non in alio, 2. In *l.* 38. *ff. de Judic.* ſic præcipitur: *ſi legatus per in rem actionem petetur, etiam ibi peti debet, ubi res eſt*: ergo. 3. Actio realis reſpicit ipſam rem: ergo proponenda eſt coram Judice rei ſitæ. R. Ad 1. notandæ ſunt particulæ, *ſed &*; prius enim dictum erat, etiam in actione reali actorem debere ſequi forum ſeu domicilium rei, conſequenter per verba, *ſed & in locis, in quibus res conſtitutæ ſunt*, inſinuatur, utrumque forum eſſe competens, nempe disjunctive, domicilii, vel rei ſitæ. Ad 2. notanda eſt particula *etiam*, quæ, ſicut ampliat, ita implicat, ac aliud præſupponit, & in hoc textu aliud forum, nempe domicilii. Dein circa legati præſtationem poſſet eſſe ſpecialis ratio, & exceptio. Ad 3. *diſt. conſ.* coram Judice

dice rei ſitæ tantum, & neceſſario, *neg. conſ.* etiam, & non neceſſario, *c. conſ.* ac inverto argumentum: res & bona ſunt acceſſoria perſonis: ergo recte petuntur coram Judice perſonarum ea poſſidentium; cum acceſſorium ſequi conveniat ſuum principale, *c. 42. de R. J. in 6.*

27 Dico 4. Ratione contractus poteſt quidem aliquis conveniri in loco, ubi contractus vel conventio eſt inita mutuo conſenſu, licet alias Judici talis loci ſubjectus non ſit, *c. fin. b. t. c. 1. §. 3. eod. in 6. l. 19. ff. de Judic.* Limitatur tamen 1. niſi aliter ſit conventum inter contrahentes, & executio contractus vel ſolutio in alium locum determinatum collata, *l. 19. cit. §. ult. l. 21. ff. de O. & A.* tunc enim in tali loco reum convenire oportet, niſi actor malit eligere locum domicilii, quod cum aliis foris concurrere diximus, 2. niſi contrahens ſciatur ſtatim abiturus, & in loco contractus moram non tracturus, per *l. 19. cit. §. 2.* Excipe ab hac limitatione, niſi aliud habeat conſuetudo, vel conventio ſpecialis obſtet: niſi contrahens de fuga ſit ſuſpectus: aut niſi contractum ſit de tali re, quæ mox dari debet executioni, ut ſi a peregrino emas equum, & pretium ſolviſti, 3. niſi contrahens ſit abſens, & jam diſceſſit, ac ante abitum e loco contractus non fuit præventus citatione, *c. 1. cit.* Excipe iterum, niſi agatur de reddenda ratione ſuper geſta aliqua adminiſtratione, v. g. tutelæ. *l. 1. C. ubi de Ratiociniis:* vel niſi ante citationem elapſus habeat alia bona in loco contractus; tunc ratione horum citari poſſet ad inſtantiam actoris a Judice loci contractus, non quidem eum in finem, ut contra non comparentem procedi poſſit in negotio principali, ſed ſolum ſub comminatione immittendi actorem in poſſeſſionem bonorum, ſi citatus non compareat, & ſa-

ſatisfaciat, *c.* 1. §. 3. *cit.* & hinc non obligatur abſolute ad comparendum, ſed alternative, vel ad comparendum vel ad patiendum immiſſionem in bona. Si quæras, an abſens a loco contractus, qui citatione præventus non eſt, poſſit vel debeat remitti ad locum contractus, ſi remiſſio petatur a Judice domicilii? Reſp. negat. quia nullum Jus tribuit poteſtatem Judici contractus remiſſionem petendi, & nullam imponit obligationem remittendi contrahentem Judici domicilii. Nec obſtat, quod delinquens, qui jam fugit ex loco delicti, poſſit, & ſubinde etiam debeat remitti ad Judicem loci delicti prævia requiſitione; quia jus & conſuetudo aliud diſponit de delinquente remittendo, & datur ſpecialis ratio, ut nempe tollatur ſcandalum ſcelere datum per punitionem delicti in loco, ubi datum, quod intereſt Reipublicæ, non vero intereſt ejuſdem, ut debitum expungatur in loco, ubi contractum eſt.

28 Quæres, an in loco contractus etiam agi poſſit ſuper diſtractu, h. e. ad reſciſſionem vel annullationem contractus? Reſp. cum diſtinctione: ſi contractus nondum ex utraque parte eſt impletus, v. g. nondum numerata pecunia, aut ſi laborat vitio intrinſeco, v. g. iniquitate uſuraria, tunc ad ejus ſicut impletionem, ita ad ejus reſciſſionem, vel nullitatis declarationem agi poteſt coram Judice loci contractus, per *l.* 14. *§. fin. C. de non num. pecun.* quia nomine contractus venit etiam diſtractus, & iiſdem uterque regulis continetur, ubi par utriuſque eſt ratio, per *l.* 13. *§.* 2. *ff. de acquir. poſſ.* Si vero contractus jam ex utraque parte eſt impletus, nulloque vitio laborat, ſed ſolum ex aliqua cauſa vel qualitate extrinſeca impugnatur, v. g. qui contrahens fuit minor, ad ejus reſciſſionem, vel

annullationem declarandam agi debet coram Judice domicilii, non contractus. Textus clarus in *l.2. C.ubi & apud quem cognitio in integrum*, & ibi Godefr. *lit. D.* Manz. *de in integr. reſt. tit.1. q.5. reſp.4.* quia per impletionem plenam contractus ſublata eſt actio ex eo orta, *pr. Inſt. quib. mod. toll. oblig.* conſequenter & forum in ea fundatum, per regulam *Acceſſorium 42. in 6.* Atque hoc modo Auctores extreme diſſidentes conciliat Petrus Barboſa, Aug. Barb. & Oliva apud & cum P. Vvieſtner *h. t. n. 45. ſeq.*

29 Dico 5. Ratione delicti poteſt quidem delinquens conveniri & puniri in loco, ubi delictum commiſit, licet ibi alias non ſit ſubditus, v.g. ratione domicilii, *c. 14. & fin. h. t. Auth. qua in provincia C. ubi de crim.* ut nempe exemplo pœnæ purgetur ſcandalum in loco, ubi datum eſt, & Reipublicæ per delictum læſæ ſatisfiat. Locus autem delicti non eſt ille dumtaxat, ubi delictum eſt conſummatum, ſed etiam ubi eſt inchoatum, vel de eo patrando mandatum datum, *l. 1. C.eod.* Quod ſi in uno loco inchoatum; vel cauſa poſita, v.g. exploſum ſclopetum &c. in alio autem conſummatum delictum, item ſi in confinibus ſit perpetratum, itaut neſciatur, in quo territorio patratum ſit, utriuſque territorii Judex eſt competens, & datur locus præventioni, per *l. 19. pr. ff. comm. divid.* Limitatur tamen aſſertio in tantum, ut procedat de caſu, quo delinquens adhuc eſt præſens; ſi enim ex loco delicti jam fugiſſet, tunc facienda eſt diſtinctio: vel ante fugam fuit citatus, ſeu citatione præventus, & iterum citari poteſt, ac, ſi non compareat, contra eum procedi, non quidem per ſententiam definitivam, ſed ad annotanda ejus bona, vel ad immiſſionem in ea, vel ad bannum, aut excommunicationem, *l. 1. ff. de requir. vel*

ab-

abſentib. Vel non fuit præventus citatione, & de jure citari non poteſt amplius propter defectum juriſdictionis, *l. fin. ff. de juriſd. c.* 2. *de conſt. in* 6. ſaltem ſi conſtet, in quem locum aufugerit. Si vero non conſtet, ubi lateat, poterit citari per edictum publicum, in loco publico affixum. *Nov.* 134. *c.* 5. Interim tamen teſte Carpz. *p.* 2. *pract. crim. c.* 110. *n.* 47. vi conſuetudinis cauſa criminalis agitatur contra abſentem etiam non præventum citatione. Idem, ſi habeat delinquens bona in loco delicti, poterit adhuc citari vel per edictum, vel per litteras mutui compaſſus, ad hoc, ut compareat & ſatisfaciat: ſi non compareat, annotatio bonorum ac immiſſio in ea decerni. P. Schmalzgrueber *hic n.* 61. Porro ſi delinquens eſſet prædo, latro, graſſator, vel alius Reipublicæ perturbator, poſſet eum Judex delicti in alieno etiam territorio perſequi, & capere, ac illi Judici, ubi capitur, ſiſtere. *Receſſ. Imp.* Auguſtæ 1559. §. 22. *ſeqq.* Sic etiam Prælatus Regularis ſuum Religioſum fugitivum ubique locorum, ubi deprehenderit, capere poteſt, maritus uxorem, dux, belli militem, &c. utpote ſibi perſonaliter adſtrictos, *arg. l.* 1. *C. ubi quis de curiali.*

30 Quæres, quid poſſit, vel debeat facere Judex loci, in quem fugit delinquens? R. 1. de Jure ſcripto nec capere, nec judicare, ſi in tali loco non ſit ſubditus ex alio capite, v. g. domicilii, poteſt, imo nec remittere ad locum delicti, ſi non requiratur. Communis, deſumpta ex *c. fin. h. t.* ubi inter modos, quibus aliquis ſortitur forum, non reperitur deprehenſio vel commoratio rei, adeoque talis Judex juriſdictionem in fugitivum non habet. Interim tamen, ut plurimi teſtantur apud Clarum, ſolent Magiſtratu non raro hujuſmodi fugitivos in ſuo territorio deprehen-

ſbs judicare & condigna pœna afficere. R. 2. Si Judex loci, ubi delictum eſt commiſſum, per litteras *requiſitoriales*, ſeu, ut etiam vocantur, *mutui compaſſus* petat ad ſe remitti delinquentem, tunc quidem ſpectato Jure ſcripto *l. 7. §. ult. ff. de Accuſ. & nov.* 134. *c. 5.* requiſitus Judex tenetur remittere, ſi uterque eſt ſub eodem Principe ſupremo, v. g. Imperatore, Rege, Electore, &c vi tamen conſuetudinis iſta remiſſio non amplius eſt neceſſitatis, niſi Judex requiſitus careat juriſdictione ad condignam pœnam infligendam neceſſaria, ſed urbanitatis & benevolentiæ, petuntur inſuper litteræ *reverſales*; quod hæc remiſſio non ſit futura in præjudicium juriſdictionis Judicis remittentis. Si vero uterque Judex, requirens & ille, a quo petitur remiſſio, non ſint ſub eodem Principe, nec de Jure Romano datur obligatio remittendi. Quamquam autem, ut notat Pirhing *h. n. 29.* non teneatur requiſitus remittere delinquentem ad ſumendam vindictam publicam, tenetur tamen arreſtare reum, & compellere ad ſatisfactionem parti læſæ præſtandam, ſi rogatur a læſo.

31 Dico 6. Ratione rei ſitæ poteſt quis, etſi alias ratione ſuæ perſonæ non ſit ſubjectus, conveniri in loco, ubi res controverſa eſt ſita, 2. etſi abſens ipſe ſit a loco rei ſitæ, 3. vel lis moveatur ſuper re etiam mobili, modo ea vel ſtabiliter vel notabili tempore ſit in loco, 4. vel agatur tantum in poſſeſſorio. 5. Actio tamen perſonalis nequit intentari ratione rei ſitæ, niſi ſit in rem ſcriptam, uti v.g. eſt actio quod metus cauſa, petitio hæreditatis vel legati, actio familiæ erciſcundæ &c. Pars 1. eſt certa ex *c. 3. & fin. h. t. l. 1. & 3. C. ubi in rem actio*. Pars 2. prope certa ex *l. 2. C. eod. c. fin. §. fin. ut lit. non conteſt.* communi praxi & ſenſu DD. Pars 3. pariter ex

l. 3.

l. 3. *cit. & l.* 38. *ff. de Jud.* & ratione: quia Jura, dum ſtatuunt forum rei ſitæ, plerumque non diſtinguunt inter res mobiles ac immobiles, & mobiles quoque, ſi notabili tempore exiſtant in aliquo loco, recte dicuntur *ſitæ & conſtitutæ* in loco, quibus verbis utuntur Jura. Si tamen cum re, quam prætendis eſſe tuam, alius ſolummodo tranſiret in loco, nec ibi per aliquod tempus ſubſiſteret, vindicare eam non poſſes in loco tranſitus ratione *rei ſitæ*, ſed, ſi furto forſan tibi eſſet ablata, ratione *delicti;* vel ſi tranſiens cum re eſſet de fuga ſuſpectus, poſſes agere ad illam ſequeſtrandam vel arreſtandam, *l.* 7. §. 2. *ff. qui ſatiſdare cog.* ſi tibi tranſiens non præſtaret idoneam cautionem: Pars 4. ſumitur ex *l. un. C. ubi de poſſeſſ. & l. un. C. ubi de hæred.* ſiquidem cauſa poſſeſſionis tam arcte eſt confœderata cauſæ proprietatis, ut utraque coram eodem Judice ventilanda ſit, *c.* 1. *de cauſ poſſ. & propr.* & Judicia poſſeſſoria oriuntur vel fundantur in Jure reali. Pars 5. radicatur in *l.* 3. *cit. & l.* 25. *ff. de O. & A.* quia ſicut actio perſonalis ſequitur perſonam, ita actio realis & actio in rem, ſequitur ipſam rem, ſeu in loco rei ſitæ proponenda eſt, non vero actio mere perſonalis, quæ ſolum in foro perſonæ proponi debet: Conſpirat communis. *Objic.* Actiones poſſeſſoriæ, quæ in Jure vocantur *Interdicta*, omnes ſunt perſonales, *l.* 1. §. 3. *ff. de interdictis*, ibi: *interdicta omnia, licet in rem videntur concepta, vi tamen ipſa perſonalia ſunt;* ſed actiones poſſeſſoriæ poſſunt proponi in loco rei ſitæ, uti docuimus paulo ante: ergo etiam actiones perſonales. R. actiones poſſeſſoriæ ſeu interdicta vocantur perſonalia non ideo, quod ſequantur actiones perſonales, & non imitentur potius naturam actionum realium, cum *videantur concepta in rem*,

ut loquitur textus; ſed ideo quia ex voluntate Prætoris ſtringunt ſolummodo certas perſonas; ſere ſicut ſervitus, licet ſit jus reale, dicitur perſonalis, quando adhæret certæ perſonæ, qualis ſervitus eſt uſusfructus.

32 Dico 7. *Prorogatio*, per quam quis forum per accidens ſortiri poteſt, alias non ſubjectus, nihil aliud eſt, quam *extenſio jurisdictionis Judicis, ceteroquin non competentis facta conſenſu Partium litigantium*, nempe vel de perſona in perſonam, de re ad rem ſeu de cauſa ad cauſam, de tempore ad tempus, de loco ad locum, ad quas & pro quibus jurisdictio alias non daretur in Judice. Text. & DD. in *l.* 1. 2. *ff. de Judic. & c.* 40. *de offic. deleg.* Unde apparet 1. quod is, cui prorogatur juriſdictio, jam aliunde inſtructus eſſe debeat aliqua juriſdictione ſimili & ſufficiente ad judicandam cauſam vel perſonam, quia partes litigantes, utpote homines privati, tribuere de novo juriſdictionem nequeunt, vel juriſdictionis pro aliqua cauſa aut perſona incapacem habilitare. Unde Judici laico propogari nequit juriſdictio in Clericos & Religioſos, nec in cauſa ſpirituali, nec alteri cuicumque in cauſa feudali ſine conſenſu domini directi, nec in cauſa ſpecialiter reſervata Principi, aut quam iſte ad ſe avocavit, ſaltem ſine Principis conſenſu. Apparet 2. quod litigantes ſcire debeant, tali Judici hic & nunc in ſe, vel in hanc cauſam, vel in hoc loco, aut tempore juriſdictionem non competere, & independenter a ſuo conſenſu; quia errantium nullus eſt conſenſus, *l.* 2. *cit.* ſufficit autem conſenſus etiam tacitus, quem indicant ipſo facto, v. gr. comparendo, & exceptionem fori declinatoriam non opponendo. Ceterum licet Imperii Statibus, præſertim Electoribus, conceſſum hodie ſit privile-

legium *de non evocando* ſuos ſubditos ad Judicem alium & extraneum, imo & eorum cauſas alibi jam introductas pro qualitate rei avocandi ad ſua tribunalia; tamen adhuc hodie etiam in foro civili prorogatio voluntaria (de legali ſeu neceſſaria, quæ fit per reconventionem, de qua ad *tit. de mutuis petit. infra*, per ſe clarum eſt) locum habere poteſt, & ſolet, ut obſervat Strick. *in uſ. mod. pandect. tit. de juriſd.* §. 21. & Manzius *in Deciſ. Palat. q.* 97. *n.* 14. 15. aliique contra multos; quia Status Imperii poſſunt recte non uti ſuo privilegio, vel intra territorium ejuſdem Principis prorogatio fieri.

33 Dico 8. Clerici & Religioſi, a juriſdictione Epiſcopi alias exempti, non poſſunt Epiſcopo per viam prorogationis ſe ſubjicere in iis, quæ pertinent ad juriſdictionem contentioſam, ſine conſenſu Papæ, 2. bene tamen in iis, quæ concernunt juriſdictionem voluntariam, uti eſt abſolutio a peccatis & cenſuris, diſpenſatio in jejuniis, votis, irregularitatibus &c. Religioſis tamen propter votum obedientiæ ad hoc opus eſt Superioris ſui licentia, niſi irrationabiliter hanc negaret Prælatus, 3. nec laicis permiſſum eſt in cauſis ſpiritualibus Epiſcopo alieno ſine conſenſu proprii ordinarii prorogare in ſe juriſdictionem etiam voluntariam, v. g. petere diſpenſationem in votis, impedimentis matrimonii, ſuſcipere Sacramenta Ordinis, Confirmationis &c. 4. licet iidem valeant in cauſis profanis Judici eccleſiaſtico ſe ſubjicere per prorogationem. Pars 1. fundatur in *c.* 2. *de in integ. reſtit.* ubi habetur, Pontifici per exemptionem acquiri jus in exemptos, quod proin per ſubjectionem ad inferiorem ſine ipſius conſenſu lædi exiſtimant DD. ſatis communiter. Pars 2. quam tenent Silv. Sanch. Laym. P. Vvieſtner

contra Panorm. & Suar. *de Votis c.* 11. *nu.* 7. ſuadetur inde, quod Papa haud immerito credatur tacite conſentire, ne privilegium exemptionis redundet in diſpendium exemptorum; ac ipſi deterioris fiant conditionis, quam non exempti, contra *c.* 61. *de R. J. in* 6. Pars 3. deſumitur ex *can.* 10. *cauſ.* 16. *qu.* 1. *c.* 3. *de Paroch.* & Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 8. *de reform.* Suffragantur DD. communiter & teſte Oliva etiam praxis. Pars 4. tum ex *can.* 43. *cauſ.* 11. 4. 1. Ibi, *cum privatorum Chriſtianorum cauſas Apoſtolus etiam ad Eccleſiam deferri, atque ibi determinari præcipiat*, tum ex communi DD. tum ex ratione, quia Judex eccleſiaſticus non eſt incapax juriſdictionis in cauſa profana, & in perſonas ſæculares; ſicut tamen vice verſa Judex laicus eſt incapax juriſdictionis in cauſa ſpirituali, & in perſonas eccleſiaſticas.

34 Dico 9. Connexio vel continentia cauſarum, per quam forum per accidens ſortiri quis poteſt, alias non ſubjectus, eſt *colligatio rerum controverſarum, ut ſeparationem non patiantur, ſed uno eodemque Judicio terminari exigant.* Unde cauſæ *connexæ* ſeu *continentes* dicuntur, quæ communem habent liquidationis & diſcuſſionis rationem: quod variis modis fieri poteſt, 1. ratione perſonarum, contra quas agitur, ut ſi plures ſint cohæredes, tutores, ſocii, debitores &c. diverſi alias fori: vel ſi idem reus res, quas peto, habeat ſitas in diverſis territoriis, 2. ratione rei controverſæ, de qua plures quæſtiones vel principaliter vel incidenter deducuntur in Judicium, v. g. ſi ex cauſa adulterii agas ad divortium, & ad lucrandam dotem: ſi contendas de rei poſſeſſione & proprietate ſimul vel ſucceſſive; ſi ex eadem cauſa agas criminaliter & civiliter, 3. ratione actionis, ſi ex ſe ſit vel

gene-

generalis, quæ ſe extendit ad res diverſas, ut eſt petititio hæreditatis, actio tutelæ, negotiorum in diverſis locis vel ſuper diverſis rebus geſtorum: vel ſi ſit *præparatoria* reſpectu alterius, ut actio ad exhibendum ad rei vindicationem: vel ſit *præjudicialis*, ut eſt actio vel quæſtio de ſtatu, v. g. an ſis filius legitimus, in ordine ad petitionem hæreditatis, quæ actio à priori dependet, 4. ratione integritatis, ut ſi una pars debiti petatur ab uno Judice, abeodem & alteram peti convenit,

35 Dico 10. Cauſæ connexæ regulariter coram Judice, coram quo una jam eſt cæpta, tractari debent, ſi Judex reſpectu omnium, tam cauſarum quam perſonarum, eſt competens. Ita communiter DD. ex *l.1. & 2. ff. de quib. reb. ad eumd. Jud. eatur, l. 10. C. de Judic. l. 1. C. de ord. cognit. c. fin. de reſc. c. 1. de cauſ. poſſ. & propr.* ex quibus hanc regulam ſtatuunt: *continentia cauſarum non eſt dividenda:* ſeu, *cauſæ connexæ non ſunt dividendæ*. Ratio eſt, ut lites contrahantur, parcatur ſumptibus, cauſæ facilius terminentur, & ſententiæ contrariæ evitentur. Dixi tamen 1. *regulariter;* nam neceſſario dividi debent, quando Judex, apud quem cauſa jam eſt introducta, quoad alteram connexam eſt incapax juriſdictionis, uti Judex laicus reſpectu cauſæ ſpiritualis vel eccleſiaſticæ incidentis: ſi vero ante introductionem cauſæ detur connexio cauſæ ſpiritualis cum profana, vel clericus conveniendus cum laico correus, vel cohæres &c. conjungatur; ne fieri oporteat diviſionem, adeundus eſt Judex eccleſiaſticus, ut notant DD. *arg. l. 1. 2. C. de ord. judicior. & l. 5. C. Arbitrium tutelæ*, & ideo dixi 2. *Si Judex reſpectu omnium &c.* Id quod plurimi etiam dicunt de caſu, quo clericus & lai-

cus ſunt correi ejuſdem delicti; quamvis alii ſat multi, qui pro ſe allegant praxim, velint, cauſam dividendam, & clericum coram eccleſiaſtico, laicum coram ſæculari Judice conveniendum eſſe. Dixi 3. *continuari debent*, h. e. licite non dividuntur, & apud diverſos Judices ventilantur: ſi tamen dividerentur, valeret Proceſſus, niſi contra diviſiones pars exceperit.

TITULUS III.

De oblatione libelli.

SUMMARIUM.

1 *Quid, & quotuplex ſit libellus.*
2 *Qualis cauſa exprimi debeat in libello.*
3 *An actio quoad nomen ſpecificum.*
4 *An plures in eo actiones cumulari poſſint.*
5 *Quid, ſi libellus ſit ineptus, vel vitioſus.*
6 *An eum mutare liceat, vel emendare.*
7 *Quis ſit effectus libelli.*
8 *Quid, & quotuplex ſit Citatio.*
9 *An hæc ſit neceſſaria.*
10 *Quinam ſint citandi.*
11 *Quis ſit effectus Citationis.*

1 Libellus in genere dici poteſt omnis Scriptura: ſpecifice autem & huic loco proprie accepta definitur eſſe *ſcriptura brevis ordinata & clara, continens intentionem Actoris, eamque demonſtrans Judici & Reo.* Alio nomine dicitur *Memoriale.* Poſtquam enim actor cognovit, quis Judex ſit competens, in ſcripto (ſi inſtituatur Judicium Ordinarium) Judici offerre debet libellum rite ordinatum, ut exinde appareat, *quis, quid, coram quo, quo jure petat,*

petat, & a quo. Unde in libello, quia dirigit totum Proceſſum, illique, nempe petitioni, conformis debet eſſe ſententia, exprimenda ſunt (præter Judicem, qui exterius, actorem, qui in calce ſcribitur, & reum) hæc tria, 1. *narratio* ſeu ſpecies facti cum ſuis circumſtantiis, 2. res quam actor petit: & hæc pars libelli vocatur *petitio*, vel *concluſio*, eſtque præcipua, atque exinde colligendum eſt genus actionis, uti & ex medio ſeu cauſa petendi, 3. *medium* ſeu jus vel cauſa, ex qua petat: quæ duplex eſt, proxima & remota: *proxima* in actione perſonali eſt obligatio, *remota* autem contractus vel quaſi, ex quo obligatio orta eſt: in actione reali *proxima* eſt dominium, *remota* titulus vel modus, quo acquiſitum eſt dominium vel jus reale, uti ſunt contractus & teſtamenta. His addi ſolet clauſula, ut vocant, ſalutaris per hæc vel ſimilia verba: *ſuper his omnibus peto mihi jus & juſtitiam adminiſtrari omni meliore modo & forma, qua de Jure, Statuto, vel conſuetudine fieri poteſt, ac deſuper imploro officium Judicis.* Hæc clauſula ſanat minora libelli vitia, & obligat Judicem, ut actori, ſi vicerit, adjudicare debeat fructus cum re, & ſuper expenſis pronuntiare; ad quod neutrum fuiſſet obligatus, ſi de fructibus & expenſis ſpecialis mentio facta, & dicta clauſula poſita non fuiſſet in libello, vel ſaltem in litis decurſu. Judex accepto libello debet ejus copiam mittere reo per apparitorem vel curſorem, una cum citatione, & conceſſo ſpatio 20. dierum (quod tamen a Judice reſtringi poteſt) ut reus deliberare poſſit, an litigare in Judicio, vel Actoris petitioni cedere malit. Unde hic etiam de *Citatione* agendum. Quæ hucuſque dicta ſunt, fere procedunt de *Libello Conventionali*, vel *Civili*; nam in *Querimoniali* ſeu *Criminali*, cujus objectum eſt

cauſa criminalis criminaliter tractanda, finis autem non intereſſe accuſatoris, ſed vindicta publica reo infligenda, omittitur *Concluſio;* quia Lex ipſa concludit, & vel certam delicto pęnam determinat, vel Judici determinandam relinquit.

2 Dico 1. Si inſtituatur actio realis, ſufficit exprimere cauſam proximam, v. g. peto hanc domum, quia mea eſt jure dominii: ſi vero actio perſonalis, neceſſe eſt etiam exprimere cauſam remotam, v. g. peto centum mihi debitos ex mutuo, depoſito &c. *c. fin. h. t.* Ratio diſparitatis eſt, quia res nonniſi ex una cauſa poteſt eſſe noſtra, *l.3. §.4. ff. de acquir. poſſeſſ.* ex pluribus autem cauſis eſſe debita, quæ omnino ſunt diverſæ rationis. Et hinc, quia idem fundus poteſt eſſe alicui devinctus ex pluribus titulis ratione *hypothecæ*, quia varia eſt, una gaudens jure prælationis, alia non, ſi inſtituatur actio hypothecaria, licet realis ſit, oportet etiam cauſam remotam exprimere.

3 Dico 2. Non eſt neceſſe, ut nomen actionis exprimatur conceptis verbis in libello, modo ita ſit formatus, ut ex contextu erui poſſit genus actionis. Text. & DD. in *c. 6. de Judic. l. 69. de fidejuſſ. & mandat. l. 3. C. ad SC. Maced.* Suffragatur praxis in utroque foro, optime explicans jus civile, quod quibuſdam videtur dubium. Objic. in *c. 1. de mutuis petit.* mandat Pontifex, ut *actione propoſita negotium terminetur:* ergo debet exprimi actio. Reſp. ita, ut ex contextu deprehendi poſſit actio, *c. conſeq.* debet exprimi quoad nomen, *n. conſ.*

4 Dico 3. In eodem libello cumulari poſſunt plures actiones, modo aliunde non ſint incompatibiles, *l. 11. ff. de juriſd.* ne nimirum neceſſe ſit plura inſtitui Judicia. Incompatibiles autem ſunt, quæ vel ex nullo capite connexionem

nem habent: vel ex eodem fonte deſcendunt; & ad eumdem finem tendunt, ut condictio furtiva & rei vindicatio ex furto competens: vel contrariæ ſunt, ut petitio hæreditatis ex teſtamento, & ab inteſtato.

5 Dico 4. Libellus *ineptus*, in quo nempe nec ſubſtantialia rite expreſſa ſunt, ita ut jus agendi inde concludi nequeat, etiam per benignam interpretationem, rejici a Judice debet, licet Reus nihil opponat, adeoque iſte abſolvendus eſt ab inſtantia, actor vero condemnandus in expenſas *c.15. de Judic.* quia libello debet eſſe conformis ſententia per *c.31. v.eoſemper de Sim.* Libellus autem *vitioſus*, qui nempe peccat in accidentalibus, ut ſi eſt obſcurus, incertus, alternativus, vel nimis generalis, ſuſtineri abſolute poteſt, ſi Reus non contra excipiat, vel ſi habeat clauſulam ſalutarem, vel ſi Judex benigna illum interpretatione reſtituat per *l.7. ff. de injur. l.fin. C. de Annali except.* Imo *alternativus* ſuſtineri debet, quando tantum disjunctive aliquid debetur, vel cum aliqua incertitudine, uti & *generalis*, quando agitur judicio ſeu actione generali, v. g. actione tutelæ, item in petitione fructuum, expenſarum, intereſſe; quia hæc acceſſoria ordinarie non ſunt determinata, antequam ſuper illis cognoſcatur.

6 Dico 5. *Mutare* libellum, h. e. mutare in ſubſtantia, poſt litem conteſtatam non amplius licet Actori, *l 23. ff. de Judic. arg. l.21. §.1. ff. qui teſtam. fac.* bene *emendare* h. e. aliquid addere, vel demere, quod ad ſubſtantiam non pertinet, v. gr. obſcura declarare, fructus una cum re, vel expenſas petere; quod licet uſque ad concluſionem in cauſa *c.15. l.21. citt. l.23. ff de Judic. l. 3. C. de edendo.*

7 Dico 6. Effectus oblati libelli & Reo commu-

municati ſunt. 1. Obligat porrigentem ad proſequendam cauſam. *Auth. qui ſemel C. quomodo & quando.* 2. Contra eumdem probat quoad ea, quæ in libello afferta ſunt *arg. l.*13. *C. de non num. pecun.* 3. Obligat Judicem, ut ferat ſententiam libello conformem *arg. l.*18. *ff. commun. divid.* Conformis autem erit, ſi concordet quoad rem petitam, quoad cauſam, & quoad actionem inſtitutam.

De Citatione.

8 Dico 7. Citatio eſt in jus (ſeu judicium) vocatio, mandato & auctoritate Judicis legitime facta. Text. & DD. *in l.*1. *ff. de in jus vocando l.* 68. *ff. de Judic.* nempe ad inſtantiam partis & per miniſtrum publicum ad id deſtinatum, cui, ſi juratus ſit, credere debet citatus etiam abſque litteris commiſſionem Judicis continentibus, ac ipſe Judex eidem de facta citatione. Dividitur 1. In *Simplicem & peremptoriam*: Illa eſt, qua Reus tantum ſimpliciter & abſque præciſa neceſſitate comparendi vocatur, ac de jure complectitur 10. dies, & ſi ad primam non compareat Reus, ſecunda tertiaque vice repetitur: iſta autem, qua Reus per vocem *peremptorie*, vel aliam ſimilem, quæ imponit neceſſitatem comparendi intra præfixum tempus (quod ſecundum jura ſunt 30. dies, adeoque tantum tempus, quantum habent tres ſimplices citationes), vocatur ſub comminatione de procedendo contra non comparentem, tanquam contra contumacem *l.*68. *ſeqq. l.*73. §.3. *ff. de Judic.* licet nulla citatio præceſſerit, & nulla ſequatur. Facta citatione nuntius referre id debet judici, quæ relatio eſt neceſſaria, & actis inferenda. Dividitur 2. In *verbalem & realem*: illa

illa fit verbis aut litteris per nuntium, ſive dein fiat in faciem Rei, ſive ad ejus domum ſolitæ habitationis, ſive, ſi Reus ſe occultet, aut nec ipſe, nec in ejus abſentia domeſtici velint citationem recipere, in ipſa domo deponatur, vel portæ domus affigatur. Iſta vero, nempe *realis*, fit per capturam vel manuum injectionem & corporalem apprehenſionem Rei, habetque locum in criminalibus, at præmiſſa brevi & ſummaria cognitione cauſæ, an crimen ſit adeo atrox, & indicia ad capturam ſufficientia, ac prudens fugæ timor &c. In civilibus vero ſolum tunc, quando verbaliter citatus contumaciter non comparet, vel bona, ex quibus creditori ſatisfieri poſſit, in loco non habet, & merito de fuga ſuſpectus eſt; vel ſi poſt ſuſceptum judicium improbe deſerat litem. Verbalis 3. ſubdividitur in *privatam & publicam*: illa fit privatim, vel in faciem Rei aut Procuratoris ejus, vel in ejus abſentia ad domum coram domeſticis, vel affigitur ad januam domus, uti dictum: iſta autem fit publice, nimirum vel per vocem præconis, vel per edictum in publicis locis affixum, ſaltem duobus v.g. ad valvas Eccleſiæ, & Curiæ. Habet hæc locum, quando Reus latitat, vel contradictores, aut, qui aliquid prætendunt, ſunt incerti, v.g. quinam ſint creditores defuncti in proceſſu ſubhaſtationis.

9. Dico 8. Citatio eſt ſimpliciter neceſſaria ad valorem judicii ſaltem, per *c.* 10. *de conſt. Clem.* 2. *de ſent. & re jud.* quia ſi abſens ſit Reus, & non citetur, ut poſſit audiri, & ſe defendere, negatur ipſi defenſio jure naturali omnibus permiſſa. Excipiuntur cauſæ notoriæ, & ea, quæ Judex poteſt facere ex officio ſuo, v.g. ſpecialem inquiſitionem inſtituendo in delinquentem.

10. Di-

10 Dico 9. Citandus eſt non modo Reus omnis, ſed etiam alii, quorum intereſt, ſeu quorum cauſa aliquo modo agitur. Ita enim exigit æquitas naturalis, & deducitur ex *l.39.ff. de adoption.* Nullus tamen, niſi ſubditus: quia citatio, & citationis executio, ſunt actus juriſdictionis contentioſæ, quæ exerceri nequit niſi in ſubditos.

11 Dico 10. Effectus citationis validæ ſunt. 1. Citatum adſtringit ad comparendum, niſi juſtam habeat exceptionem, v.g. fori declinatoriam propter Judicis incompetentiam. 2. Actorem obligat ad proſequendam litem coram Judice citante, itaut variare non amplius ei ſit conceſſum. 3. Operatur præventionem. 4. Inducit litis pendentiam, & rem, ſuper qua litigatur actione reali, facit litigioſam. 5. De jure civili interrumpit præſcriptionem odioſam, ſeu in odium negligentis inductam, qualis eſt præſcriptio 30. vel 40. annorum 6. dat jus procedendi contra contumaciter non comparentem, ac ſi eſſet præſens.

TITULUS IV.

De Mutuis petitionibus.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſint mutuæ petitiones, & quid operentur.*
2 *Quilibet poteſt reconvenire ſuum actorem.*
3 *An etiam Laicus Clericum coram Judice Laico.*
4 *In quibus cauſis procedat reconventio.*

1 PEr *mutuas petitiones* intelligitur *conventio*, quam inſtituit adverſus Reum, & *recon-*

reconventio, quam Reus, viſo libello, viciſſim inſtituit contra actorem, itaut mutuo a ſe aliquid petant, & uterque fiat ſimul actor & Reus. Siquidem reconventio *eſt actio contra actorem inſtituta a Reo convento coram eodem Judice, & durante adhuc judicio conventionis.* Si proponatur reconventio ſtatim initio litis; ante vel immediate poſt litis conteſtationem, operatur duplicem effectum. 1. Simultatem Proceſſus, itaut utraque cauſa ſimul ventilanda ſit *c.* 1. *h. t.* & ibi DD. ita tamen, ut de cauſa conventionis ſemper cognoſcatur prius, & pronuntietur, quam de cauſa reconventionis; utpote poſterius propoſita; niſi nempe alterutra cauſa celeritatem exigeret ob periculum in mora. 2. Prorogat jurisdictionem, ſeu Judicem, qui alias reſpectu actoris non fuiſſet competens, facit competentem, itaut actor coram eodem Judice teneatur reſpondere Reo, ſi hunc velit reſpondere ſibi *c.*1.2. *h.t.* *l.*14. *C. de ſent. & interlocut.* Si vero proponatur primum poſt alios actus judiciales, ſolum operatur prorogationem juriſdictionis, non ſimultatem Proceſſus.

2 Dico 1. Reconvenire quilibet Reus poteſt ſuum actorem, modo ut actor alias ſtandi in judicio capax ſit. Communis ex *l.* 14. *cit. & ſubjuncta auth.* cum æquitas ſuadeat, ut quis patiatur eumdem Judicem, ad quem traxit ſuum adverſarium: *quod quiſque juris in alterum ſtatuit, eodem ipſe utatur. Rubr. & l.* 1. *ff. quod quiſque juris*. Sed hinc

3 Quæres, an Laicus reconvenire poſſit Clericum coram Judice Sæculari, coram quo conventus a Clerico? R. 1. De jure ſcripto negative. Ita communior; quia jus Canonicum abſolute prohibet Clericos conveniri coram Judice Laico etiam in cauſa mere profana, tanquam a jurisdictio-

ctione Sæculari exemptos, uti demonſtratum in *tit. de foro comp.* Sed reconventio eſt aliqua conventio & ſpecies conventionis: ergo & reconventionem prohibet; ubi enim genus prohibetur, cenſetur & omnis ejus ſpecies prohibita *arg. l.147.ff. de R.J.* Nec minus exercetur jurisdictio a Laico in Clericum reconventum, quam in conventum. *Objic.*1. Si Clericus, conveniens Laicum coram Judice Laico, cadit cauſa, condemnatur a Judice Laico, etiam in expenſas, ſi temere litigavit: ergo Clericus, ſemel incipiens litigare per conventionem Laici coram Judice Laico, quod a jure ipſi permittitur, fit ſubditus iſtius: ergo etiam jus permittit ipſum reconveniri. 2. Reo permittitur omni jure defenſio contra Actorem: ſed reconventio Clerici eſt defenſio, qua utitur Reus Laicus contra actorem Clericum: ergo. R. retorquendo utrumque: ergo Clericus etiam in cauſa criminali coram Laico reconveniri de jure poteſt; quod fors nullus Catholicorum admittit. *In forma* ad 1. transmiſſo *antec.* nam quoad condemnationem in expenſas non male negatur, quia puniretur Clericus a Laico propter delictum: proin expenſæ tali caſu, quo temere litigaſſet Clericos, petendæ forent a Judice Eccleſiaſtico. *Neg. conſequent.* Illa condemnatio Clerici, cauſa cadentis, non facit Clericum Judici Laico ſubjectum, quia non eſt proprie condemnatio, poſitive tendens in clericum, ſed ſolum negative, dum Judex ferendo contra ipſum ſententiam ſolum declarat nihil juris competere clerico adverſus Laicum, & ſic iſtum potius poſitive & directe abſolvit a debito, quam jurisdictionem poſitivam exercet in clericum. Dein jus canonicum hoc ipſo, quod permittat Clericum convenire Laicum coram

Lai-

Laico, permittit eum condemnari, & hoc pacto juriſdictionem, ſi in hoc caſu condemnatio eſſet exercitium juriſdictionis, indulget, non vero permittit ullibi reconventionem clerici coram Laico, ſed potius prohibet, prohibendo abſolute & indiſtincte illius conventionem coram Laico. Ad 2. *diſt. min.* reconventio clerici in cauſa connexa cum principali eſt defenſio. *C. min.* & hinc in cauſa connexa admitto reconventionem clerici, ut ſi clericus conveniat Laicum ſuper debito actione mutui, Laicus vero reconveniat eundem ſuper debito actione venditi: vel ſi clericus Laicum conveniat ex empto, iſto vero illum de evictione. Ratio, quia reconventio in cauſa connexa habet rationem exceptionis, adeoque quaſi defenſionis naturalis, ſicut aliæ allegationes Rei; proin potius per modum exceptionis, quam actionis, proponitur reconventio. In cauſa non connexa. *N. Min. & Conſ.*

Nihilominus tamen R. 2. Spectato jure conſuetudinario affirmative, propter communem ſenſum DD. vi cujus clericum reconveniri in cauſa etiam non connexa coram Laico poſſe, & ſolere, plurimi imo plerique teſtantur & vix aliquis negare audet. In Bavaria tamen, ubi nec Laicos patriotas licet reconvenire in cauſa non connexa, ſecundum ſtatuta *tit.6. art.1.* talem conſuetudinem reconveniendi clericos non dari exiſtimo. *Objic.1.* Nulla ſuſtinetur conſuetudo contra immunitatem Eccleſiaſticam. *Bulla Cœnæ caſu* 15. ſed conſuetudo reconveniendi Clericos coram Laico adverſatur Immunitati Eccleſiaſticæ. 2. Reconventio fundatur in prorogatione juriſdictionis: ſed clerici nequeunt Laicis prorogare juriſdictionem in ſe. R. ad 1. *diſt. ma.* ſi conſuetudo non habeat conſenſum Pontificis vel tacitum vel legalem. *C. ma.* ſi

ha-

habeat, uti iſta. N.*ma*. Pontifex ſcit hanc conſuetudinem, & ſpecialiter non reclamat. Ad 2. *diſt. ma.* iterum: fundatur in prorogatione ex voluntate juris, & legislatoris. C *ma.* ex voluntate litigantium. N.*ma.* Non Clerici ex ſuo conſenſu, ſed Pontifex approbans conſuetudinem reconveniendi Clericos tribuit pro hoc particulari caſu juriſdictionem Judici Laico.

4 Dico 2. Reconventioni locus eſt regulariter in omnibus cauſis *l. 1. ff. de extraord. cognit.* *§. ult. Clem. 2. de V. S.* & DD. communiter. Excipiuntur tamen. 1. Cauſæ, a juriſdictione Judicis, coram quo facta eſt conventio, exemptæ, uti cauſæ ſpirituales reſpectu Judicis Laici. 2. Omnes cauſæ executivæ, quæ nimirum paratam habent executionem, & celeritatem judicii exigunt, uti ſi debitum eſt liquidum, vel confeſſatum, ſi agitur ſuper depoſito, commodato, ſpolio &c.

TITULUS V.

De Litis conteſtatione.

SUMMARIUM.

1 *In quo conſiſtat litis conteſtatio.*
2 *An ſit neceſſaria.*
3 *Quis ejus effectus.*

1 *Conteſtatio litis*, eſt conſtitutio Judici facta per petitionem unius & contradictionem alterius cum animo litigandi. Fit ergo per petitionem actoris, & congruam reſponſionem Rei in judicio, quibus declarant & conteſtantur voluntatem litigandi: quæ tria neceſſario concurrere debent, non tamen ſimultatè phy-

phyſica, ſed ſufficit moralis: nec abſolute neceſſaria ſunt verba & ſcriptura ſecundum ſtylum curiæ concepta, ſed etiam factum, quo declaratur petitio unius & contradictio alterius. *Contradictio*, inquam; non enim ſufficit, ſi Reus reſpondeat affirmative, vel dicat, *volo litigare*, vel excipiat, ſed contradicere intentioni actoris debet, & vel ſimpliciter *negare* libellum actoris, & ejus narrata, ut narrata ſunt; vel, ſi fateatur, quod actor petit, excipiat tamen, ſe jam ſolviſſe; ſed in hoc caſu, niſi ſolutionem neget actor, non ſit litis conteſtatio, bene tamen, ſi illam neget, quia Reus excipiendo fit quaſi actor; & tunc lis dicitur conteſtari *affirmative*. Pariter ſi Reus quidem reſpondeat negative, ſed cum proteſtatione de lite non conteſtanda, addens, ſe hæc dicere tantum informationis cauſa, litis conteſtatio juxta communem non eſt, cum hæc involvat animum litigandi; nam litis conteſtatio eſt quaſi contractus: nullus autem contractus vel quaſi ſine animo & conſenſu ſubſiſtit; nec quiſquam tenetur agere vel contrahere invitus. *Objic.* hæc proteſtatio, caſu quo Reus nihilominus reſpondet ad petitionem actoris, eſt contraria facto, adeoque nihil operatur. R. Hoc verum eſt tunc, quando quis per proteſtationem nititur aliquod factum tollere (nam factum infectum fieri nequit) non vero de caſu, quo aliquis proteſtando negat adeſſe animum talem, qualem alias factum indicare poſſet. Interim praxis quorumdam locorum dicitur non attendere ejuſmodi proteſtationem reſponſioni adjectam. Poſt litis conteſtationem, quæ dicitur eſſe *baſis ac fundamentum judicii*, actor ex libello deducit aſſertiones aliquas, quæ vocantur *poſitiones*, vel *poſitionalia*, quas autem ex illis negat Reus, appellantur *articuli*, nempe *probatoriales*, quos

proin

proin actor probare tenetur: quamquam in praxi ſæpe confundantur *poſitiones & articuli*.

2 Dico 1. Litis conteſtatio regulariter neceſſaria abſolute eſt ad valorem judicii ordinarii *c.un. h.t. l.* 1. *& auth. offeratur C. eod.* In judicio enim *ſummario*, quamvis aliqua Rei reſponſio & contradictio ſit neceſſaria, ſufficit tamen ſimplex & qualiſcumque, non vero requiritur ſolemnis conteſtatio litis, ſicut nec aliæ juris ſolemnitates. Dixi *regulariter*; nam litis conteſtatione opus non eſt. 1. In notoriis cauſis, & in omnibus, in quibus non requiritur oblatio libelli. 2. Caſu, quo Reus eſt contumax; tunc enim ex officio lis habetur pro conteſtata. 3. In cauſis, in quibus Judex procedit ex officio, uti ſunt cauſæ inquiſitionis, & quæ concernunt utilitatem publicam. Ubi tamen omittitur litis conteſtatio, primus actus judicialis, qui alias ipſam ſequitur, vim illius obtinet, ut ſi Judex incipiat cum conſenſu partium de meritis cauſæ cognoſcere. Pirh. *h.n.* 16.

3 Dico 2. Effectus conteſtatæ litis ſunt. 1. Inducit quaſi contractum inter litigantes, vi cujus neuter altero invito deſiſtere poteſt a proceſſu ante ſententiam *l.*13. *§.*2. *&* 3. *C. de Judic.* 2. Prorogat Judici juriſdictionem, ut tanquam ſuſpectus recuſari non amplius poſſit *l.* 52. *pr. ff. eod.* nec aliæ exceptiones dilatoriæ, aut fori declinatoriæ opponi *c.*20 *de ſent. & re jud. l fin. C. de except.* 3. Eliminat cautiones judiciales de *Judicio ſiſti*, de *judicatum ſolvi*, de *rato l. un. C. de ſatiſdando*. 4. Perpetuat actionem temporalem, ut duret 40.annis *l.*1. *§* 1. *C. de Ann. except.* 5. actiones pœnales facit tranſire ad hæredes & contra hæredes *§.*1. *inſt. de perpet. & temp. action.* 6. Interrumpit præſcriptionem longiſſimi, imo etiam longi temporis *l.*26. *C. de R V.* 7. Poſſeſ-

ſio-

ſorem bonæ fidei in ordine ad perceptionem fructuum conſtituit in mala fide juridica, & fictione juris, ut eos reſervare debeat victori *l.* 22. *C. eod. l.* 38. §. 7. *ff. de Uſuris*. 8. Impedit libelli mutationem, uti dictum. Reliqui effectus ſe prodent in decurſu quoad materias particulares.

TITULUS VI.

Ut Lite non conteſtata non procedatur ad Teſtium receptionem, vel ad ſententiam definitivam.

SUMMARIUM.

1 *Regula ponitur in rubrica.*
2 *Patitur tamen ſuas exceptiones.*

1 CUm litis conteſtatio ſit baſis & fundamentum judicii, hæc rubrica tradit regulam generalem, ne ante eam recipiantur teſtes, vel feratur ſententia definitiva, per quam dirimitur cauſa principaliter in judicium deducta. Si tales actus judiciales fiant, ſunt nulli *c.* 1. 2. *h. t.* Habet tamen hæc regula ſuas exceptiones. Unde

2 Dico. Etiam lite non conteſtata recipi poſſunt teſtes. 1. In cauſis, in quibus neceſſaria non eſt litis conteſtatio, uti in ſummariis, in cauſa inquiſitionis &c. & in caſu contumaciter non comparentis partis; ſed quomodo contra contumaces procedendum ſit, dicetur plenius ad *tit. XIV.* infra: hic noto, quod, ſi Reus contumaciter abſit in cauſa Matrimonii, vel in cauſa beneficii Eccleſiaſtici, v. g. electionis, & de tali cauſa liquido conſtet, etiam procedatur ad ſententiam definitivam. 2. In caſu, quo quis ri-

timet ſibi litem movendam; talis enim petere poteſt a Judice, ut ante omnem litem motam recipiat teſtes rei gnaros, etſi ſenes non ſint, vel alio profecturi *c.* 41. 43. *de teſt. Nov.*90. *c.*9. ne nimirum contingat ſuo tempore ſibi deeſſe copiam ſe defendendi; & hæc receptio teſtium dicitur fieri *ad perpetuam rei memoriam.* 3. In caſu, quo agens in cauſa civili advertit, litis conteſtationem tam cito fieri non poſſe, ex altera vero parte periculum eſt, ne ſibi interea teſtes ſubtrahantur, quia v.g. ſunt valetudinarii, ſenes, ituri ad bellum vel in longe diſſitum locum, aut oblituri eorum, de quibus ferre teſtimonium deberent, aut aliter impediendi; hujuſmodi enim teſtes recipi poſſunt ante litis conteſtationem *c.fin. h. t.* Hoc tamen non permittitur accuſatori cauſam criminalem criminaliter tractanti, licet permittatur Reo ad probandam innocentiam; quia præſtat nocentem dimittere, quam innocentem condemnare. Unde apparet, partes Rei, qui ad ſe defendendum poteſt producere teſtes etiam non ſenes, non diſceſſuros &c. tam in cauſis civilibus, quam in criminalibus ante litem conteſtatam, non item actor, qui ſolum ſenes &c. vel accuſator, qui nullos permittitur producere, in hoc eſſe favorabiliores, quam actoris vel accuſatoris.

TITULUS VII.

De Juramento calumniæ.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit Juramentum calumniæ, & malitiæ.*
2 *In quibus cauſis præſtandum, & quid operetur.*
3 *A quibus ſit præſtandum.*

1 Poſt

1 POſt vel cum litis conteſtatione præſtari, ſi exigatur, ab actore & Reo debet *juramentum calumniæ* (ſcil. vitandæ in Proceſſu) quo pars litigans jurat ſequentia. 1. Quod credat (adeoque eſt juramentum *credulitatis*, non *veritatis* ſeu ſcientiæ) ſe fovere juſtam cauſam. 2. Quod in judicio interrogatus veritatem dicere velit. 3. Nec falſa probatione uti. 4. Nec Judici nec alteri dare vel promittere quidquam ad corrumpendum judicium. 5. Nec ſuperfluas dilationes petere in fraudem & protelationem litis. Per has quippe cautelas cenſetur evitari calumnia; nam calumniari in civilibus cauſis eſt alios ſcienter & per fraudem vexare iniquis litibus, vel illas per fruſtrationes protelare. Differt a *juramento malitiæ* per hoc, quod iſtud exigatur ſolum ſuper articulo particulari, & toties, quoties oritur ſuſpicio ſpecialis de mala alterius fide, aut fraude, exigi poſſit: Juramentum vero calumniæ tantum ſemel (vel initio, vel ſaltem ante concluſionem in cauſa) ac ſimul ſuper tota cauſa generaliter præſtari debeat. Quoad alia fere conveniunt.

2 Dico 1. Juramentum calumniæ in omnibus cauſis etiam ſummariis, ita neceſſario præſtandum regulariter eſt, ſi ab alterutra parte exigatur, ut ejus omiſſio vitiet Proceſſum *c.* 1. 2. *h.t. in 6. Clem.ſæpe de V.S. § citationem l.*1.2. *C de jurejur. propter cal.* Atque ſi actor recuſet, cadit lite, ſi Reus, habetur pro confeſſo (interveniente tamen ſententia Judicis hanc pœnam infligentis) *c.fin.h.t.l.*2. *cit.§.*6. 7. Si autem præſtetur juramentum calumniæ liberat a calumnia præſumpta. *Objic.* 1. Si juramentum calumniæ ſolum tunc neceſſario præſtandum eſt, quando alterutra pars exigit, poterunt partes ei renuntiare: ſed hoc eſt falſum, & contra *l.*2. *cit.* §.4.

quia introductum eſt propter bonum publicum, & ejus omiſſio repugnat bonis moribus, utpote fovens fraudes & malitiam hominum. 2. Si pars a qua exigitur hoc juramentum, & non præſtatur, cadit inſtantia vel habetur pro confeſſa, tunc etiam id continget, quando Procurator præſtare recuſat *arg. c.fin. de confeſſ. in 6.* ſed hoc videtur nimis durum: ergo R.ad 1.poterant renuntiare tacite. *C.Ma.* expreſſe *N. Ma.* iſta prohibetur *d.l.2.* illa permittitur *c.1.h t. in 6.* Neque per tacitam renuntiationem, ſicut per expreſſam, foventur fraudes, & datur libertas calumniandi, quia tacite remiſſum adhuc exigi poteſt ab altera parte uſque ad concluſionem in cauſa, & a Judice imponi uſque ad ſententiam; in hoc igitur caſu plus operatur tacitum quam expreſſum. An vero per conſuetudinem abrogari poſſit exactio juramenti calumniæ, diſputant DD. Ego inclino in affirmativam, ſi conſuetudo eſt immemorialis, vel aliunde rationabilis propter periculum perjuriorum. Imo non deſunt, qui teſtentur, de facto in quibuſdam locis abrogatam eſſe in praxi, uti rariſſimum juramenti hujus uſum eſſe in inferiori Auſtria, & non niſi in cauſis reviſionum, & apud Conſiſtoria Eccleſiaſtica in cauſis appellationum adhuc præſtari, teſtis eſt D.Greneck *ad h. t. n.3.* In cauſis criminalibus, ubi agitur de vita & ſanguine a Reo recte non exigitur juramentum calumniæ propter manifeſtum periculum perjurii. Ad 2. *N.ſequel.* cum communiori ex *l. un.* §.2. *ff. ſi quis jus dicenti*, ex qua colligitur, delictum perſonale procuratoris non debere nocere domino innocenti. In *c.fin.cit.* non de juramento calumniæ, ſed de articulis poſitionalibus, ad quos reſpondere recuſavit Procurator, ſermo eſt: quæ culpa non tam perſonalis eſt

quam

quam realis, reſpiciens ipſam litem & merita cauſæ, adeoque & principalem onerat.

3 Dico 2. Jurare de calumnia debent non ſolum principales perſonæ, Actor & Reus *c.3. h.t. l.2. cit. junct. auth. principales* licet Clerici ſint vel Religioſi aut Epiſcopi, ſi in propria perſona & coram Eccleſiaſtico Judice proprio litigent *c 5. & fin. h.t.* Sed etiam 2. procurator particularis, ſi habeat mandatum ſpeciale *c. 2. & fin. eod. in 6.* qui proin duplex præſtare tenetur juramentum calumniæ, unum in animam propriam, alterum in animam ſui principalis. 3. Qui generalem bonorum alienorum adminiſtrationem habent, & nomine aliorum litigant, uti Syndici & Oeconomi nomine univerſitatum, Tutores & Curatores nomine Pupillorum & Minorum *c.4.6.7.h t.X.* at iſti jurant tantum in animam propriam, nec indigent mandato ſpeciali. 4. Advocati *l.14. §.1. C. de Judic.* ſi tamen in ſuſceptione muneris præſtiterunt juramentum generale, non jurant de calumnia in ſingulis cauſis vi conſuetudinis.

TITULUS VIII.

De Dilationibus.

SUMMARIUM.

1 *Quid, & quotuplex ſit dilatio.*
2 *An ſit in poteſtate Judicis prolongare, abbreviare, prorogare, vel novas concedere dilationes.*
3 *Quis illarum ſit effectus.*

1 DIlatio, prout eſt hujus loci, definitur eſſe *juſtum temporis intervallum ad ali-*

 quem

quem actum Judicialem melius expediendum, Reo vel actori datum a lege, vel a Judice, ut ſit ordinarie, *vel ex conventione partium*. Eſt quadruplex. 1 *Citatoria*, quæ in jus vocatis conceditur ad comparendum, habetque de jure terminum 10. dierum, vel, ſi diſtantia vocatorum eſt magna 30. ſi eſt *ſimplex*, &c, ſi citatus prius non compareat, ter repetitur; ſi vero ſit *peremptoria*, quæ tantum temporis complectitur, quantum ternæ ſimplices, requirit 30. dies: ſed Judex hoc debet exprimere per vocem *peremptorie* vel ſimilem. 2. *Deliberatoria*, quæ Reo indulgetur viſo actoris libello ad deliberandum, an litigare velit, vel lite cedere, complectitur de jure 20. dies: ea tamen opus non eſt, ſi libellus una cum citatione communicatus eſt Reo. 3. *Probatoria*, quæ poſt litis conteſtationem uſque ad concluſionem in cauſa ſtatuitur actori ad probandam intentionem ſuam, Reo autem ad exceptionem: de jure 3. menſes indulgeatur, &c, ſi probationes petendæ ſunt ex aliena Provincia, 6. menſes. 4. *Executoria*, quæ condemnato præfigitur ad ſatisfaciendum, de jure extenditur ad 4. menſes. In actionibus autem Realibus, & Criminalibus, ordinarie locum non habet.

2 Dico 1. Dilationes omnes, quæ conceduntur a Judice, ſpectato Jure Canonico, & recepta conſuetudine, ſunt arbitrariæ, ita ut, licet alias a legibus determinatum ſit temporis intervallum, Judex poſſit longiores vel breviores concedere pro negotii qualitate, & circumſtantiis perſonarum, aut diſtantiæ locorum, modo determinet tale intervallum, ut intra id commode actus judicialis perfici valeat, non decernendo longum vel breve nimis, ne pars alterutra merito poſſit conqueri per *c. 1. h. t.* & ibi & DD. Vallens *h. t.* §. 1. Gail. *l. 1. obſerv.* 53. *n.* 20, *obſerv.* 91. *n.* 20,

Lici-

Licitum quoque eſt Judici datas dilationes prorogare, ſi ex juſta cauſa videbitur, modo pars prorogationem petat ante lapſum termini prius conceſſi DD. communiter apud Gail. *loc. cit.* Imo etiam finito termino, ſi novum impedimentum incidat, vel nova probatio mergat, indulgeri dilatio ſecunda & tertia poteſt, non obſtante, quod dilationes probatoriæ ſint per ſe peremptoriæ (uti & deliberatoriæ) licet cauſam non exprimat Judex. Quarta vero dilatio, quam conceſſiſſe videtur *auth. Atqui C. de prob.* abrogata eſt per *receſſ. Imper. an.* 1654. §. 50. & hinc ſolemnitas legalis, quam requirit *auth. cit. & c.*4. *de except.* (nimirum prævia cognitio cauſæ, propter quam petitur dilatio, juramentum, quod non malitioſe petatur) adhiberi debet jam ante tertiam. De reliquo jura deteſtantur ſuperfluas dilationes, quibus protelantur lites. Trid. *ſ.* 25. *c.* 10. *in f. de ref. Objic.* A Judice nequeunt prolongari vel abbreviari 10. dies a jure ſtatuti ad appellandum, quia Judex in jure communi diſpenſandi poteſtatem non habet: ergo neque dilationes, a jure communi determinatæ, pro ipſius arbitrio mutari. R. *N. conſ. & parit.* nam illi 10. dies ad appellandum determinantur a jure ſimpliciter & abſque miniſterio Judicis, econtra terminus dilationum deſignatur, itaut Judicis miniſterium interveniat: & ſic ei poteſtas, ſaltem ſic interpretante conſuetudine, conceditur eas decernendi, prout viſum fuerit penſatis circumſtantiis.

3 Dico 2. Effectus dilationum eſt 1. quod conquieſcat officium Judicis, adeo ut, ſi quid ſuper articulo, ſuper quo conceſſa eſt dilatio, innovetur vel fiat, invalidum ſit *c* 1. *& l.*3. *C. h.t.*2. quod perimat actum, qui in termino dilationis fieri debuerat, & factus non eſt, ita

ut pars poſtea ſuper illo articulo non amplius audiatur. Bart. in *l.* 4. *C. b.t. n* 4. & alii paſſim. Notant tamen aliqui, hunc effectum in quibuſdam locis non adeo ſtricte obſervari, ſed ex ſuperabundanti indulgeri aliam dilationem *ſub pœna præcluſi*, ut ajunt: quam praxim pro juſta habere nolim, niſi pars terminum elabi ſinens afferat cauſam, quæ contumaciam purget; quia alteri parti per negligentiam compartis, in termino non agentis, videtur eſſe jus quæſitum, ut in cauſa pergatur.

TITULUS IX.

De Feriis.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſint feriæ.*
2. *Quis eas inſtituere valeat.*
3 4 *Quinam actus in feriis exerceri poſſint, vel non.*

1 **F***Eriæ*, nimirum judiciales, ſunt dies; in quibus a ſtrepitu forenſi & contentioſæ juriſdictionis actibus, qui nempe exercentur a Judice pro tribunali ſedente, conquieſcere oportet, *c.* 5. *l.* 5. *ff. b.t.* Aliæ ſunt *ordinariæ* ſeu *ſolemnes*, quæ quotannis *ordinarie ſolent* celebrari, & ſtatis diebus velut definitæ recurrunt: aliæ autem *extraordinariæ* ſeu *repentinæ*, quæ nulla lege ſtabili, ſed *extra ordinem* & pro negotiorum occurrentia *repente* ſeu inopinato emergente inducuntur a Principe vel Magiſtratu, v. g. ob partam victoriam, adventum Principis, graſſantem peſtem &c. Ambæ ſubdividuntur in *Sacras*, ſeu ad Dei vel Sanctorum ordinatas cultum, quales ſunt omnes dies Dominici & alii, qui feſtive celebran-
tur

tur in foro, tota hebdomada ſancta, & Paſchatis. Ac in *Profanas*, quæ ex cauſa profana & ob utilitates vel neceſſitates humanas vel ſtatis temporibus obſervantur, uti feriæ meſſis, vindemiæ, vel extra ordinem indicuntur ob peſtem, vel publicam lætitiam &c.

2 Dico 1. Ferias ſacras inſtituere poſſunt ſoli Principes Sacri ſeu Eccleſiaſtici, nempe Papa pro univerſali Eccleſia, & Epiſcopi per ſuam diœceſim. Profanas autem Principes & Magiſtratus ſæculares pro ſuo territorio. Pars prior ſumitur ex *can.1. d.3. de conſecr.c.fin h.t.* quia Laicis de rebus Eccleſiaſticis nulla eſt attributa poteſtas, quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi, ut loquitur *c.10 de conſtit.& c.fin. de reb. Eccl.alien.* Epiſcopus de jure indigeret conſenſu Capituli & Conſilio populi per *can.1. & c. fin. citt.* ex conſuetudine tamen dicunt non requiri conſenſum Capituli, aut populi conſilium, ſed ſufficere ajunt conſilium Capituli. Pars poſterior ex *l. 4. C. h. t.* & ibi gl. ac DD. *Objic.1.* Inſtrumentum pacis Religioſæ & Oſnabrug. *art.5.§.30.* jus Sacrorum annectit ſuperioritati territoriali etiam Principum Sæcularium. 2. Abſtinere a judiciis & ſtrepitu forenſi nihil eſt ſpirituale: ergo hæc abſtinentia præcipi poteſt a poteſtate Laicali. 3. Magiſtratus Laicus poteſt votum facere de celebranda alicujus Sancti feſtivitate in foro: ergo etiam hujuſmodi legem ferre, cum votum ſit lex privata. R. Ad 1. Illa Comitia ex meris fere Laicis conflata, nihil de Religione & Sacris potuerunt ſtatuere. Dein ibi aliud jus ſacrorum vel poteſtas circa ſacra non tribuitur ſuperioritati territoriali, quam quod nullus ſtatus immediatus Imperii in exercitio Religionis pro ſuo territorio impediri poſſit, & quod nullus alie-

næ Religionis a ſua exercitium in ſua ditione pati teneatur, relicta tamen poteſtate ſubditis, qui a Religione ſui Domini diſſentiunt, emigrandi. Si Acatholici plus ſibi arrogent, mirum non eſt, quia nullam amplius habent ſuperioritatem vere Eccleſiaſticam, poſtquam a vera fide defecerunt, & Epiſcopi Catholico ritu olim ordinati deſierunt. Ad 2. *diſt. ant.* nihil eſt ſpirituale, niſi ratione finis ordinetur ad cultum Dei & venerationem Sanctorum. *C.ſecus n. ant.* & ſub data diſtinctione *conſequentiam*. Ad 3. facere votum non requirit juriſdictionem ſacram, bene tamen ferre legem circa rem ſacram. Votum neminem ligat niſi voventes & conſentientes; bene tamen lex.

3 Dico 2. In feriis ſacris regulariter ita prohibitum eſt exercere actus judiciales juriſdictionis contentioſæ, ut etiam invalide exerceantur. 2. Non obſtante, quod partes conſentiant. 3. Idem eſt de feriis profanis ob cauſam publicam conſtitutis. 4. Si tamen utilitatem privatorum ſpectent, uti feriæ meſſium & vindemiarum, & partes conſentiant, valide ac licite exercentur. Pars 1. habetur *c.5. h.t.* Pars 2. *c. 12. de for. comp.* ubi dicitur, quod juri publico, vel publicam utilitatem vel cauſam ſpectanti, pactis privatorum derogari nequeat. Pars 3. *l.1. §.1. ff. h. t. & d. c.12.* Pars 4. ſumitur ex *c.5. & c.12. citt. l.29. C. de pactis* quia quilibet renuntiare poteſt favori propter ſe principaliter conceſſo. Ceterum in primo membro dixi 1. *regulariter*; nam excipitur 1. ſi inſtituatur judicium ſummarium. *Clem. ſæpe 2. de V. S.* ſi nimirum feriæ ob neceſſitatem hominum ſint indultæ. 2. Si aliud exigat neceſſitas, vel periculum ſit in mora, ut ſi ex dilatione foret periculum, ne res pereat vel dete-

terioretur, debitor fugiat, teſtes non amplius comparere valeant: ſi procedendum contra latrones: ſi petantur, vel conſtituantur alimenta: ſi ruſticani homines, multum remoti, vel laboribus occupati neceſſariis,ſine notabili incommodo comparere nequeant niſi in feriis, &c. cum neceſſitas etiam privata ex illicito faciat licitum *c.4. de R.J.*
3. Si aliud exigat pietas, ſaltem accedente periculo ex mora; ſic cauſa miſerabilium perſonarum, mercedum, pacis & concordiæ, imo omnes piæ & Reipublicæ cauſæ, in feriis tractari poterunt per *can.17.cauſ.22.q.5.l.43.ff. de relig. & ſumpt. fun.* Dixi 2. *Actus judiciales juriſdictionis contentioſæ*, uti ſunt citatio a Judice pro tribunali ſedente mandata, citatio per injectionem manuum, vel per publicam proclamationem facta, cognitio cauſæ in judicii loco, depoſitio teſtium ſaltem jurata, ſententiæ publicatio, & probabiliter etiam oblatio libelli, executio citationis per apparitorem, &c. Non tamen actus juriſdictionis voluntariæ, ſaltem ſi non requirant cognitionem cauſæ, uti eſt conceſſio privilegiorum, abſolutio, diſpenſatio, tutoris vel curatoris deſignatio, inſtrumentorum confectio, emancipatio &c. Text. & DD. in *c.5.cit. l.2. ff. & l.7. C. h.t.* Item ſi actus ne quidem judiciales ſint, uti appellatio, ferre arbitramentum (aliud eſt de actibus & laudo arbitri, quia hic inſtar Judicis procedit *l.1. ff. de receptis & l.7. cit.*) ferre cenſuras, ſi opus non ſit cognoſcere de cauſa, vel citare cenſurandum.

4 Dico 3. In feriis ſacris prohibetur quidem etiam mercatus, & opera ſervilia *c.1. & 3.h.t.* præcipitur e contra auditio Miſſæ *cc.var. de celebr. Miſſar.* Sed de mercatu, quo nomine hic præcipue veniunt publicæ nundinæ multa immutavit contraria conſuetudo. De operibus ſervilibus & auditione Sacri conſulendi ſunt Theologi Morales.

TITULUS X.

De ordine cognitionum.

SUMMARIUM.

1 *Plures quæſtiones in judicio concurrere poſſunt.*
2. *Regulariter cognoſcendæ & terminandæ ſunt eo ordine, quo ſunt propoſitæ.*

1 CUm ſæpius contingat plures quæſtiones, ſive ab eodem actore, ſive ab utraque parte propoſitas, concurrere in eodem judicio tractandas, ſi Reus viciſſim petat aliquid ab actore, & tunc datur *reconventio*, de qua ad *tit. de mutuis petitionibus* ſupra, vel excipit, & ſic novam quæſtionem per modum exceptionis, non actionis, proponit; ideo, ne oriatur confuſio, præſcribitur hic ordo, quo plures cauſæ inter eaſdem perſonas ac in eodem judicio propoſitæ examinari, tractari, ac definiri debeant.

2. Dico. Regula quidem eſt, quod cauſæ eo ordine, quo propoſitæ ſunt, cognoſcendæ & terminandæ ſint, ita nimirum, ut, quamvis cauſæ, quas vel idem Actor proponit, vel quando Reus aliam per modum actionis & reconventionis ſtatim initio litis movet, ſimul tractari debeant, ſemper tamen tam in cognitione, quam in prolatione ſententiæ præferenda ſit, quæ prius fuit propoſita *arg. l.29 ff. de jud. & c.54. de R.J. in 6.* ea tamen notabiles patitur exceptiones. 1. Niſi actor, qui plures propoſuit, velit unam citius tractari & finiri. 2. Niſi una ſit major altera: tunc enim præferenda eſt major minori, ut ſi una eſt criminalis, altera civilis, niſi illa ab hac dependeat *l.fin.*

C. de

C. de ord. judicor. can. 3. *cauſ.* 3. *q.* 11. Unde 3. niſi prior quæſtio in ſui cognitione & deciſione dependeat a poſteriore *c.* 3. *h.t. l.*16.*ſeqq. ff.de except. l.*37, *l.*62. *ff. de judic. l.*2.*C.de ord. judic.* v.g. ſi poſterior eſt *præparatoriæ* ad alteram, ut eſt cognitio de poſſeſſione ad cognitionem de proprietate, ut conſtet, penes quem ſit onus probandi proprietatem: vel ſi eſt *præjudicialis* ad alteram, v. g. petis hæreditatem paternam, ſed alius tibi objecit, te non eſſe filium, vel non eſſe legitimum; tunc enim prius cognoſci & pronuntiari debet de filiatione, vel legitimitate. 4. Niſi Reus per modum exceptionis moveat novam quæſtionem: vel enim exceptio eſt *peremptoria*, quæ tollit omne jus agendi in actore, & in continenti probari poteſt, & tunc utique prius illa diſcuti debet *c.* 1 *h.t.* ut ſi Berta te petat in conjugem, vel ut ſibi cohabites maritaliter, tu vero eidem opponas impedimentum conſanguinitatis; vel eſt *dilatoria*, per quam impeditur Proceſſus tamdiu, quamdiu non fuerit per deciſionem ſublatum impedimentum? v.g. ſi recuſas Judicem tanquam ſuſpectum, vel tanquam incompetentem &c. & utique hoc impedimentum debet prius removeri. 5. Niſi Reus non per modum actionis, ſed per modum exceptionis moveat actori civili quæſtionem criminalem, tunc enim non præfertur criminalis tanquam major, ſed utraque ſimul decidenda eſt *l.*3. *C. de ord.judic.* niſi civilis præjudicialis ſit reſpectu Criminalis; quo caſu illa omnino præferenda: ſive per modum actionis, ſive per modum exceptionis proponatur *can.*3. *cit.*§.*ſi crimen.* 6. niſi Reus per modum exceptionis objiciat actori ſpolium; tunc enim prius cognoſcendum eſt de cauſa ſpolii in ordine ad repellendum actorem *c.* 2. *h. t.*

P 6 TI-

TITULUS XI.

De plus-petitionibus.

SUMMARIUM.

1 *Quot modis plus peti poſſit.*
2 3 *Quæ ſit pœna plus petentis.*

1 PLus, ſeu ultra debitum, *petere* poteſt actor quatuor modis. 1. *Re*, ſi petat majorem ſummam, quam debeatur. 2. *Cauſa*, ſi petat aliquid determinate, v.g. certum equum, cùm tamen ſolum indeterminate, disjunctive, vel in genere debeatur, v.g. equus indeterminatus, aut equus vel 60. floreni disjunctive. 3. *Loco*, ſi petat in alio loco, quam conventum ſit. 4. *Tempore*, ſi petit ante diem conventum, vel, ante conditionis, ſub qua contractum eſt, eventum *c. un. h. t.* §. 33. *inſt. de action.*

2 Dico. Doloſe plus petens, & huic petitioni inſiſtens, de jure recentiori condemnatur Reo in expenſas, intereſſe, & damnum, quod inde ortum eſt Reo. 2. Plus vero petens tempore inſuper condemnatur in duplicatas inducias. Pars 1. habetur *d. c. un l. 1. 2. & 3. C. eod.* § 33. *inſt. cit.* ibi enim correctum eſt jus antiquum, vi cujus actor plus petens cadebat cauſa. Dixi tamen 1. *doloſe*, h.e. ſcienter, & ſine juſta cauſa; nam ſi errore vel ignorantia probabili id fecit, vel ſi debitor ſuſpectus eſt de fuga, aut in loco conſtituto nunquam reperitur, evadit omnem pœnam. Dixi 2. *huic petitioni inſiſtens*: ſi enim ante litis conteſtationem mutet libellum, vel ut probabilius eſt per *c. un. cit.* ſi adhuc ante ſententiam pœniteat, vel ſi Reus exceptionis plus-petitionis non ap-

po-

ponat, rurſus a pœna liber erit. Pars 2. ſumitur ex *d. c. un.* & §. 10. *v. hodie autem inſt. de except.* an vero per *duplicatas inducias* intelligatur totum tempus duplicandum, ut nempe, ſi reus intra unum annum fuiſſet obligatus ſolvere, actor citius petens condemnandus ſit ad expectandum per duos annos, an vero ſolum illud tempus duplicetur, quod actor contrahere voluit, v. g. uno menſe citius, quam annus elaberetur, petendo ſolutionem, & ſic duos dumtaxat menſes expectare jubendus ſit, variant DD. poſterior opinio videtur æquior, & *l.* 8. §. 7. *ff. de pœnis* conformior.

3 *Objic.* 1. Juxta §. 24. *inſt. de action.* & *l.* 2. *C. h. t.* Actor *re* ſeu quantitate plus petens condemnatur etiam in triplum ejus, quod viatoribus eſt præſtandum ratione majoris quantitatis in libello comprehenſæ: ergo non tantum in expenſas. 2. In *l.* 3. *C. eod.* Actor *re* plus petens dicitur cauſa cadere: ergo etiam de Recentiori adhuc jure cadit cauſa. R. ad 1. Illa pœna tripli jure canonico non reperitur, & in foro civili per univerſalem conſuetudinem abrogata eſt. Ad 2. ibi eſt ſermo de caſu ſpeciali, quo non tantum plus petitur quantitate, ſed etiam doloſe exigitur cautio a reo ſuper falſa quantitate petita. Et pro hoc caſu non correctum, ſed firmatum eſt jus antiquum §. 33. *cit.*

TITULUS XII.

De cauſa poſſeſſionis & proprietatis.

SUMMARIUM.

1 *Quid poſſeſſio, & quæ ejus commoda.*
2 *Quotuplex ſit poſſeſſio.*

3 *Quid*

3 *Quid ſit proprietas, ac dominium, plenum & non plenum.*
4 *Quid ſit cauſa poſſeſſionis & proprietatis, ſeu Judicium poſſeſſorium & petitorium.*
5 *Quando acquiratur poſſeſſio.*
6 *Et quomodo amittatur.*
7 *An poſſeſſor bonæ fidei teneatur cum re aliena in Judicio evicta reſtituere perceptos fructus formaliter extantes, item an quoque virtualiter extantes.*
8 9 *Quomodo acquiratur dominium, & amittatur.*
10 *Cauſa poſſeſſionis & cauſa proprietatis in eodem Judicio cumulari poſſunt.*
11 *Et utraque regulariter apud eumdem Judicem tractari debet, licet non cumuletur.*
12 *Conſultius eſt intentare poſſeſſorium quam petitorium; quia poſſeſſio facilius probatur, quam proprietas.*
13 *Quænam ſint remedia, quibus intentari poteſt petitorium, & poſſeſſorium.*

1 POſſeſſio facti eſt detentio rei poſſideri a jure non prohibitæ & aliquando apprehenſæ cum animo eam ſibi habendi. Communis quoad ſenſum ex *l.* 1. §. 3. & 20. *l.* 3. §. 3. *ff de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Unde tria ad hanc poſſeſſionem requiruntur, 1. apprehenſio, quæ in rebus corporalibus fit corpore, vere vel ficte, in corporalibus per uſum, vel exercitium alicujus juris, 2. animus rem ſibi habendi, ſeu intentio habendi rem ut ſuam, cum vel ſine opinione dominii, 3. non reſiſtentia Juris, vel perſonam reddentis incapacem poſſidendi, vel detentionem ita prohibentis, ut ea numquam habeat vim veræ poſſeſſionis. Quare multi hanc poſſeſſionem ſic definiunt: eſt *detentio rei concurrente corporis, animi,*

mi, & juris adminiculo. Dixi, *poſſeſſio facti*, nam poſſeſſio *juris*, quæ conſtituit tertiam ſpeciem juris realis, & velut effectus oritur ex rei detentione, eſt jus reale ſeu poteſtas inſiſtendi, & rem ſibi habendi, fruendique commodis inde provenientibus: quæ commoda & privilegia poſſeſſionis ſunt valde æſtimabilia; nam melior eſt conditio poſſidentis, *c.65. de R.J. in 6.* relevat regulariter ab onere probandi proprietatem, illudque rejicit in adverſarium: parit præſumptionem dominii; &, ſi longiſſimi ſit temporis, præſumptionem tituli: cauſat conditionem uſucapiendi, ſeu præſcribendi rem vel jus: tribuit jus adminiſtrandi rem pendente lite: dat poteſtatem repellendi invaſorem etiam per vim: fundat actionem realem, quæ appellatur *Publiciana*, vi cujus poteſt quis licet dominus non ſit, vindicare rem poſſeſſam ſibi ablatam adverſus quemcumque detentorem, excepto vero domino, & eo, qui cum titulo non infirmiore detinet. Aliqui poſſeſſionem naturalem vocant *facti*: & civilem appellant poſſeſſionem *juris*; de qua utraque nos ſtatim. Ceterum quamvis ad poſſeſſionem veram requiratur animus rem ſibi habendi, ſeu detinendi ut ſuam, qua de cauſa depoſitarius, commodatarius inquilinus, & alii, qui rem alieno nomine, & non ut ſuam detinent, veri poſſeſſores non ſunt, licet in poſſeſſione eſſe dicantur in *l. 10. ff. de acq. vel amitt. poſſ.* tamen non eſt neceſſe, ut aliquis credat, rem eſſe ſuam, ſed ſufficit, modo velit ab aliis haberi pro domino rei; nam fur, licet ſciat, rem non eſſe ſuam, illam tamen vere poſſidet poſſeſſione juridica in ordine ad aliquos effectus civiles, non mere *aſinina*, qualem vocant Practici, vel mere *naturali*, ubi animus rem ſibi habendi non conjungitur. Porro ſi detineatur res corporalis, vocatur, *poſſeſſio* ſim-

ſimpliciter, ſi jus vel res incorporalis, uti ſervitus &c. *quaſi poſſeſſio*, dicitur: quamquam in praxi hoc diſcrimen non ita ſcrupuloſe obſervetur, ſed etiam incorporalia dicantur poſſideri ſine addito *quaſi*, cum utraque poſſeſſio habeat eoſdem effectus.

2 *Poſſeſſio* dividitur 1. in naturalem & civilem: *naturalis* eſt, quando quis rem ſibi detinet, at ſine opinione dominii, *l.* 13. §. 2. *ff. de public. in rem act.* E contra *civilis*, quando quis rem detinet cum opinione dominii, ſeu ut loquuntur, *cum opinione domini*, per *l.* 6. §. 1. *ff. de acq. vel amit. poſſ.* Aliter & a modo poſſidendi deſcribunt alii, præſertim Theologi, poſſeſſionem naturalem ac civilem, *naturalem* vocant, quando quis corporaliter inſiſtit rei, quam alius poſſidet civiliter, *civilem* vero, quando quis non corporaliter inſiſtit rei ſemel apprehenſæ, retinet tamen animum eam ſibi habendi, ut ſi quis alio profectus retineat animum ſibi ædes, quas corporaliter inhabitavit ut ſuas, porro habendi, *l.* 6. *cit.* denique *miſtam* ex utraque, quando quis corpore & animo rem detinet, itaut nullus alius eam aliquo modo detineat vel poſſideat. Dividitur 2. in *juſtam*, quando quis rem poſſidet ex titulo juſto, ſeu approbato a jure, & per ſe habili ad transferendum dominium, v. g. titulo emptionis, tranſactionis, legati &c. & in *injuſtam*, quando quis detinet rem abſque juſto titulo, v. g. ſi Titius poſſideat fundum, licet putet eſſe ſuum, quem tamen pater ipſius occupavit ſine omni titulo, vel ſaltem non legitimo, & a jure non approbato, ut ſi emit e pupillo ſine debitis ſolemnitatibus. 3. In poſſeſſionem *bonæ fidei*, quando quis detinet rem, quam putat eſſe ſuam, quamvis forte ſit aliena, & in poſſeſſionem *malæ fidei*, quando quis detinet

rem,

rem, quam ſcit vel credit eſſe alienam, quamvis forte aliena non ſit poſſeſſio *vacua* dicitur, quando res a nemine detinetur vel corpore tantum, vel animo tantum, vel utroque, ſeu quæ nec naturaliter nec civiliter poſſidetur ab ullo, nec aliquis eſt in ejus poſſeſſione.

4 *Proprietas*, quamvis ſubinde ſumatur pro ſolo dominio directo, generaliter tamen coincidit cum dominio generaliter accepto, & eſt facultas diſponendi de aliqua re; quod dominium dividitur in *plenum*, & eſt *libera facultas perfectè diſponendi de re* tam quoad ſubſtantiam quam quoad utilitatem & emolumenta illius, ſcilicet alienando, deſtruendo, &c. quin alius jure reali ejuſdem rationis contrario, quod habet in eadem re, impedire poſſit. Et in *non plenum*, quod eſt facultas diſponendi de re, at non perfectè, quia nimirum alius in eadem re habet jus notabile contrarium, ut contingit in fideicommiſſis & majoratibus, vel ſi quis tantum poſſit diſponere de proprietate rei, uti dominus directus in bonis Feudalibus, vel de utilitate tantum, uti vaſſallus, & emphyteuta, &c. Et ſic tenendum eſt de *dominio proprietatis*, ſpectante proprium commodum; nam aliud eſt *dominium juriſdictionis*, quod eſt poteſtas gubernandi ſubditos, judicandi, puniendi, defendendi, & aliquod emolumentum ab iis exigendi: ſi conjunctum ſit cum imperio mero, & alteri non ſubordinatum, vocatur *altum*: ſi non ſit conjunctum cum imperio mero, vel alteri tanquam Superiori ſit ſubordinatum, dicitur *baſſum*, vel juriſdictio baſſa. *Objic.* Pupillus habet plenum dominium rerum ſuarum, & tamen libere ac perfecte de illis diſponere nequit: ergo noſtra definitio dominii pleni non convenit omni definito, adeoque ei addi debuiſſent verba, ut multi faciunt, *niſi lege*

pro-

prohibeatur. Reſp. *diſt. ant.* Pupillus non poteſt libere, ac perfecte diſponere de rebus ſuis propter jus reale contrarium, quod alius habet in iiſdem *n. ant.* propter prohibitionem & diſpoſitionem legis tantum, non fundatæ in jure reali alterius, *c. ant. & n. conſ.* Sic utique manes plenus dominus tuæ ovis, licet propter prohibitionem legis illam comedere non poſſis die Veneris. De reliquo dominium plenum & perfectum ejuſdem rei in ſolidum pro eodem tempore dari non poteſt; clare enim pronuntiat, *l. 5. §. 15. ff. commod. duorum in ſolidum dominium, vel poſſeſſionem eſſe non poſſe*.

4 *Cauſa poſſeſſionis* eſt controverſia in Judicium deducta, in qua principaliter agitur de poſſeſſione rei, vel quaſi poſſeſſione juris, abſtrahendo interim de dominio rei, vel quaſi dominio juris incorporalis, vocaturque *Judicium poſſeſſorium*, quod triplex eſt, nempe poſſeſſionis *adipiſcendæ*, quando agitur ad poſſeſſionem acquirendam prius non habitam: *retinendæ*, quando agitur ad conſervandam poſſeſſionem prius habitam, ut ſi quis in ea turbetur ab alio: & *recuperandæ*, quando agitur ad poſſeſſionem, qua quis ſemel habita dejectus eſt, & ſic eam amiſit, rurſus obtinendam. Si quæſtio in Judicium deducatur præciſe, an quis poſſideat, abſtrahendo, an juſte vel injuſte, vocatur poſſeſſorium *Summarium*, vel *Summariſſimum*, vel *cauſa momentaneæ poſſeſſionis*, quia breviſſime proceditur, & pro interim (relicta adverſario poteſtate intentandi poſtea poſſeſſorium ordinarium) definitur, quis poſſideat, v.g. ne veniatur ad arma, cum quilibet litigantium forte poſſeſſorem ſe dicat: ſi vero tractetur quæſtio ſimul de juſtitia poſſeſſionis; poſſeſſorium *ordinarium* vel *plenarium* dicitur. E contra *cauſa*

ſa proprietatis eſt controverſia in Judicium deducta, in qua principaliter agitur de dominio ſeu proprietate rei, vel ſuper alio jure a poſſeſſione diſtincto, diciturque *Judicium petitorium*.

5 Dico 1. Poſſeſſio rerum corporalium acquiritur per apprehenſionem corporalem vel *veram*, v.g. per occupationem rei derelictæ, feræ ſilveſtris, theſauri, per traditionem rei donatæ, venditæ &c. per poſitionem pedis aut ſeſſionem in fundo, aut per ingreſſum in ædes, poſſeſſore carentes &c. vel per *fictam*, v.g. per traditionem alicujus ſigni, aut clavium ad ædes, aut inſtrumenti donationis &c. in quo continetur jus prioris poſſeſſoris, per oſtenſionem fundi, per ſignum rei impreſſum, per appoſitionem cuſtodiæ, per *clauſulam conſtituti*, ut ſi is, qui rem tibi vendidit, eam quidem non tradat tibi, nec in ſe nec in ſigno, conſtituat tamen & declaret, ſe illam deinceps tuo nomine poſſidere, & tu conſentias. Sed non ſufficit apprehenſio ſine animo poſſidendi, adeoque poſſeſſio non acquiritur ſive corpore & animo ſimul, ſive ſine apprehenſione corporali facta vel per ſe ipſum, vel per procuratorem aut alium ejus nomine, conjuncta cum voluntate conſequendi poſſeſſionem. Conſtat ex §. 12. 18. 40. 45. *inſt. de rer. diviſ. l.* 1. §. 1. *l.* 3. §. 3. *l.* 8. *l.* 18. *&c. ff. de acq. poſſeſſ.* item ex *l.* 4. *C. de acq. & retin. poſſ.* ibi: *licet poſſeſſio nudo animo acquiri non poſſit, tamen ſolo animo retineri poteſt*. Dixi, *rerum corporalium*; nam quaſi poſſeſſio jurium incorporalium, rebus corporalibus non inhærentium, v. g. juris venandi, eligendi, decimandi &c. acquiritur per unum vel plures actus non meræ facultatis, h. e. quos alius tibi non concedit ex mera gratia, adeoque non precario exercitos, nec vi, nec clam, cum animo tamen poſſeſſionem capien-

piendi vel acquirendi, & patiente illo, cujus eſt permittere vel prohibere illos actus. Haunold. *to.* 1. *tr.* 3. *n.* 221. cum Mol. Sumitur ex *c.* 3. *h. t. l.* 1. *ff. de itin. actuque & l.* 2. *junct. gl. C. de ſervit. & aqua:* ſic poſſidere incipis jus eligendi, ſi vel ſemel admittaris (non ex mera gratia) ad faciendam electionem Prælati: ſic exerces actum poſſeſſorium, & te conſtituis in poſſeſſione ſervitutis urbanæ negativæ, v. g. altius non tollendi ædes ſuas, contra vicinum per unicam prohibitionem, cui acquievit tuus vicinus, ædificare altius volens.

6 Dico 2. Poſſeſſio rerum tam corporearum quam jurium incorporalium, amittitur non ſolum per hoc, quod corpore relinquatur cum animo ſibi non amplius habendi, ſed etiam per ſolum hunc animum non amplius poſſidendi, *l.* 3. *§.* 7. 13. *&* 17. 18. *l.* 7. *l.* 8. *l.* 15. 17. 18. 25. 46. *ff. de acq. poſſ.* Sic poſſeſſio rerum *immobilium* (idem eſt de juribus incorporalibus, ſive adhæreant rebus corporalibus, ſive non) amittitur per voluntatem, vel expreſſam vel tacitam, deſerendi, per diuturnam abſentiam, longam oblivionem aut ignorantiam, quod res ſit ſua, ſi quis intelligat, rem ab alio eſſe occupatam, & eam recuperare negligat, vel recuperare volens repellatur, vel timens repulſam ne quidem audeat repetere aut invadere poſſeſſionem. Sic quoque poſſeſſio rerum corporalium *mobilium* per voluntatem expreſſam vel tacitam, non amplius poſſidendi, per amiſſionem rei, v. g. annuli, talem, ut quis non amplius retineat in cuſtodia aut rebus ſuis, vel non ſciat, ubi ſit, per furtum vel rapinam rei, per fraudem depoſitarii, qui rem depoſitam loco movet ſeu contrectat furti faciendi cauſa, & animo habendi ut ſuam, per traditionem

nem rei, etiam illi factam, qui poſſeſſionis eſt incapax, per fugam animalis non domeſtici, v. g. feræ ſilveſtris, conſuetudinem redeundi non habentis, &c. Communis DD. ex *citt. ll.* *Objic.* In *l.* 8. *cit.* ſic habetur: *quemadmodum nulla poſſeſſio acquiri, niſi animo & corpore poteſt: ita nulla amittitur, niſi in qua utrumque in contrarium actum eſt*: ergo poſſeſſio rerum corporalium ſolo animo non amittitur. R. & oppono alias leges, in ſpecie, *l.* 17. *cit.* ibi: *poſſeſſio autem recedit, ut quiſque conſtituit nolle poſſidere*. Itaque *l.* 8. *cit.* intelligi debet de caſu, quo quis rem prius deſeruit corpore; tunc enim neceſſe eſt, ut & animo relinquatur.

7 Dico 3. Poſſeſſor bonæ fidei tenetur cum re aliena, in Judicio evicta, perceptos ex illa fructus naturales & miſtos (aliud eſt de mere induſtrialibus vel civilibus) & adhuc formaliter extantes reſtituere, niſi nempe præſcripſerit, quod fit per lapſum triennii. 2. Probabilius tamen non tenetur reſtituere virtualiter extantes, h. e. quos quidem conſumpſit vendendo, abſumendo, &c. ita tamen, ut inde factus ſit ditior, modo poſſederit rem titulo ſingulari, & non ut hæres putatitius titulo univerſali. Pars prior ſumitur ex *l.* 22. *C. de R. V.* ibi: *certum eſt, malæ fidei poſſeſſores omnes fructus ſolere cum ipſa re præſtare: bonæ fidei vero extantes: poſt litis autem conteſtationem univerſos*. Item ex *l.* 48. *ff. de acquir. rer. domin.* ibi: *bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus, etiam ex alienare, ſuos interim facit*, h. e. quamdiu res non fuerit in Judicio evicta a domino. Pars poſterior ex §. 35. *inſt. de rer. diviſ.* ubi de fructibus conſumptis textus dicit, illos *ejus eſſe* pro cura & cultura, qui bona fide percepit, & dominum rei, ſi poſtea comparuerit, *agere non poſſe* ad repetendos

dos hos fructus: ſed fructus mere conſumpti, utpote non ens, non poſſunt dici *alicujus eſſe*, & fruſtra negatur actio ad repetendum non ens: ergo ibi eſt ſermo de fructibus aliquo modo adhuc extantibus. Confirm. ſolide ex *l.4.§.2.ff.fin.regund.* ibi: *fructus ante Judicium* (ſeu litem coteſtatam) *percepti non omni modo hoc in Judicium venient: aut enim bona fide percepit, & lucrari eum oportet, ſi eos conſumpſit, aut mala fide, & condici oportet*: ſed *lucrari* dici non poteſt, cui ex fructibus conſumptis nihil remaneat, ex quo factus ſit ditior, & niſi fructus virtualiter & in aliquo ſuo extent, licet in ſe conſumpti ſint, & in natura non amplius extent penes poſſeſſorem: ergo negatur in Jure actio ad repetendos fructus virtualiter extantes, nec datur obligatio illos, ſeu *lucrum* ex illis perceptum, reſtituendi. Accedit praxis, de qua teſtantur Sanch. & Rebellus Adverſarii apud Haunoldum.

Contra 1. partem *objic. l.4.§.19.ff. de uſurp. & uſucap.* ubi dicitur, quod lana ovium alienarum, quam percepit bonæ fidei emptor, *ſtatim fiat emptoris, nec uſucapi debeat, quoniam in fructu eſt*: ergo nec formaliter extantes fructus debent reſtitui, cum jura tribuant eorum dominium. Contra 2. partem *objic.* 1. in *l.15.pr.& l.26.§.12.ff.de condict.indeb.* dicitur, quod debeant reſtitui fructus, ex quibus accipiens factus eſt ditior, quando reſtituitur indebitum: ſed, quando reſtituitur res aliena in Judicio evicta, reſtituitur indebitum: ergo: 2. qui rem alienam bona fide poſſedit, eamque vel partem illius conſumpſit ita, ut factus ſit inde ditior, v.g. recipiens pretium pro illa tenetur in æquivalenti reſtituere: ergo etiam fructus conſumptos, qui exinde factus eſt ditior, tenetur in æquivalenti reſtituere, 3. ſpectatis Legibus poſitivis eſt dubium, an fructus ex

alie-

aliena re percepti, & virtualiter extantes, debeant reſtitui, ſpectato autem jure naturali eſt certum, quod debeant reſtitui, cum res fructificet domino: ſed in concurſu juris certi & dubii debet obſervari certum: ergo.

Reſp. Ad objectionem contra 1. partem *n. conſ.* quia, licet poſſeſſor bonæ fidei acquirat dominium fructuum formaliter extantium, & hi ſtatim ejus fieri dicantur, illud tamen dominium eſt ſolum revocabile, ut iſte textus concordet cum *l.* 48. *cit.* ubi dicitur talis poſſeſſor ſuos *interim* facere fructus: & in ordine ad dominium revocabile obtinendum non opus habet uſucapione & præſcriptione, bene tamen ad obtinendum dominium irrevocabile, ut inſinuat idem textus verbis præcedentibus, ubi fructus dicit uſucapi poſſe. Ad 1. ſecundæ partis *n. min.* quia res aliena non bene dicitur *indebitum*, quod repeti debet condictione ſeu actione perſonali, cum res aliena vindicari debet actione reali. Et hinc diſtingui etiam poteſt *Maj.* quando reſtituitur indebitum, quod petitur per *conditionem indebiti*, ſeu actionem perſonalem, ab illo, qui ex contractu plus juſto accepit, *c. maj.* quando reſtituitur indebitum, vel potius res aliena, quę petitur per actionem realem ratione dominii, uti contingit in noſtro caſu, *n. maj.* Ad 2. *n. conſ.* quia rei alienæ dominium nullibi tribuunt Jura, bene tamen dominium *fructuum* ex re aliena perceptorum, & quidem irrevocabile, ut colligitur ex §. 35. & *l.* 4. §. 2. *citt.* Ad 3. *diſt. maj.* quoad alterum membrum: ſpectato jure naturali eſt certum independenter & præſcindendo a Legibus poſitivis. *C.* poſt leges juris civilis jam poſitas *n. maj.* quia de hoc quæritur, an per Leges poſitivas ſit receſſum a jure naturali: unde adverſarii, qui hoc argumento ſatis ſpecioſo utuntur,

tur, aſſumunt id, & ſupponunt, quod formaliſſime eſt in quæſtione, & hoc ipſo argumentum eſt inefficax, ac retorquetur in inſtantiis, v. g. certum eſt jus divinum, quod, qui peccavit mortaliter, hoc peccatum debeat confiteri, & tamen, caſu quo quis dubitat dubio poſitivo ex ratione probabiliori, vel etiam probabili tantum, quod jam ſit confeſſus, nec juxta pleroſque adverſarios tenetur confiteri; quia pro his circumſtantiis jus divinum non ſtringit, vel ſaltem non certo exiſtit.

Replicabis: Textus pro noſtra ſententia allegati non probant intentum. Siquidem 1. ex eo, quod negetur *actio* ad repetendos fructus virtualiter extantes, non infertur, quod bona conſcientia retineri valeant; ſicut ex eo, quod Jura negent actionem læſo infra dimidium juſti pretii, non infertur, lædentem eſſe ſecurum in conſcientia, & non obligari ad reparandam læſionem, 2. Illa verba *ejus eſſe*, item verbum *lucrari*, non indicant ſatis, quod ex fructibus *conſumptis*, de quibus allegata Jura loquuntur, adhuc aliquid extet; cum intelligi poſſint in hoc ſenſu, quod bonæ fidei poſseſsor conſecutus ſit libertatem ab obligatione reſtituendi fructus mere conſumptos, alias refundendos, qui proin recte dicuntur *ejus eſſe*, & quod ipſos *lucretur*, in quantum nihil de ſuo tenetur reſtituere pro fructibus mere conſumptis. R. *neg.* aſsertum ad probationem 1. Jura non præciſe negent actionem, ſed inſuper tribuunt dominium per verba, *ejus eſſe*, & *lucrari;* quod enim omnino conſumptum, & nihil eſt, *meum eſſe*, nec *lucrari* quis dici poteſt, ut patet ex communi perſuaſione hominum. Quis enim non me rideret, ſi dicerem: *equus, qui tabe, vel fulmine periit, meus eſt:* aut: *in hoc luſu*, in cujus fine deprehendo eaſdem me

ha-

habere pecunias, nec obulo plus quam initio luſus, *ego lucratus ſum?* Dein paritas non eſt cum caſu, quo negatur actio læſo infra dimidium juſti pretii; quia lædens fuit in mala fide, & jura illi numquam tribuunt dominium ejus, in quo læſit: econtra in noſtro caſu poſſeſſor eſt bonæ fidei, & jura ipſi tribuunt *dominium* & *lucrum* fructuum conſumptorum. Ad probationem 2. Imprimis huic interpretationi jurium obſtat communis perſuaſio hominum, & modus loquendi, ut patet ex paulo ante dictis. Deinde repugnant jura, ſecundum quæ *lucrum* dicit incrementum patrimonii, & acceſſionem rei poſitivam, uti *l.* 4. §. 1. *ff. de munerib. & honorib.* non vero lucrum negativum, quod eſt potius negatio lucri & non lucrum: item *lucrum* diſtinguitur ſecundum jura a non damno, *l. Mutius* 30. *ff. pro ſocio*, ibi: *neque enim lucrum intelligitur niſi omni damno deducto:* ergo ceſſante damno primum incipit lucrum: at juxta adverſariorum interpretationem noſtri textus *lucrum* & *non damnum* eſſent idem. Denique ex dicta interpretatione ſequeretur hoc abſurdum, quod jura magis faveant illi bonæ fidei poſſeſſori, qui fructus ex re aliena perceptos inutiliter vel etiam peccaminoſe dilapidavit, v. g. per comeſſationes & compotationes, quam alteri, qui utiliter impendit tanquam gnavus œconomus, eo quod hunc obligent ad reſtitutionem, illum autem ab iſta liberent: quod plane abſurdum videtur eſſe, & alienum a mente Legislatorum ſapientiſſimorum.

8 Dico 4. Proprietas ſeu dominium rerum acquiritur vel per acceptationem, vel per traditionem, accedente titulo, & animo ſibi appropriandi, ſeu acquirendi dominium, adeoque iterum requiritur factum & animus ſimul, Communis ex §. 12. 39. 40. & 44. *Inſt. de rer.*

diviſ. l. 23. *§.* 4. *ff. de R V.* & *l.* 20. *l.* 31. *ff. de acq. rer. dom. l.* 55. *ff. de O.* & *A.* Dixi 1. per *occupationem*, §. 12. & 39. *citt.* qua apprehenduntur & acquiruntur res, quæ vel numquam habuerunt dominum, uti feræ, margaritæ in littore maris inventæ &c. vel quæ iterum amiſerunt dominum, ut bona *vacantia*, quæ fuerunt alicujus ſine omni hærede decedentis, bona *derelicta*, quæ quis abjicit, vel ita negligit, ut nolit habere amplius ſua, & *theſauri*, ſeu pecuniæ vel alia res mobilis a tempore, cujus memoria non extat, depoſita, ut jam dominum non habeat. Et hæc fiunt primo occupantis, uti communiter dicitur, niſi aliud ordinaverint Leges. Ad occupationem refertur *venatio* tam *terreſtris*, qua capiuntur animalia in terris vagantia, & in naturali libertate exiſtentia, quam *aucupium*, quo volucres, & *piſcatio*, qua piſces in mari vel flumine publico acquiruntur. Item *inventio*, qua theſauri, venæ minerales, bona derelicta, & incerta abſque delicto, apprehenduntur. Demum *occupatio bellica*, qua homines, vel res hoſtiles capientibus cedunt. Dixi 2. per *traditionem*, qua acquiritur dominium rerum, quæ prius in alicujus dominio fuerunt, ut fit in contractibus, §. 40. 44. *citt.* non enim pactis, ſed traditionibus & uſucapionibus transferuntur rerum dominia, *l.* 20. *C. de pactis*. Excipe tamen hæreditatem, legatum, donationem Eccleſiis, locis piis, & civitatibus factam, item beneficia eccleſiaſtica, quorum omnium dominium vel jus reale acquiritur ſtatim per acceptationem, nondum ſecuta etiam traditione.

Dixi 3. *accedente titulo*, ſeu cauſa de ſe habili ad conferendum vel transferendum dominium, cujuſmodi cauſæ vocantur propterea *modi acquirendi dominium*. In rebus, quæ prius in nullo jus

erant

erant dominio, cauſa datur *immediata* & *proxima*, ſcil. *occupatio* ſeu apprehenſio, conſequentur non requiritur titulus diſtinctus: in rebus autem, quæ prius fuerunt in alicujus dominio, præter cauſam immediatam, quæ eſt *traditio* ſeu vera ſeu ficta, per quam ab uno immediate transfertur dominium in alium, datur etiam cauſa *mediata* & *remota*, adeoque titulus diſtinctus, v.g. emptio, donatio, & alii contractus & pacta, ſive ſint a jure gentium introducti, ut prima rerum diviſio, & multi contractus, ſive jure civili, ut ſtipulatio &c. Ad modos acquirendi civiles ſeu jure civili introductos refertur etiam ab aliquibus uſucapio ſeu præſcriptio, item teſtamentum, Legatum, ſucceſſio hereditaria, arrogatio. Rurſus inter modos acquirendi dominii etiam cenſetur *acceſſio*, vi cujus aliqua res fit mea, quia alteri, quæ mea vel eſt, vel eſſe putatur, accedit, per *l.* 23. §. 4. *ff. de R. V.* Et eſt duplex, *naturalis*, quæ fit operante ſola natura, qualis eſt alluvio, coalitio, inſulæ productio, alvei mutatio, fœtura ſeu nativitas animalium, & perceptio fructuum. Alia autem *artificialis* ſeu *induſtrialis*, quæ fit per artificium, induſtriam, vel factum hominis, ut eſt inædificatio, implantatio, ſatio, intextura, ſcriptura, pictura, confuſio, commiſtio ſeu permiſtio, denique ſpecificatio; quorum verborum ſenſus & explicatio petenda eſt a Legiſtis ad *Tit. inſtit. de rer. diviſ.* Dixi 4. & *animo ſibi appropriandi*, ut colligitur ex *l.* 55. 57. *ff. de O. & A.* ſi enim non accedit animus, quo acceptas titulum, quem tibi jus naturale vel gentium vel civile offert, res non fit tua: imo, ſi res fuit prius in alterius dominio, etiam hujus conſenſus requiritur, *l.* 55. *cit.*

9 Dico 5. Dominium rerum fere amittitur con-

trariis modis, per *l.* 35. *ff.* *&* *c.* 1. *de R. J.* ibi: *omnis res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*. Nimirum ſi res abjiciatur, vel negligatur cum animo non amplius habendi ut ſuam. Et acceſſio, vel traditio, dum uni dant, alteri auferunt dominium.

10 Dico 6. Cauſa poſſeſſionis & proprietatis cumulari ſeu ſimul in eodem Judicio proponi poteſt ſtatim initio litis, ut ſi actor utramque proponat in eodem libello, vel reus agenti ſuper poſſeſſione opponat, & probare contendat proprietatem rei, 2. imo & ſucceſſive ſeu in decurſu litis, quin & ab eodem actore mutari poteſt, itaut, ſi prius intentavit petitorium, ſeu ſuper proprietate egit, poſtea poſſeſſorium aliquod inſtituere valeat, ac vice verſa. Pars 1. quam tenet communis contra aliquos apud Bartolum, & plurimi etiam extendunt ad poſſeſſorium *retinendæ* cumulandum ab eodem cum petitorio, ſumitur ex *c.* 2. *ſeqq. h. t. l.* 18. *in fin. ff. de vi & vi arm.* Pars 2. ex *c.* 5. *h. t. Clem. un. eod. l.* 8. *cit.* quia intentans cauſam proprietatis non hoc ipſo renuntiat cauſæ poſſeſſionis, nec viciſſim. *Objic.* 1. Sententia lata in petitorio parit exceptionem rei judicatæ in poſſeſſorio, ac proprietas abſorbet poſſeſſionem, & ſic reddit poſſeſſorium inutile, per *c.* 3. *&* 6. *h. t.* ergo non poſſunt cumulari tanquam actiones contrariæ, 2. qui intentat petitorium, tacite fatetur, non ſe ad adverſarium poſſidere: ergo cum petitorio cumulari nequit poſſeſſorium, ſaltem *retinendæ* poſſeſſionis. R. ad 1. *n. ant.* quia poſſeſſio *nihil commune habet cum proprietate; & ideo non denegatur ei interdictum uti poſſidetis, qui cepit rem vindicare; non enim videtur poſſeſſioni renuntiaſſe, qui rem vindicavit l.* 12. *ff. de acq. poſſ.* Vel enim eadem Pars propoſuit utramque cauſam,

vel

vel una cauſa proprietatis, & altera poſſeſſionis, ſi prius, ſententia ſuper proprietate non abſorbet, nec inutilem reddit alteram ſuper poſſeſſione; quia tribuit non tantum commoda domini, ſed etiam poſſeſſoris: ſi poſterius ſententia in petitorio lata abſorbet quidem ſententiam in poſſeſſorio quoad effectum principalem, quia poſſeſſio debet cedi proprietatem evincenti, *l.9.C.de R.V.* non vero quoad effectus ſecundarios; nam cadens cauſa poſſeſſionis, ſi bona fide poſſedit, retinet fructus conſumptos, & juxta nos etiam virtualiter extantes &c. Ad 2. *n. ant.* propter *l. 9. & 12. citt.* quamvis enim fateatur, qui cum petitorio cumulat poſſeſſorium retinendæ, adverſarium rem *detinere*, vel *in poſſeſſione eſſe*, non tamen fatetur eum *poſſidere*. Dein poteſt fateri, alterum poſſidere naturaliter, ipſe tamen agere ad retinendam poſſeſſionem civilem. Et cur cum petitorio nequeat ſimul agere, ne turbetur in poſſeſſione, & ſic eam retineat?

11 Dico 7. Utraque cauſa, poſſeſſionis & proprietatis, ſive cumuletur, ſive poſt terminatam unam finito Judicio proponatur altera, apud eumdem Judicem regulariter tractanda eſt, *c. 1. h. t. l. 10. C. de Judic.* quia ſunt connexæ, cum reſpiciant eamdem rem: connexio autem ſeu continentia cauſarum non eſt dividenda, *l. 10. cit. Objic.* In *l. 12. cit.* dicitur: *proprietas nihil commune habet cum poſſeſſione*. R. Quoad naturam ſuam & effectus &c. *C.* quoad ſubordinationem & forum. *N. aſſertum*. Dixi, *regulariter;* nam cauſa ſpiritualis, ſi de ea agatur in petitorio, vel in poſſeſſorio quæſtionem Juris ſeu ſuper proprietate annexam habente, non poteſt tractari coram Judice laico, per *c. 2. de Judic.* ſi prius in mero & nudo poſſeſſorio circa rem ſpiritualem non habente

annexam quæſtionem juris coram laico actum eſt, uti ſaltem vi conſuetudinis fieri poſſe teſtantur plurimi (nam ſpectato jure *Clem.un.h.t.* etiam poſſeſſorium merum ſuper re ſpirituali, & quæſtio meri facti pertinet ad judicem eccleſiaſticum.) Idem eſt ſi clericus in cauſa profana obtinuit in poſſeſſorio coram judice laico; nam ſi finita cauſa redeat laicus ad petitorium, non ad judicem laicum eumdem, ſed ad eccleſiaſticum ire debet, *c.fin. de judic.*

12. Dico 8. Si quis litigare intendit, longe conſultius intentat poſſeſſorium, ſi aliquo experiri poſſit, quam petitorium. Ita ſalubriter monet *J.C. l.24. ff. de R.V.* ex ratione, quia poſſeſſio facilius longe probatur, quam dominium, & probata poſſeſſione rejicitur onus probandi dominium in adverſarium, Siquidem *poſſeſſio* probatur per apprehenſionem rei ſemel factam, detentionem, uſum, perceptionem fructuum, & alios actus poſſeſſorios, qui incurrunt in oculos & ſenſus, atque ideo facile probantur per teſtes, inſtrumenta, famam &c. Neque eſt neceſſe, ut teſtes (per quos probatur poſſeſſio) deponant de eodem actu poſſeſſionis, vel exercitio ſub idem tempus, ſed ſufficit, ſi unus v.g. teſtetur, Titio rem eſſe traditam, alter vero, eamdem a Titio elocatam pro penſione: vel ſi unus teſtetur, Titium ſeminaſſe in hoc agro, alter eumdem meſſuiſſe &c. vel ſi unus teſtetur, Titium hoc, alius alio tempore, juriſdictionis actum exercuiſſe. Imo in probanda poſſeſſione ſaltem momentanea ſufficit ſemiplena probatio, v. g. unus teſtis, aut fama. Maſchar. *de prob. concl.* 1205. *a n.* 1. *& n.* 14. cum plurimis. Ceterum ſi duo contendant de poſſeſſione, præſumptio ſtat pro illo, qui probat antiquiorem poſſeſſionem; nam novior præſumitur (niſi probetur aliud) clam

clam aut violenter, adeoque injuſte acquiſita, *c.* 9. *de prob.* & qui ſemel poſſedit, etiam hodie poſſidere præſumitur, ait brocardicum. *Proprietas* e contra eſt admodum difficilis probationis, præſertim ubi per viam præſcriptionis probari nequit; non enim ſufficit probare titulum emptionis, donationis &c. imo & traditionem, ſed etiam, quod venditor, donans &c. fuerit dominus: cum *nemo poſſit plus juris in alium transferre, quam ſibi competere dignoſcatur*, *c.* 76. *de R. J. in* 6. Unde ſuadetur quoque, ut, ſi quis in petitorio agere intendat, non inſtituat *rei vindicationem*, ſed remedium prætorianum, videl. *actionem publicianam*, in qua opus non eſt probare, ſed ſolum rem eſſe ſibi traditam ex juſto titulo, adeoque bona fide acquiſitam, *l.* 1. *ſeqq. ff. de pub. in rem act.*

13 Quæres, quænam ſint remedia, per quæ agatur in petitorio & poſſeſſorio, ſeu in cauſa proprietatis & poſſeſſionis? R. 1. In petitorio ſunt *actiones* tum *reales*, quas explicavimus *tit. I. de Judic.* tum *perſonales* quæ nimirum deſcendunt ex contractu vel quaſi, delicto vel quaſi, de quibus in ſuis titulis, v. g. *de emptione & venditione*, *locato*, *conducto*, *injuriis & damno dato &c.* R. 2. In poſſeſſorio ſunt varia *Interdicta* (ſic appellantur remedia poſſeſſoria, vel hodie *actiones extraordinariæ in factum*) & quidem in poſſeſſorio poſſeſſionis *adipiſcendæ* ſunt hæc tria, *interdictum quorum bonorum*, quod competit hæredi ad conſequendam hæreditatis poſſeſſionem: *quorum legatorum*, quod competit eidem hæredi, vel bonorum poſſeſſori, ad reſtituendam ſibi poſſeſſionem legati, quod legatarius propria auctoritate occupavit; & *Interdictum Salvianum*, quod competit locatori fundi adverſus conductorem, ut adipiſcatur poſſeſſionem rerum, quas

iſte in prædium conductum intulit, tanquam locatori oppignoratarum pro penſione conductionis. R. 3. In poſseſsorio *retinendæ* ſunt hæc duo: *interdictum uti poſſidetis* in ordine ad retinendam poſseſſionem rerum immobilium, in qua quis turbatur extra Judicium: & *interdictum utrobi* pro retentione poſseſſionis rerum mobilium. R. 4. In poſseſsorio *recuperandæ* inter præcipua ſunt duo *juris civilis*, nimirum *interdictum unde vi* pro recuperanda poſseſſione rerum immobilium, & jurium immobilibus æquiparatorum, a qua quis violenter dejectus eſt: & actio *vi bonorum raptorum* pro recuperanda poſseſſione rerum mobilium, qua quis ſpoliatus eſt per rapinam, aut furtum, &c. Item duo *de jure canonico*, quæ non vocantur interdicta, ſed *condictiones ex lege* ad recuperandam poſseſſionem, nempe condictio ex *c. ſæpe contingit*, & conditio ex *can. redintegranda*, & hæc dicitur etiam *remedium redintegrandæ*. Sed de remediis *recuperandæ* aget ſequens

TITULUS XIII.

De Reſtitutione ſpoliatorum.

SUMMARIUM.

1 *Quid veniat nomine ſpoliati, & reſtitutionis.*

2 3 *Spoliatus regulariter reſtitui debet ante omnia, & plene, modo probet ſpoliationem.*

4 *Quæ ſint remedia poſſeſſionis recuperandæ, quibus agere poſſit ſpoliatus; & quodnam ſit optimum. Remedium* Redintegranda *datur etiam contra tertium poſſeſſorem bonæ fidei.*

5 *Quæ ſit alia pœna ſpoliatoris.*

1 *Spo-*

1 SPoliatus dicitur, qui clam vel vi injuſte dejectus eſt poſſeſſione vel quaſi poſſeſſione rei, nam *ſpolium* eſt violenta vel clandeſtina privatio poſſeſſionis, ſive dein facta ſit a privato, ſive a Judice juris ordinem non ſervante; non enim conceſſum eſt Judici contra jus aliquid facere, *l.32.ff. de injur.* ne inde naſcatur occaſio injuriarum, unde jura deſcendunt, *l. 6. C. unde vi*. Per *reſtitutionem* intelligitur poſitio in priſtinum ſtatum auctoritate Judicis facta.

2 Dico 1. Regula eſt, quod omnis ſpoliatus regulariter reſtitui debeat. 2. Et quidem ante omnia. 3. Ac plene ſeu cum omni cauſa. 4. Modo probet poſſeſſionem prius habitam, & dejectionem ab ea, ſeu ſpoliationem. 5. Quocumque remedio poſſeſſorio agat. Pars 1. patet ex *l. 1. ſeqq. ff. de vi & vi armata*, *c. 15. 17. 19. h.t.* Pars 2. ex *c. 1. 5. 7. eod. c. ult. de ord. cognit. l. 1. l. cit.* §. 1. Pars 3. ex *d. l.* 1. §. 31. 40. 41. *c. 11. h. t.* Pars 4. ex *d. l.* §. 21. 23. & *c. 10. de offic. deleg.* Pars 5. ex *l. cit.* §. 6. *l. 1. ſeqq. C. unde vi*, *c. ſæpe contingit* 18. *h. t.* & *can. redintegranda* 3. *cauſ.* 3. *q.* 1. Declaratur & probatur ulterius aſſertio; nam Dixi 1. *omnis*, ut adeo etiam prædo, ſeu qui invaſit rem alienam, & ab alio, modo non ſit notorius rei dominus, ſi res ſpolietur, reſtituendus ſit. *c. 5. h.t. l. 1. cit.* §. 30. Dixi 2. *ſpoliatus*, quo nomine veniunt etiam hæredes ipſius & ſucceſſores.

Dixi 3. *regulariter*, quia non reſtituitur 1. qui renuntiat privilegio reſtitutionis, permittendo ſpoliantem agere in petitorio. 2. Si conſtet nullum jus competere ſpoliato, ut ſi quis ſponte dimiſit poſſeſſionem, ut ex *c. 1. ſeqq h. t.* docet communis contra Fachin. 3. Si notorium ſit, ſpoliantem eſſe dominum ſeu proprietarium rei; cum notoria proprietas debeat prævalere injuſtæ poſſeſ-

ſioni; ſi autem ſpolians dicat tantum, ſe eſſe dominum, non tamen in continenti probet, licet ſit, reſtitutio procedit. 3. Si, ſpoliato opponatur exceptio, quod agere non poſſit, utpote excommunicatus vel bannitus, vel crimen, ex quo amittitur ipſo jure proprietas & poſſeſſio, v. g. crimen læſæ majeſtatis. 4. Si ex reſtitutione immineret ſcandalum, vel grave periculum animæ & peccati, aut corporis, vel damnum irreparabile, ut ſi uxor petat ſibi reſtitui maritum, cui jam cohabitavit, qui tamen in continenti offerret ſe ad probandum impedimentum dirimens: vel ſi maritus peteret ſibi reſtitui uxorem, quæ fugit ob viri ſævitiem, niſi nempe prius ille cautionem præſtet de non offendendo, &c. 5. Si pro ſpoliatore contra ſpoliatum ſtet præſumptio juris, niſi ſpoliatus doceat de titulo, v. g. ſi quis in aliena Parochia collegit Decimas, & a Parocho ſpoliatus eſt, *c. 2. h. t. in 6.* Dixi 4. *ante omnia*, h. e. ſpoliator non auditur a Judice, antequam reſtituerit rem ablatam, nec ante tenetur reſpondere ſpoliatus ad objecta. Dixi 5. *plene*, *ſeu cum omni cauſa*, ſcil. non ſolum res ablata, ſed etiam ejus acceſſoria, & fructus omnes (exceptis mere induſtrialibus) a die ſpoliationis percepti, imo & percipiendi, quos nempe ſpoliatus exinde potuiſſet percipere, licet non perceperit ſpoliator, ſunt reſtituendi, item reſarciendum omne damnum ſpoliato cum expenſis, & exhibenda ſatisfactio pro injuria, nec ſpolians poteſt repetere expenſas in rem ſpoliatam factas, niſi neceſſarias. Dixi 6. *modo probet poſſeſſionem &c.* ſive dein ea fuerit naturalis tantum, ſive civilis tantum, ſive naturalis & civilis ſimul, modo quis poſſederit tempore ſpoliationis: item gaudet hoc privilegio reſtitutionis: qui poſſedit ut vaſſallus, emphyteuta, uſu-

uſufructuarius, uſuarius, conductor ad longum tempus, &c. Dixi 7. *agat*, h. e ſpoliatus induat partes actoris; ſi enim ſuſtineat partes rei, & agenti, a quo fuit ſpoliatus, objiciat exceptionem ſpolii, non reſtituitur, cum reſtitutionem non petat; actori tamen nec excipiens ratione ſpolii reſpondere tenetur, donec poſſeſſio ablata reſtituatur; niſi conventus fuerit criminaliter, & non majori bonorum parte ſpoliatus aut niſi conventus ſuper re ſpirituali opponat exceptionem ſpolii in re temporali privata, vel viciſſim; tunc enim non impeditur cognitio & deciſio cauſæ principalis, *c.* 1. §. 1. *&* 2. *h. t. in* 6. Idem eſt, ſi objiciat ſpoliationem ab alio, non abactore, factam, *c.* 1. §. 1. *cit.* Dixi 8. *quocumque remedio*, videl. ſive agat *Interdicto unde vi*, aut *actione vi bonorum raptorum*, ſive ex *c. ſæpe contingit* 18. *h. t.* aut ex *can. redintegranda*, 3. *cauſ.* 3. *q.* 1. quamvis aliquod ſit inter hæc remedia diſcrimen, ut conſtabit ex aſſertione ſequente. Interim

3 *Objic.* 1. Prædo rem vi ablatam illicite detinet: ergo licite a quovis eidem eripi, & ipſe ſpoliari poteſt. 2. Bona fides, & æquitas non patitur, ut dominus a prædone ſpoliatus cogatur eidem rem ſuam reſtituere: ergo ſaltem prædo non eſt ante omnia reſtituendus. 3. Spoliatus beneficio eccleſiaſtico non reſtituitur, niſi prius docuerit de titulo colorato, ut tenet communis ex *c.* 1. *de eo, qui mittitur &c.* R. ad 1. illicite detinet reſpectu veri domini notorii. *C. ant.* reſpectu tertii ſpoliatoris, qui nullum occupandi poſſeſſionem jus habet, *n. ant. & conſ.* Ad 2. *diſt. ant.* ſi notorium ſit, vel dominus in continenti probare poſſit, ſe eſſe dominum rei ablatæ. *C. ant.* ſecus *n. ant. & conſ.* Ad 3. tranſeat *ant. n. conſ.* & paritatem; nam poſſeſſio beneficii eſt conjuncta cum proprietate:

ergo actor ſuper poſſeſſione etiam de proprietate docere debet, quod ſit probando titulum ſaltem coloratum, *arg. l. 2. §. quædam ff. de interdictis.*

4 Dico 2. Intereſt, quo quis remedio *recuperandæ* agat. Quippe ſi agat *interdicto unde vi*, ſolum permittitur agere, qui ſuo nomine poſſedit, non qui alieno, ut depoſitarius, commodatarius, inquilinus ædium, conductor ad breve tempus, colonus fundi, procurator: item ſolum ſuper ſpoliatione poſſeſſionis rerum immobilium: & contra eum, qui vi dejecit, mandavit, vel ſuo nomine factam dejectionem ratam habuit, & qui clam fecit, non contra tertium: uti nec liberis contra parentes: contra hos enim ſolum competit actio in factum rurſus non ultra annum utilem in ordine ad perſecutionem damnorum, licet ulterius concedatur de eo, quod ad ſpoliatorem pervenit. Habentur hæc *l.* 1. §. 1. 12. 14. 22. 39. 43. *& l.* 7. *l.* 15. *ff. de vi & vi arm.* Si vero intentet *actionem vi bonorum raptorum*, in rebus ſolum mobilibus locum invenit. Si autem experiatur *conditione ex c. ſæpe contingit*, agere poteſt etiam contra hæredes & ſucceſſores ſpoliantis, mandantis &c. imo contra quemcumque detentorem malæ fidei, ſeu ſpolii conſcium, licet centeſimus eſſet, *c. ſæpe contingit cit.* quod ait, *non multum intereſſe quoad periculum animæ, injuſte detinere, ac invadere alienum.* Quapropter, cum agatur de peccato & periculo animæ, etiam in foro civili hoc remedium procedit. Si denique velit uti *remedio can. redintegranda*, quod omnium pinguiſſimum eſt, & in utroque foro propterea communiter adhiberi ſolet, eo agere permittitur non ſolum, qui proprio ſed etiam qui alieno nomine poſſedit vel detinuit rem, ut inquilinus, depoſitarius &c. & quidem ſine præfinitione temporis, tam in bonis immobili-

bus

bus quam mobilibus ſpoliatus, nec tantum contra injuſte ſpoliantem, mandantem, & tertium poſſeſſorem ſpoliationis conſcium, ſed etiam, ut tenet communis contra Gailium & Layman, adverſus quemcumque poſſeſſorem etiam bonæ fidei, ad quem res pervenit vel cum, vel ſine titulo, ad exemplum *actionis quod metus cauſa*, quæ datur non ſolum adverſus perſonam inferentis metum, ſed etiam adverſus omnes, ad quos res metu extorta pervenit *l.9. §.ult. ff. quod met. cauſ.* Sic ſentire nos docet text. & gl. *in d. can. redintegranda*, & recepta praxis in foro etiam Civili, de qua teſtatur Mynſ. *cent 3. obſerv. 85. n.3.4.5.6.* Addunt DD. plurimi cum Innoc. & Abb. quod abſolute non ſit neceſſarium probare ſpoliationem, ſed ſufficiat probare poſſeſſionem antiquiorem & adverſarium nunc poſſidere; quia poſſeſſio nova præſumitur vitioſa vel clandeſtina.

Objic.1. Melior eſt conditio poſſidentis: ergo bonæ fidei poſſeſſor non tenetur rem reſtituere, donec ab adverſario probetur dominium. 2. Jus recentius corrigit antiquius: ſed *c. ſæpe contingit cit.* cujus remedium datur etiam contra tertium, at malæ tantum fidei poſſeſſorem, eſt recentius, quam *d.can. redintegranda*: ergo. R. ad 1. Non eſt melior conditio poſſidentis, quando jus reſiſtit poſſidenti: ſed *can.cit.* per verba *per quaſcumque injuſtas cauſas*, & dum imperſonaliter loquitur, contra quemcumque indulgetur reſtitutio, & juxta communem intellectum praxi firmatum reſiſtit poſſidenti rem ſpolio ablatam; imo, poſtquam ſpoliatus probavit ſpoliationem, vel antiquiorem poſſeſſionem, deſinit bona fides poſſidentis, & incipit militare ratio peccati. Ad 2. *diſt. ma.* Si jus recentius exprimat correctionem, vel incompoſſibile ſit, cum antiquiore.

C. ma. ſecus *N. ma.* nec exprimi correctionem *d. c. ſæpe contingit*, nec per hoc, quod exprimat tantum malæ fidei poſſeſſorem, pugnat cum *can. redintegranda*; quia utrumque jus pro fine habet evitationem peccati, quod continuatur in injuſta detentione rei ſpoliatæ: injuſta autem detentio detegitur, & malæ fidei poſſeſſio oritur ex probatione ſpolii.

5 Quæres, an ſpecialis adhuc pœna civilis reperiatur in jure contra ſpoliatorem lata? R. affir. nam de jure Civili *in l. 7. C. unde vi* conſtitutum eſt, quod ſi dominus per vim accepit rem ſuam, amittat illius dominium: ſi non dominus, præter reſtitutionem debeat æſtimationem rei ablatæ præſtare. Et hoc jus non videtur correctum a jure Canonico, ſed potius approbatum in *can. 2. cauſ. 16. q. 6.* Notant tamen DD. quod pœna hæc amiſſionis dominii, & præſtandæ æſtimationis, hodie paucis in locis ſit uſu recepta, ſed pœna arbitraria a Judice infligatur. Vid. Lauterbach *ad ff tit. de vi & vi arm.* §. 10.

TITULUS XIV.

De dolo, & contumacia.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſit dolus.*
2 *Quid & quotuplex ſit contumacia.*
3 *Dolus antecedens ſubſtantialis actum facit nullum, uti & error talis.*
4 5 *Non vero dolus antecedens accidentalis, licet committatur circa contractum bonæ fidei.*
6 *Facit tamen actum reſcindibilem ex parte decepti.*
7 *Dolus concomitans neque facit reſcindibilem.*

8 *Quo-*

8 *Quomodo probari poſſit dolus.*
9 *Quando quis cenſeatur eſſe contumax.*
10 *Quando ut talis condemnari poſſit.*
11 *Quomodo procedendum contra contumaces, reum vel actorem.*

1 QUamvis *dolus* hoc loco non aliusa compilatore conſideretur, quam qui conjunctus eſt cum contumacia, & in dolo eſſe cenſeatur, qui in judicio comparere vel reſpondere recuſat; ſolet tamen hic ſumi occaſio tractandi de dolo in genere, nempe de dolo malo, qui nihil eſt aliud, quam *verbum, vel actio, qua quis alterum malitioſe decipit*: dico, *malitioſe*, h.e. cum intentione prava decipiendi, per quod differt a culpa, ignorantia, errore, & deceptione materialiter tantum injuſta. *Dolus* malus alius eſt *verus*, qui vel a jure habetur pro tali, vel indubitatis indiciis detegitur: alius *præſumptus*, qui ex indiciis non manifeſtis urgentibus tamen, colligitur per *l.1. & 6.C.de dolo*. In contractibus *dolus præſumptus* fere coincidit *cum culpa lata*, quam committit,qui in re aliena non facit, quod facere ſolet quilibet etiam minime diligens in re ſua: non item in delictis. Dolus in contractibus præterea alius eſt *antecedens*, ſeu *dans cauſam contractui*, qui ita movet ad ineundum contractum, ut deceptus omnino non contraheret, ſi veritatem ſciret: alius *concomitans* ſeu *incidens*, quo ſtante nihilominus contraheres, ſed alio modo, v.g. pro leviori pretio. Si dolus antecedens verſetur circa ſubſtantiam actus, vel rei in contractum deductæ, ut ſi expreſſe reſtringas tuum conſenſum ad aliquid, quo non ſubſiſtente non vis contrahere, vel deciperis in corpore, ut ſi vitrum emas pro gemma, vel in tali qualitate aut prædicato rei, ad quod communi-

niter ſolent homines reſtringere vel alligare conſenſum, vel ad quod ipſæ leges reſtringunt, vocatur *ſubſtantialis*: ſi vero dolus verſetur circa accidens, ad quod nec tu expreſſe reſtringis tuum conſenſum, alias non conſenſurus, ſi veritatem ſcires, nec tacite ex communi uſu hominum aut diſpoſitione legum, appellatur *accidentalis*.

2 Altera pars rubricæ eſt de *contumacia*, dicta a *contemptu*, quæ hoc loco ſumitur pro *inobedientia erga Judicem qua talem*, quæ committitur 1. non veniendo, quando quis in judicium citatus trina vice, vel ſemel peremptorie, non comparet abſque juſta cauſa excuſante; & iſta contumacia, ſi dixit, ſe nolle venire, vel ſi certum eſt, quod citatio ad ipſum pervenerit, vocatur *vera*; *ficta* vero vel *præſumpta*, ſi non conſtet, an citatio ad ipſum pervenerit, ut ſi citatus eſt ad domum, vel per edictum publice affixum. 2. Non reſpondendo, vel non debite reſpondendo. 3. Recedendo a cœpta lite abſque licentia Judicis. 4. Non parendo Judicis mandato, v. g. jubentis præſtari juramentum calumniæ, exhibitionem inſtrumentorum, reſtitutionem pignoris, &c. Contumacia cadit tam in actorem quam in Reum, ac præcipua eſt in non veniendo.

3 Dico 1. Dolus antecedens ſubſtantialis (idem eſt de errore tali) contractum facit omni jure nullum; quia tollit conſenſum circa ſubſtantiam actus, vel rei in contractum deductæ; qui tamen non ſolum jure naturali, ſed etiam poſitivo *l. 15. ff. de juriſd. & l. 9. C. de J. & F. J.* neceſſarius eſt.

4 Dico 2. Dolus antecedens accidentalis non irritat contractum ſtricti juris. 2. Neque contractum bonæ fidei probabilius. Pars prior, quam ſuſtinent plerique communiter contra Baldum, ſumitur *ex §. 1. inſt. de except. l. 11. §. 5.*

ff. de

ff. de act. empt. l. 5 C. de inutil. ſtipul. ubi decepto datur actio vel exceptio ad reſciſſionem contractus · reſcindi autem non poteſt, quod non valuit vel coaluit. Idem eſt, ſi dolus ab alio, & non a contrahente, fuit commiſſus *l 7. pr. ff. h.t.* Pars poſterior, quam defendunt Leſſ. Laym. Lug. Haun. Pirhing, &c. contra Panorm. Bart. & communem Legiſtarum, probatur 1. negative, quia ex jure poſitivo non ſatis oſtenditur nullitas, & receſſus a jure naturali, quo ſpectato valent actus dolo accidentali, ſicut metu injuſto extorti. 2. Ex paritate cum contractibus ſtricti juris; cum dolus non magis obſit conſenſui in contractibus bonæ fidei, quam in illis. 3. Ex paritate cum Matrimonio, quod valet cum dolo antecedente accidentali initum, licet ſit contractus bonæ fidei, ſicut de jure canonico omnes contractus. Cævall. *q. 226. n. 7.* cum aliis. 4. ex *l. 5. C. de reſcind. vend.* ibi: *ſi dolo adverſarii deceptum venditionem prædicte feciſſe Præſes animadverterit, reſcindi venditionem jubebit*: ſed venditio eſt contractus bonæ fidei. Confirmatur: res aliena vendi poteſt valide *l. 28. ff. de contrah. empt.* ſed vendens rem alienam agit dolo. 5. Ex ratione: quia jura volunt gravare potius, quam ab obligatione liberare decipientem, decepto autem favere: ſed, ſi dicatur, contractus bonæ fidei dolo initos valere, magis gravatur decipiens, & magis favetur decepto? Cum iſte habeat ſibi irreſcindibiliter obligatum decipientem, ſi contractum ſibi fortem utilem eſſe contingat, ipſe vero decipienti obligatus efficaciter non ſit: ergo.

5 Objic. 1. In *l. 7. h.t.* dicitur de minore, qui *in hoc ipſo, ut venderet* (ſervum) *circumſcriptus eſt, nullam eſſe venditionem*. Conſonat *l. 1. C. de reſcind. vend.* ibi: *mala fidei emptio irrita eſt.* 2. In *l.* 16. *ff.*

16. ff de min. & l. 3. ff. pro ſocio. dicitur nulla eſſe ſocietas dolo malo coita. 3. Contractus bonæ fidei, cui dolus dat cauſam, non habet omnia ſubſtantialia, quia deceptus non abſolute conſentit, ſeu ſub tacita conditione, *niſi dolus interveniat*: cum erret in cauſa, at in contractu ſtricti juris non conſideratur error in cauſa, utpote quæ eſt extra contractum, quia in hoc contractu nihil attenditur, quam id, de quo expreſſe conventum, & ideo datur abſolutus conſenſus. R. Imprimis retorquendo omnia in contractibus ſtricti juris, in contractibus metu extortis, cum quibus *l. 1. cit.* comparat emptionem malæ fidei & dolo factam, ac in Matrimonio. Item oppono leges alias noſtræ ſententiæ faventes. Nunc ad ſingula R. ad 1. eſt *nulla*, vel *irrita* quoad effectum, ſi deceptus velit actum reſcindi. *C.* in ſe. *N.* vel: non eſt efficax contra deceptum. *C.* contra decipientem. *N.* Sic explicare has leges cogit nos ratio, ne ſequatur receſſus a jure naturali non ſatis clare expreſſus, aut contrarietas cum aliis legibus. Ad 2. vel eſt eadem reſponſio; vel dic, ſermonem eſſe de dolo ſubſtantiali, ut evitetur antilogia legum. Ad 3. Etiam cauſa, circa quam erat deceptus, in contractibus bonæ fidei eſt extra contractum, & ſic utrobique eſt conſenſus abſolutus, ut patet in Matrimonio. Certe nullum jus vel a longe indicat, dictam conditionem ineſſe contractibus bonæ fidei; quod enim in his concedatur extenſio ad expreſſe non conventa, nihil facit ad rem, cum illa extenſio etiam interveniente dolo locum habeat. Dein error cum dolo non conjunctus non facit conſenſum conditionatum, nec metus, in contractibus bonæ fidei; cur ergo dolus faciat?

6 Dico 3. Dolus antecedens accidentalis facit contractus tam ſtricti juris quam bonæ fidei (niſi

ſint

ſint ex natura ſua irreſcindibiles, ut Matrimonium & Profeſſio Religioſa) reſcindibiles ex parte decepti (non ex parte decipientis, qui irreſcindibiliter obligatur) ut adeo ipſi competat *actio doli*, ſi contractum jam implevit; quæ actio & exceptio competit quoque hæredibus decepti, non tamen contra hæredes decipientis. Sumitur ex §.1. *inſt. de except.* & aliis legibus pro priori aſſertione allegatis, item *ex l. 7. ff. de except. præſcript. & l. 12. ff. de dol. mali & met. except.* Notandum tamen eſt, quod actio doli, cum *famoſa* ſit, ſeu inferens infamiam, non concedatur, ubi alia actio ſpecialis locum habet, v.g. actio tutelæ, reſtitutio in integrum &c. atque ideo *Subſidiaria* vocatur, ſicut nec liberis datur contra parentes &c. ob reverentiam his debitam, ſed *actio in factum*, qua idem obtinetur. Ceterum actio doli ſolum conceditur per biennium *l. fin. C. h. t.* niſi commodum aliquod ex dolo perceptum adhuc extet apud decipientem (vel apud ejus hæredes, contra quos tali caſu non actio doli, ſed actio in factum procedit) tunc enim extenditur ad 30. annos *text. & gl. in l. 28. ff. eod.*

7 Dico 4. Dolus concomitans ſeu indicens nec irritum facit contractum, nec reſcindibilem; quia conſenſum non tollit, nec ulla lex reddit reſcindibilem: dat tamen actionem doli decepto ad reſarcitionem damni & intereſſe adverſus decipientem, ut reſtituat, quod ratione contractus plus juſto accepit & licet læſio fuerit infra dimidium *l. 13. §. 1. & 4. ff. de act. empt.*

8 Quæres, quomodo probandus ſit dolus? R. ordinarie, quia intentio prava decipiendi latet in animo, non aliter niſi per præſumptiones in indiciis indubitatis fundatas, adeoque violentas, ſi de vero dolo agatur; vel per præſumptiones admodum

dum graves ex indiciis urgentibus, licet non manifeſtis, deſumptas, ſi de dolo præſumpto ſit ſermo. Quænam in particulari ſint talia indicia, Judicis eſt arbitrari circumſtantias perſonæ, actus geſti, rei in contractum deductæ, verborum, & modi in contrahendo adhibiti, temporis, loci, &c. diligenter penſantis.

9 Dico 5. Ut aliquis habeatur pro contumaci in non veniendo, requiruntur duo. 1. Citatio trina, vel una peremptoria a competente Judice facta, & legitime intimata *l. 53. ff. de re jud.* 2. Abſentia juſtæ cauſæ a veniendo excuſantis *d. l. 53. ſeq.* Tales cauſæ ſunt notoria incompetentia Judicis: prohibitio proprii Magiſtratus: abſentia Reipublicæ cauſa: majoris negotii occupatio: citatio ad ſuperius tribunal præterita prima inſtantia: adverſa valetudo: inundatio aquarum: nimia loci diſtantia: & quidquid acceſſum ad Judicem reddit vel impoſſibilem citato, vel valde difficilem. Si una hora tantum ſerius comparet, quam fuit deſignatum, pro contumaci non eſt habendus: quod aliqui etiam extendunt, ſi uno die integro ſerius veniat, & primum altero poſt diem deſignatum: quod ex æquitate admitto in tantum, ut non *neceſſario* talis ſtatim ſit condemnandus ut contumax, etſi altera pars poſtulet.

10 Dico 6. Ut aliquis condemnari ut contumax poſſit in pœnas a jure ſtatutas, requiruntur iterum duo. 1. Ut conſtet de contumacia ſatis, ut per ſe clarum eſt. 2. Ut pars adverſa accuſet de contumacia, & condemnationem petat *l. 68. & ſeqq. ff. l. 13. §. 2. C. de Judic.* Pœnæ autem ſunt 1. refuſio expenſarum, quas altera pars facere debuit ob contumaciam compartis; & in has ſemper condemnandus eſt contumax, licet forte pro ipſo ferretur ſententia *c. 2. & 6. h. t.*

auth.

auth. qui ſemel C. quomodo & quando, & ſi eas ſolvendo ſit, arbitrarie puniendus per *l.* 1 *ff. de pœnis*. 2. Immiſſio in bona, ſed ſuo modo, ut dicetur: ſi autem contumax bona non habeat, vel immiſſio non videatur Judici expedire, illius loco poteſt decerni ſequeſtratio rei petitæ, poſſeſſionis, fructuum, vel captio pignorum ex rebus abſentis, vel prohiberi, ne debitores abſentis huic ſolvant debita, ſed apud Judicem deponant, vel contumax capi, incarcerari, arreſtari, aut alio modo invitus trahi ad judicium, vel per mulctam intentatam ad id compelli, vel puniri banno Imperiali, vel, ſi Judex eſt Eccleſiaſticus, ab hoc per cenſuras cogi ad comparendum. 3. Proceſſus in cauſa, itaut ad partis præſentis inſtantiam de cauſa cognoſci, ac, ſi de ea liqueat, pronuntiari poſſit. 4. Si vere, & non mere præſumptive, ſit contumax, negatur ipſi reſtitutio in integrum quoad ea, quæ interim eo abſente acta ſunt, item appellatio, licet intra 10. dies poſt latam ſententiam appareat, item nova citatio; & arbitrarie inſuper puniri poteſt, niſi nempe comparens purgaverit contumaciam. 5. In quibuſdam locis habetur pro confeſſo, & condemnatus cauſa cadit, quod tamen de jure communi non procedit. 6. Contumaciter non reſpondens Reus ad articulos actoris quoad hos habetur pro confeſſo *c.* 2. *de confeſſis in* 6.

11 Quæres, quomodo ergo procedendum contra contumaces; R. cum diſtinctione inter actorem & Reum. Si *reus* contumaciter adſit, antequam conteſtatus eſt litem, actor, ſi petit, regulariter mittendus eſt in poſſeſſionem bonorum Rei ex primo Decreto (de quo in *tit. ſeq.*) niſi nimirum bona in territorio Judicis non habeat Reus, vel niſi magis expedire videatur Judici captio pignorum, ſequeſtratio, incarceratio, vel alia compul-

ſio

ſio ad comparendum, ut ſupra notavimus. Si vero lis jam fuit conteſtata, tunc altera diſtinctio eſt adhibenda: vel enim jam ſatis liquet, ex qua parte ſtet melior cauſa, & tunc ad ſententiam pro-vel contra actorem præſentem eſt procedendum: vel nondum ſatis liquet, & tunc in arbitrio actoris eſt, vel petere immiſſionem in bona Rei, aut alio ex dictis mediis uti, vel in ipſo negotio principali procedere, teſtes & alias probationes adducere, ut ſecundum merita cauſæ proferatur ſententia, cum abſentiam contumacis ſuppleat præſentia Dei, & Judex illius partes, quantum poteſt, ſuſtinere debeat *c.4. h.t. l. 13. §. 3. C. de judic. auth. cit.* Quodſi autem *actor* contumaciter abſit, & quidem poſt litem conteſtatam, tunc, ſi petit Reus, iterum citandus eſt: ſi vero neque tunc compareat, in arbitrio Rei erit, an velit petere ſe abſolvi ab inſtantia ſeu obſervatione judicii, vel continuari Proceſſum, h.e. recipi ſuas exceptiones, earumque probationes, teſtes, ac ferri ſententiam, qua penitus abſolvatur a petitione actoris: ſi tamen judex, qui partes actoris abſentis, ut poterit, ſuſtinebit, meliorem cauſam eſſe actoris invenerit, pro hoc feret ſententiam, ſimul tamen eundem condemnabit in expenſas, quod ſemper fieri debet contra contumacem text. & DD. *in c.3. h.t. C. un. de eo, qui mitt. in poſſ. in 6. l.73. ff. l.13. cit. §.4. C. de jud.* Si vero actor poſt oblatum libellum contumaciter abſens fuerit lite nondum conteſtata (quod vix poſſibile eſt) ſecundum jus Canonicum *c.3. cit. &c.* pari modo contra ipſum proceditur: de jure civili vero poſt novam citationem conceditur ipſi integer annus, intra quem, ſi comparuerit, audiri quidem debet, ſed refuſis prius expenſis Reo, & præſtita idonea cautione de judicio ſiſti: ſi intra

an-

annum non comparuerit, proceditur contra ipſum, ſicut contra actorem, qui poſt litem conteſtatam fuit contumax. Sicubi tamen alia eſt praxis procedendi contra contumaces, attendi debet. *Objic.* Lite non conteſtata non poteſt procedi ad ſententiam definitivam *t.t. Ut lite non conteſt.* ergo Reo (vel actore) contumaciter abſente ante litis conteſtationem non poteſt contra ipſum procedi ad ſententiam definitivam. R. *n. conſ.* & ſuppoſitum, quod lis in effectu non ſit conteſtata; nam in caſu talis contumaciæ lis habetur pro conteſtata ex officio. Vel dic, caſum contumaciæ eſſe exceptum a communi regula, quod lite non conteſtata ad ſententiam definitivam procedi nequeat.

TITULUS XV.

De eo, qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit miſſio in poſſeſſionem ex primo, & ſecundo decreto.*

2 *Quid requiratur, ut contra reum decerni poſſit.*

1 MIſſio *in poſſeſſionem* eſt juſſio ſeu decretum Judicis, quo alicui bona vel eorum poſſeſſio attribuitur: eſt duplex, una in poſſeſſionem impropriam, & in detentionem cuſtodiæ cauſa, quæ (niſi aliud remedium v.g. captio pignorum, arreſtatio, captura &c. de quibus *priori. titul.* magis expedire videatur) *c.1. fin. h.t. l.2.l.9. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.* attribuitur actori contra Reum contumacem li-

lite nondum conteſtata, tanquam cuſtodi, ne res per Reum fiant deteriores, fructus abalienentur &c. nam Reus tanquam Dominus non ejicitur de poſſeſſione, ſed & actor & Reus poſſeſſores fiunt, iſte ut dominus & proprie, ille ut cuſtos & improprie, ac pignus prætorium conſequitur in rebus, in quas immittitur, ſeque tueri poteſt *interdicto, ne vis fiat*. Et hæc immiſſio vocatur *ex primo decreto*: Altera fit in poſſeſſionem veram ac propriam bonorum Rei contumacis, & hæc immiſſio vocatur ex *ſecundo decreto*; quæ vera poſſeſſio tribuitur actori, actionem perſonalem inſtituenti, per ſecundam juſſionem Judicis in bonis Rei mobilibus, & ſi hæc non ſufficiant pro quantitate debiti prætenſi, in immobilibus etiam, poſſeſſione ipſi adempta, relicta tamen proprietate, ſi reus per integrum annum non comparuerit. Si vero inſtituit actionem realem, tribuitur actori vera poſſeſſio ipſius rei petitæ, & quidem ſine novo ſeu ſecundo decreto (quamvis in praxi adhiberi ſoleat) ſi Reus intra annum non comparuerit *c. fin. § fin. ut lit. non conteſt. c. 1. h. t.* Creſcente contumacia, & Reo nec poſtea comparente, actor rem per ſententiam ſibi adjudicari petit, per quam conſequitur & proprietatem *§. ult. inſt. de offic. jud.* quod aliqui vocant immiſſionem in poſſeſſionem *ex tertio decreto*. Nota: ſi Reus, actione reali conventus, *poſt litem conteſtatam* ſit contumax, locum non habet immiſſio ex primo decreto, ſed, ſi liquet de juſtitia cauſæ, debet procedi ad ſententiam: ſi non liquet, adjudicari vera poſſeſſio *c. 4. de dolo*. Hæc non procedunt contra *actorem* contumacem, ſed obſervantur, quæ in *tit. præced.* dicta ſunt.

2 Dico. Ut contra reum decerni poſſit una ex prædictis immiſſio, requiritur 1. ut ante litis conteſtationem ſit contumaciter abſens. 2. Accuſatus

de

de contumacia. 3. Et petita immiſſio ab actore. 4. Ac in ordine ad immiſſionem ex ſecundo decreto nova citatio & nova contumacia: ejuſque accuſatio. 5. Summaria ſaltem cognitio, an citatio ad Reum pervenerit, an actor ſaltem præſumptive probet, ſe jus habere in re, vel ad rem, quam petit, an Reus & qualia habeat bona, in quæ ſit facienda immiſſio, demum, ſi agatur de ſecundo decreto, an annus integer lapſus ſit. DD. communiter ex *c. fin. §. fin. ut lit. non conteſt. & auth. & qui jurat C. de bonis auth. jud. poſſid.* Ceterum ſi Reus poſt immiſſionem, etiam ex ſecundo decreto, compareat, & probet legitimam cauſam, propter quam comparere non potuerit, debet ipſi iterum adjudicari poſſeſſio, vel, ſi ex legitima cauſa appellet contra proceſſum, eadem reſtitui, præſtita tamen cautione de judicio ſiſti, imo nec in expenſas condemnandus eſt *c. 18. de ſent. & re jud.*

TITULUS XVI.

Ut lite pendente nihil innovetur.

SUMMARIUM.

1 *Quomodo inducatur litis pendentia, & quid operetur.*
2 *Lite pendente nihil eſt innovandum in præjudicium partis.*
3 *Quas pœnas incurrat alienans, & recipiens rem litigioſam.*

1 Lis pendens dicitur, quando inter duos mota, & in judicium deducta eſt controverſia ſuper aliqua re. Inducitur autem litis pendentia per citationem Reo intimatam. *Clem. 2. h. t.*

h t. ac durat, donec lis finiatur per ſententiam, & quidem, ſi poſt primam appellatur, per ultimam in appellatorio, vel per tranſactionem, vel per ceſſionem aliam partium, expreſſam aut tacitam. Per litis pendentiam ſimul res, vel, ſi actio perſonalis eſt inſtituta, ipſa actio redditur *litigioſa*, & hinc, ſi circa alterutram aliquid innovetur, conceditur parti *vitium litigioſi*: vi cujus poteſt petere, ut, ſi quid innovatum vel attentatum fuerit circa rem vel actionem, quæ per innovationem dicitur laborare *vitio litigiſi*, revocetur in priſtinum ſtatum, ac interim ſiſtatur proceſſus ad ulteriora per *c. 3. h. t.*

2 Dico. Lite pendente nihil eſt innovandum, nempe in præjudicium partis litigantis, ut habet per modum regulæ generalis *rubrica hujus tituli.* Adeoque nihil eſt innovandum 1. circa rem litigioſam *c. 1. 3. 4. h. t. & auth. litigioſa. C. de litigioſis*, adeoque alienari non poteſt, & ne quidem valide juxta jus Codicis *l. 2. cit. & l. 4. §. 1. C. eod.* Excipe, niſi alienatio fiat cauſa dotis: tranſactionis; diviſionis rerum hæreditariarum; vel niſi alienatio fiat per ultimam voluntatem: niſi ſit neceſſaria; v. g. quæ fit per publicationem bonorum ex præcepto Judicis, vel ſi ſit periculum, ne res litigioſa pereat. 2. Circa actionem litigioſam *l. 2. cit.* ita ut alteri cedi, donari, vendi nequeat. 3. Circa jus, ratione cujus litigatur, v. g. ſi duo litigent de beneficio Eccleſiaſtico, lite ſemel mota non poteſt fieri nova proviſio, licet unus litigantium moriatur, vel lite cedat *c. 1. 2. h. t. in 6.* quia per hoc non conſtat, an ſuperſtiti vel ceſſionario competat jus. 4. Circa poſſeſſionem rei, aut uſum juris *c. 1. 2. h. t. X.* adeoque poſſeſſori ſalva manere debet ſua poſſeſſio, & fructus, quamdiu lis pendet; niſi nempe ob periculum, ne partes veniant ad arma, vel ne fructus dilapidentur, & Reus aufugiat, vel ne res pereat, neceſſe ſit poſſeſſionem,

fru-

fructus, vel rem ſequeſtrari, de quo *tit. ſeq.* 5. Circa ſtatum cauſæ controverſæ, itaut deſuper privilegium vel aliud reſcriptum, niſi in eo fiat expreſſa mentio litis pendentis, valide non obtineatur *c.* 1. *& ult. h. t. c.* 3. *de decim.* Siquid tale fiat, dicitur comitti *attentatum*; remedio *attentatorum*, ſi pars, in cujus præjudicium contigit, exigat, omnia in priſtinum ſtatum reponi debent, ac de jure Civili attentans condemnatur in expenſas.

3 Quæres, an & quas pœnas incurrat alienans & recipiens res litigioſas? R. Si neuter ſcivit, rem eſſe litigioſam, neuter incurrit pœnam ob defectum culpæ, quamvis revocari in antiquum ſtatum debeat, ſi id petatur. Si uterque ſcivit, tunc emptor amittit pretium, & venditor tantundem debet conferre de ſuo, ac utraque quantitas fiſco applicatur, res vero litigioſa nulli cedit, ſed manet in ſuo ſtatu. Si alienans ſolus ſcivit, qui ordinarie præſumitur ſciviſſe, debet pretium reddere ignoranti, ac inſuper tertiam partem pretii vel æſtimationis rei, reliquas autem duas partes fiſco inferre. Si accipiens ſolus ſcivit, non modo debet reſtituere rem, ſed etiam perdit pretium, fiſco applicandum *l. ult. pr. &* §. 1. *C. de litigioſis.* Sed opus eſt ſententia Judicis.

T I T U L U S XVII.

De ſequeſtratione poſſeſſionum, & fructuum.

S U M M A R I U M.

1 *Sequeſtratio, & arreſtatio, quid & quotuplex.*

2 3 *An ſequeſtratio ſit licita, & an privet poſſeſſione.*

4 *An, & quando arreſtatio ſit licita.*

1 *Sequeſtratio* vel *ſequeſtrum* eſt *rei litigioſę, poſſeſſionis, vel fructum apud tertium* (qui *ſequeſter* dicitur, & res illas interim cuſtodire, ſubinde adminiſtrare debet finita lite victori cum fructibus, aut eorum pretio, reſtituendas) *depoſitio l.* 110. *ff. de V.S.* Alia eſt *voluntaria* ſeu *conventionalis*, quæ fit utriuſque partis conſenſu. Alia *neceſſaria* ſeu *judicialis*, quæ fit per Judicem vel ex officio, vel ad petitionem unius tantum partis. Differt a *depoſito*, quod ſolæ res litigioſæ dentur in ſequeſtrum, & deponantur apud tertium. Vicina eſt *arreſtatio* (ſeu *arreſtum*) qua res vel perſona aliqua prohibetur interim moveri loco ex cauſa ſecuritatis. Iterum alia eſt *voluntaria*, quæ fit conſenſu utriuſque partis. Alia *judicialis*, quæ fit mandato Judicis, fere ad inſtantiam partis tantum, & ſubinde etiam per manuum injectionem. Differt a ſequeſtratione, quod hæc fiat poſt litem jam motam, illa vero lite nondum cœpta, & ſolum ob prætenſionem alicujus.

2 Dico 1. Sequeſtratio voluntaria ſemper eſt licita *l.6. ff. depoſiti*. Neceſſaria autem regulariter eſt prohibita *c.1.h.t. l.un. C. de prohibita ſequeſt. pecun.* Judicium enim non eſt inchoandum ab executione, ut habet Brocardicum ex *l.1.C.de execut.rei jud. l.un cit.* ſequeſtratio autem eſt ſpecies executionis. Dein pendente lite nihil eſt innovandum, nec poſſeſſor privari fructibus & commodis ſuæ poſſeſſionis debet. Dico, *regulariter*; nam ex juſta cauſa recte fit, uti 1. ſi non conſtet, uter litigantium poſſideat: vel ſi periculum ſit. 2. Ne veniatur ad arma. 3. Ne Reus, ſi lis ſit de re mobili, cum hac fugiat. 4. Ne Reus rem dilapidet, ſuper qua litigatur, vel fructus, quos ſervare deberet, conſumat; tunc enim recte vel res, vel pretium exinde collectum ſequeſtratur,

tur,

tur. 5. Si Reus ſit contumax, & immiſſio in bona non habeat locum, uti in beneficialibus; tunc enim, ſi neuter ex litigantibus ſuper beneficio ſit poſſeſſor triennalis; vel fructus ſoli, vel una cum beneficio ſequeſtrari debent, &c. Sumuntur hæc ex *c.2.3. & Clem un. h.t.l.7.§.2.ff. qui ſatiſdar. cog.* Interim tamen ſi pars, contra quam petitur ſequeſtratio, ſatiſdaret, vel fidejuberet idonee de judicio ſiſti, vel de re integra conſervanda, ac in eventum reſtituenda victori, illa omitti vel jam facta tolli deberet.

3 Quæres, an ſequeſtratio privet poſſeſſione, eamque transferat in ſequeſtrem? R. negative cum communiori propter textum in *l.39.ff. de acquir.poſſeſſ.* & rationem; quia ſequeſtrum eſt ſpecies depoſiti: nullum vero depoſitum transfert poſſeſſionem in depoſitarium *l.1.6. 17. ff. depoſiti*. Excipe, niſi vel partes ipſæ, vel Judex ſpecialiter velit ſequeſtri dare poſſeſſionem *l.17.cit.* ibi: *rei depoſitæ proprietas apud deponentem manet: ſed & poſſeſſio, niſi apud ſequeſtrem depoſita eſt: nam tum demum ſequeſter poſſidet; id enim agitur ea depoſitione*, h.e. ſpecialiter intenditur, & animus transferendi poſſeſſionem cum re tradita accedit: alias non. *Objic.* In *c.1.ſeqq.h.t.* dicitur poſſeſſio ſequeſtrari. Idem *in ord.Cam. p.2. tit.21. §.ult.* ergo transfertur in ſequeſtrem. R. Ibi per poſſeſſionem intelligitur res ipſa ſequeſtrata. Ordinatio cameræ autem loquitur de poſſeſſione dubia, quam uterque litigans prætendit: at nec iſto caſu adimitur poſſeſſio, aut in ſequeſtrem transfertur, ſed huic ſolum committitur conſervanda victori, ſicut res depoſita depoſitario. Unde victori contra ſequeſtrem datur actio depoſiti ſequeſtraria *directa*: ſequeſtri autem contra victorem *contraria* ad ſe indemnem ſervandum *l.5.ff. depoſiti*.

4 Dico 2. Arreſtatio voluntaria ſemper eſt licita *arg. l. 21. C. mand.* Neceſſaria vero ſeu Judicialis de jure communi eſt prohibita regulariter; quia Judicium non eſt inchoandum ab executione, cujus ſpecies eſt arreſtatio, & quia per arreſtum aliquis diffamatur de non-ſolventia, vel de delicto. Accedit receſſ. Imper. de anno 1570. Interim tamen Arreſta vi conſuetudinis paſſim recepta permittuntur fere ubique, ſed ita, ut petatur a Judice ordinario loci, ſi ejus copia haberi poſſit, nec propria auctoritate quis invadat perſonam vel res debitoris: ut adſit juſta cauſa, v.g. ſuſpicio de fuga: ut Judex ſine mora denuntiet ei, contra quem petitur Arreſtum, ut ſe vel res non moveat loco, donec coram ſe comparuerit; poſtea autem in utriuſque præſentia ſummarie cognoſcat, an actor afferat juſta prætenſionis hujus argumenta, ac dein totam cauſam examinet atque terminet. Si talia argumenta non invenerit, vel ſi Reus idoneam præſtiterit cautionem, quantocyus arreſtum debet diſſolvere. Cancellar. Schimid. *ad Stat. Bav. tit. 13. art. 2. & tit. 19. art. 8.*

TITULUS XVIII.

De confeſſis.

SUMMARIUM.

1 *Confeſſio quid, & quotuplex.*
2 *Judicialis facit pleniſſimam probationem, ſi rite fiat.*
3 *Non tamen excludit ſententiam Judicis.*
4 *Qualificata an poſſit acceptari quoad ſubſtantiam, & rejici quoad qualitatem.*
5 *Quando in criminalibus præjudicet confitenti; an confeſſio criminoſi ſociis.*

6 *An*

6 *An reus in judicio interrogatus teneatur confiteri veritatem.*

7 *An confeſſio judicialis retractari poſſit.*

8 *Confeſſio extrajudicialis regulariter non probat plene.*

1 CONfeſſio, prout eſt hujus loci, & forum externum ſpectat (non internum, ut confeſſio Sacramentalis, quæ ad aliquid probandum in foro externo nullatenus attendi poteſt) ex *l.* 2. *Cod. quorum appellat.* ſic deſcribitur : eſt aſſervatio illius, quod ab adverſario intenditur, facta in judicio, vel extra illud. Unde confeſſio propria dicitur eſſe optima probatio. Alia eſt *judicialis*, quæ fit in judicio *l. unic. C. h. t.* ſeu quæ fit coram Judice competente qua Judice, ſive actualiter pro tribunali ſedeat, ſive (ut aliquibus placet) non ſic ſedeat, nempe in loco judicii ex cauſa judicandi. Idem eſt, ſi confeſſio fiat coram Notario cauſæ ad Protocollum ſedente : vel ſi coram arbitro ad dirimendam litem electo. Alia eſt *extra-judicialis*, quæ fit extra locum judicis, & non coram Judice competente, vel ſaltem non coram Judice qua tali, aut Notario ad Protocollum ſedente. Rurſus alia eſt *ſimplex*, qua quis fatetur debitum vel delictum ſimpliciter, pure, & ſine qualitate modificante aut reſtringente adjecta : alia *qualificata*, quando adjicitur clauſula vel qualitas modificans aut reſtringens, ut ſiquis dicat : accepi quidem mutuum, ſed jam ſolvi : occidi Cajum, ſed neceſſariæ defenſionis cauſa. Item alia *expreſſa*, quæ fit verbis, ſcriptura, vel alio ſigno mentem confitentis manifeſtante : alia *tacita*, quæ nempe vel præſumitur ex aliquo facto, vel fingitur a lege : ſic, qui arti-

culis poſitionalibus reſpondere juſſus non reſpondet, vel non recte, cenſetur eos confiteri *c.2. h.t. in 6.* qui allegatis in judicio contra ſe non contradicit, ea fateri præſumitur, ut habet communis. Iterum alia vocatur *diſcreta*, quæ nempe fit cum expreſſione cauſæ, ex qua ortum eſt debitum: alia *indiſcreta*, quando nulla obligationis cauſa exprimitur. Demum alia eſt circa *cauſam civilem*, v. gr. circa debitum pecuniarium: & alia circa *cauſam criminalem*, ſcil. ſuper delicto, quod vindictam publicam promeretur: ſi hæc obtineatur vi, metu, tortura, errore, dolo, dicitur *extorta*; ſi ſine vi, metu, tormentis, errore, &c. *ſpontanea*.

2 Dico 1. Confeſſio judicialis rite facta non ſolum relevat adverſarium ab onere probandi, ſed etiam pleniſſime probat contra confitentem, & alias probationes, quæ pro ipſo militant, infringit *l.1.ff.l.un.C.h.t.c.10 de fid. inſtr. c.24. de V.S.* Et hinc dicitur optima probatio: probata probatio: inducit notorium, tollit præſumptionem juris & de jure, licet hæc alias probationem aliam non admittat: valet etiam poſt concluſionem in cauſa: retractat ſententiam, licet in rem judicatam jam tranſierit, & habetur in ſtatu rei judicatæ: appellationi viam præcludit: atque omnem defectum proceſſus, ſaltem civilis, ſanat. Dixi tamen, *rite facta*, nimirum 1. a majorenni. 2. Sponte; nam a minorenni facta, vel per metum &c. extorta, vel eſt nulla, vel revocabilis. 3 Cum pleno uſu rationis, & advertentia, non ex quadam paſſione, v.g. æſtu iracundiæ prædominante. 3. Contra ipſum confitentem. 5. In judicio, prout jam explicatum eſt. 6. Coram adverſario (vel ejus Procuratore) ſaltem de jure civili *l.6. §.3. h.t.* imo etiam de jure Canonico, ut contra quoſdam do-

docet Abb. *in c.fin.h.t. n.16.* Excipe niſi confeſſio ſit relata in Protocollum vel aliam ſcripturam; tunc enim nec de jure civili requiritur præſentia adverſarii. 7. Ex certa ſcientia, non ex errore juris vel facti, aut ſub dubio tantum. 8. Super re litigioſa ſeu in controverſiam deducta. 9. Nec debet repugnare cauſæ favorabili de jure communi, qualis foret, ſiquis confiteretur contra valorem Matrimonii. 10. Nec juri contraria eſſe, ut ſiquis confiteretur, ſe valide profeſſum eſſe Religionem ante 16.annum ætatis. 11. Nec naturæ, ut ſiquis confiteretur ſe occidiſſe Titium, qui tamen adhuc vivit, vel non conſtat, Titium eſſe occiſum, vel nullum apparet vulneris, aut alterius violentiæ veſtigium. Has conditiones Gloſſa *in c.fi b.t.* complectitur his verſibus: *Major: ſponte ſciens: contra ſe: ubi jus ſit: & hoſtis: certum liſque: favor: jus: nec natura repugnet.*

3 Quæres, an contra judicialiter confeſſum adhuc opus ſit ſententia Judicis condemnatoria? R. affirm. *l.3. l.5. ff. de cuſtod. & exhib. c.10. de tranſact.* Excipe, niſi judicium Summarium ſit inſtitutum, vel ordinarium quidem in cauſis civilibus, ſed lis nondum conteſtata; tunc enim ſufficit ſimplex præceptum Judicis ſolutionem imperantis *l.21. ff.de judic. Objic.* in *l.25. ff.ad L.Aquil.* dicitur: *Nullæ partes ſunt judicantis in confitentes.* R. In ordine ad examinationem & probationem ulteriorem cauſæ. *C. ant.* in ordine ad prolationem ſententiæ *N. ant. & conſ.*

4 Dico 2. Confeſſio judicialis qualificata non poteſt a Judice acceptari quoad ſubſtantiam, quin ſimul acceptetur quoad qualitatem adjectam, ſi qualitas vel per ſe eſt connexa, vel contra eam non ſtat præſumptio juris, v.g. ſi fateris, te quidem vendidiſſe, ſed ſub pacto legis commiſſoriæ,

vel ſi fateris, te quidem ſponſalia contraxiſſe cum Bertha, ſed ſub conditione, ſi parentes conſenſerint. Sumitur ex *l.28. §.12.ff. de liberat. leg.* Econtra ſi qualitas eſt ſeparata, vel contra eam ſtat præſumptio juris, poteſt acceptari confeſſio quoad ſubſtantiam, ac rejici quoad qualitatem v. g. ſi fateris, te quidem accepiſſe mutuum, ſed jam ſolviſſe: vel ſi fateris, te quidem occidiſſe Cajum, ſed ex cauſa neceſſariæ defenſionis; tunc enim mutuum, & occiſio habentur pro confeſſatis, tu vero probare debes ſolutionem, vel neceſſitatem defenſionis. Sumitur ex *l.25 ff. de probat. l.1. C. ad L. Cornel. de Sicar.* Unde monent ſalubriter DD. ut, ſi qualitatem certo exiſtere ſcias, nihil fatearis, ſed neges quoque mutuum, ſcil. in hoc ſenſu, *propter quod alteri ſis obligatus*, vel occiſionem a te factam, nempe in hoc ſenſu, *ut propterea ſis reus, & puniri poſſis*; ſic enim non imponis tibi obligationem probandi qualitatem, & tamen non mentiris; quia petitio in ſenſu actoris, & interrogatio in ſenſu Judicis principali, eſt falſa, atque ideo recte & cum veritate negatur.

5 Dico 3. Confeſſio judicialis in Criminalibus, ſi doloſe ſit elicita a Judice, eſt nulla. 2. Si per torturam, quam jus civile vocat *quæſtiones*, ſit extorta, non præjudicat confitenti, nec facit probationem plenam, niſi intra unam vel alteram diem Reus extra conſpectum tormentorum poſitus, ſed ad *banchum juris*, ut vocant, iterum confiteatur, & ſic priorem confeſſionem ratificet. 3. Neque confeſſio criminoſi, de ſe jam confeſſi, probat contra ſocios, quos fatetur vel dicit fuiſſe complices. 4. Nec Judex regulariter interrogare poteſt de ſociis. Pars. 1. fundatur in æquitate & communi DD. ſenſu ex *c. 7. de renunt.* ſi tamen Reus poſtea non revo-

revocaret confeſſionem taliter elicitam, extraordinaria pœna eum puniri ajunt. *Doloſe* cenſetur elicita confeſſio, ſi per ficte promiſſam impunitatem, vel per quæſtiones captioſas, quibus inducitur reſpondens ad perplexitatem, obtinetur. Pars 2. deſumitur ex *c. 6. de R. J. l. 1. §. 17. 23. 27. ff. de quæſt.* & communi Interpretum ſententia, ac praxi. Si tortura non eſſet legitime adhibita, ut ſi non certo conſtet de corpore delicti: ſi non adſint tanta indicia, ut faciant ſaltem ſemiplenam probationem, quod hic homo commiſerit delictum: ſi Reo non prius intimentur indicia, relicto ſpatio ad ea diluenda: ſi perſona ſit exempta a quæſtionibus ſeu a tortura: tunc confeſſio taliter extorta, etſi poſtea ad *banchum juris* eam ratificet, non præjudicat Reo. Pars 3. quam tenet communis cum Menoch. & Farin. fundatur in ratione juris, quia criminoſus de ſe confeſſus, vel convictus in judicio, eſt infamis, ac iſte inidoneus teſtis: quamvis denuntiare crimen, vel aperire Judici non prohibeatur, ſicut alii infames, viles, & apparitores. Dixi, *non probat*; facit enim aliquam præſumptionem, ut de ſociis denuntiatis inquiri poſſit generaliter, imo & ſpecialiter, ſi crimen eſt exceptum ſeu atrocius, vel alia accedant indicia contra ſocios. Pars 4. conſtat ex *c. 1. h. t c. 10. de teſtib.* & ex ratione, quia hujuſmodi hominibus, qui cupiunt habere ſocios pœnarum, vel ſperant mitius puniri, ac ſimul infames ſunt, parum fidei tribuendum. Dixi, *regulariter*; nam de ſociis interrogare fas eſt Judici 1. in criminibus, quæ non committuntur ſine complice v. g. adulterio, ſtupro &c. 2. In criminibus, ex natura ſua occultis & difficilis probationis, modo veriſimile ſit, confeſſum de ſe habuiſſe ſocios. 3. In criminibus exceptis, quæ ni-

mirum valde ſunt pernicioſa Reipublicæ, uti Simonia, latrocinium, graſſatio per vias, maleficium Magicum, falſatio monetæ &c. 4. Vi conſuetudinis in crimine furti. 5. In criminibus, in quibus jam aliunde adſunt indicia, quod alius vel alii cooperati ſint. 6. In criminibus, ſuper quibus agitur tantum civiliter. 7. Quando agitur de crimine futuro, vel continuando in aliorum damnum, v.g. de aliquo occidendo. Sed in his caſibus debet Judex de ſociis interrogare prius in genere tantum, an criminoſus habuerit ſocios, dein quos; alias enim foret potuit *ſuggeſtio*, quam inquiſitio, niſi prius jam fuiſſet confeſſus criminoſus, quod cum ſocio deliquerit; tunc enim ſtatim peti poteſt nomen complicis, uti &, ſi aliqua perſona in ſpecie jam aliunde eſſet ſuſpecta.

6 Quæres, an Reus in judicio interrogatus teneatur fateri veritatem? Reſp. 1. In Civilibus, ubi agitur de debito quod Reus ſcit eſſe contractum, & non expunctum, tenetur fateri (etiam non interrogatus, niſi velit clam ſatisfacere) quia jus naturale, & juſtitia commutativa, ac præceptum Judicis ita exigit. Reſp. 2. In Criminalibus, ubi agitur de pœna, non capitali, tenetur, quando Judex eſt legitime interrogans. Ratio; quia Judici & Superiori legitime præcipienti eſt parendum ſecundum jus naturale: ſed Judex legitime interrogans eſt legitime præcipiens, utpote ad veritatem dicendam juſte obligare intendens. Accedit, quod jus interrogandi, & obligatio reſpondendi, quod res eſt, ſint correlativa, & illud ſine hac fruſtraneum eſſet. Aliud foret, ſi Judex non ſervato juris ordine, ſeu non legitime, interrogaret; quia tunc Judex ſe haberet inſtar privati per *c.* 17. 19. *de accuſat.* ut ſi interrogaret Reum de crimine alio, non connexo cum illo, de quo extant indicia gravia, de altero autem diffa-

diffamatus non eſt; vel ſi de crimine, ſuper quo interrogatur, non appareant tanta indicia, ut faciant ſemiplenam probationem; & probabiliter ſi dubium ſit Reo, an Judex ſit legitime interrogans, & ſufficientia delicti indicia habeat, ut docent Leſſ. Laym. Lug. contra Silv. Bonac. Dian. quia melior eſt conditio poſſidentis bonam famam, & incolumitatem. Neque dicas, præſumptionem eſſe in dubio: quod Judex juſte interroget & præcipiat; nam R. id procedere, quando Judicis poteſtas aliunde jam eſt certa, non vero, quando ipſa poteſtas, uti hic, eſt dubia. Lugo *to.* 2. *de juſt. d.* 40. *ſect.* 1. *n.* 2. Pari modo licet Judex legitime interroget, ſi tamen innitatur præſumptioni falſæ, non eſt obligatio fatendi crimen, ſed poteſt interrogatio eludi vel æquivocatione, vel reſtrictione ſenſibili mentali, v. g. factum eſt homicidium, quod a te commiſſum eſſe gravia adſunt indicia, quia notatus es de loco occiſionis cum gladio ſtricto te proripuiſſe, tu tamen non commiſiſti; negare potes, te cum ſtricto enſe in loco tali fuiſſe. Idem eſt in civilibus, v. g. accepiſti mutuum, ſed jam ſolviſti: promiſiſti puellæ matrimonium, ſed ficte &c. a Judice interrogatus negare potes mutuum, & promiſſionem; quia propoſitio Judicis in ipſius ſenſu principaliter intento eſt falſa; quia Judex non in alio ſenſu interrogat, vel interrogare poteſt, niſi an *re ipſa* occideris, *vere* mutuum, vel ſponſalia contraxeris.

R. 3. In criminalibus, ubi agitur de vita amittenda, vel de pœna æquivalente, utut Judex legitime ſit interrogans, non tenetur Reus fateri delictum, a ſe commiſſum, ſi putet, illud plene probari non poſſe, vel ſi celando veritatem per æquivocationem, vel reſtrictionem mentis ſenſibilem, credat ſe vitam ſalvare & conſervare poſſe, v. g. di-

dicendo, non commiſi hoc delictum, ſed ſubintelligendo, *ut tenear fateri;* quia hæc reſtrictio mentalis ex circumſtantiis fit *ſenſibilis* Judici: ſi autem exterius ſenſibilis ſit, & gravis cauſa, uti hic, accedat, licita eſt reſtrictio mentis, & mendacium non eſt. Ita docet Card. *diſſert.* 19. *ad Propoſitiones ab Innoc. XI. damnatas c.* 7. *n.* 81. & alii multi, maxime Recentiores, contra communiorem. Ratio, quia Legislator humanus, etiam Princeps, non poteſt obligare ad rem valde arduam, & cum damno irreparabili, quale eſt jactura vitæ, ut tenent plerique omnes ex *can.* 2. *d* 4. ergo multo minus Judex. Confirmatur: nemo poteſt cogi ad dicendam veritatem contra conſanguineum ſuum, *l.* 4. *ff. l.* 6. *C. de teſtib.* ergo multo minus contra ſeipſum. *Objic.* Qui aliud cogitat mente, quam ore proferat, mentitur, *text. & DD. in can.* 2. *cauſ.* 22. *q.* 2. ſed hoc facit, qui legitime interrogatus non fatetur delictum. Unde & Innoc. XI. damnavit propoſitionem, quæ dicit licitum eſſe uti amphibologiis ad tuendam ſalutem corporis, honoris &c. vel reſtrictione mentali. R. *diſt. ma.* niſi id, quod mente cogitat, aliquo modo exterius indicet, vel per verba duplicem ſenſum habentia, vel per circumſtantias, in quibus verba profert, *c. m. ſecus n. ma.* In præſenti per circumſtantias, in quibus verſatur delictum negans, vel non confitens, ſatis indicatur exterius Judici, quod Reus neget in hoc ſenſu, *ut teneatur fateri cum certa vitæ &c. jactura*, quem ſenſum verum eſſe exiſtimamus. Innoc. XI. damnavit amphibologias & reſtrictiones mere mentales, in quibus nullo modo indicatur exterius aliquis ſenſus verus. Adde, quod illa propoſitio, quæ admittebat amphibologias ad tuendam ſalutem corporis, honoris &c. ſit damnata

pro-

propter & contra Janſeniſtas, qui hoc modo tegebant ſuam hæreſim, quando debebant vi formulæ juramenti ſibi præſcripti illam damnare, aſſerentes, ſufficere *obſequioſum ſilentium* ad ſatisfaciendum Bullis Pontificum. Ceterum ubi ex gravi cauſa licitum eſt uti æquivocatione, vel reſtrictione mentis ſenſibili, ex eadem licitum quoque eſt addere juramentum, quia nec in veritate deficit, nec in judicio, nec in juſtitia.

7 Dico 4. Confeſſio judicialis rite facta non poteſt amplius retractari; quia talis confeſſus habetur pro judicato, *l. un. C. h. t.* Excipe niſi revocatio fiat in continenti, h. e. antequam recedatur a Judicio, vel confeſſio redigatur in ſcripturam, *arg. c. 7. de teſtib. cog.* Item niſi poſt intervallum revocare volens probet errore ſe lapſum, modo error non ſit circa factum proprium, vel jus manifeſtum.

8 Dico 5. Confeſſio extrajudicialis ſponte &c. facta, etſi plene probaretur in Judicio v. g. per duos teſtes, ſe ſola non plene probat regulariter, adeoque non relevat adverſarium ab onere ulterius probandi. Text. & DD. *in l. ult. C. de probat. c. 14. de fid. inſtrum.* Dixi 1. *etſi plene probaretur*, ſi enim non plene probatur, nec ipſa aliquid probat contra confitentem. Dixi 2. *non plene*: nam ſemiplene probat in civilibus in duplici caſu: ſi eſt *diſcreta*, h. e. cum expreſſione cauſæ, ex qua ortum eſt debitum, v. g. mutui: item ſi fit *præſente adverſario*, at ſine expreſſione cauſæ, ut notant DD. In criminalibus autem ſufficit ad torturam. Dixi 3. *regulariter*; nam plene probat in civilibus, 1. ſi facta eſt in ſcripto, & ſimul cum expreſſione cauſæ debiti, modo ſcriptura legitime recognita fuerit, *l. 11. & Auth. ſi quis C. qui potior. in pign.* In ſcriptura liberatoria a de-

debito, vel quitantia, non requiritur expreſſio cauſæ, 2. ſi eſt facta præſente adverſario, & ſimul cum expreſſione cauſæ, 3. ſi fuit jurata, 4. ſi geminata, ſeu bis facta, 5. ſi cedit in favorem cauſæ piæ, 6. ſi facta in publico, ſeu coram majori parte populi, 7. ſi a moribundo cum expreſſione cauſæ. In criminalibus; ſi adjuvetur aliis adminiculis, poteſt quidem plene probare, non vero in ordine ad pœnam ordinariam. DD. paſſim.

T I T U L U S XIX.

De Probationibus.

S U M M A R I U M.

1 *Quid ſit probatio, & quibus modis fiat.*
2 *Alia dicitur plena, alia non plena, vel ſemiplena.*
3 *Qualis debeat eſſe probatio, & quæ ex contrariis ſit efficacior.*
4 *Probare regulariter tenetur actor, & qui aliquid affirmat.*
5 *Quandoque etiam negans ſuam negativam.*
6 *Ocularis inſpectio rite facta probat pleniſſime.*
7 8 *Quid ſit fama, & rumor: quid probent.*

1 PRobare hoc loco & in genere nihil eſt aliud, quam de re dubia alicui fidem facere per adducta argumenta, ſeu rei intrinſeca & ex viſceribus cauſæ deſumpta, ſeu extrinſeca, uti ſunt teſtes, tabulæ, &c. *c.* 3. *& l.* 13. *ff. h. t.* Unde probatio definitur eſſe *oſtenſio rei dubiæ vel controverſæ per legitimos modos facta*, ut nimirum conſtet de rei veritate, non quidem neceſſario quoad rem ipſam in ſe, ſed quoad modum: ſic per duos teſtes conſtat ſatis, etiam in Judicio, de veri-

veritate, licet teſtes ſubornati a parte rei falſum dederint teſtimonium. *Modi* autem ſeu ſpecies probationis ſunt *Teſtes*: *Inſtrumenta* ſeu ſcripturæ vel tabulæ: *præſumptio*: *juramentum* (de quibus agent, 4. tituli ſubſequentes) *fama & inſpectio ocularis*, de quibus, cum alius non extet locus proprius, hic aliqua trademus; dicitur quidem res probari etiam per *evidentiam rei*, *& per confeſſionem propriam*, ſed ſtricte loquendo non ſunt probationes; nam quæ ſunt evidentia ſeu notoria, per ſe conſtant, & ſolum allegantur; imo, etſi non allegentur, a Judice attendi debent: confeſſio autem propria, de qua in *tit. præced.* eſt potius relevatio ab onere probandi, quam probatio, & inducit notorium. Ceterum ſub probationem cadunt ea, quæ ſunt Facti, non quæ Juris ſunt: ſiquidem Jura cenſetur eſſe aliunde jam nota Judici ac certa, niſi nempe exiſtentia ipſius Juris vocetur in dubium. Interim tamen *allegationes Jurium*, quibus inſtruitur Judex ad ferendam ſententiam, paſſim referuntur inter probationes, & ut tales adducuntur.

2 Probatio dividitur in *plenam & non plenam*. Illa facit plenam fidem, ſeu moralem certitudinem parit, itaut, ſi in Judicio afferatur, Judex ſententiam definitivam pro probante poſſit ferre, imo & debeat, *can.* 4. *cauſ.* 3. *q.* 7. *l.* 6. §. 1. *ff. de offic. præſ.* qualem faciunt duo teſtes omni exceptione majores, inſtrumentum publicum, vel authenticum, præſumptio Juris & de Jure, &c. *non plena* parit tantum opinionem, nec regulariter ſufficit, ut ex illa Judex ferre poſſit ſententiam, qualem facit unus teſtis, inſtrumentum vel ſcriptura privata, præſumptio probabilis, fama &c. Hæc habet ſuos gradus, alia enim dicitur *ſemiplena*, quę facit mediam quaſi fidem; & una cum alia ſemiplena integram ſeu ple-

plenam conciliat; uti unius teſtis depoſitio cum juramento ſuppletorio, vel cum fama, in cauſa civili, text. & DD. in *c.* 27. *de teſtib. &* *c.* 13. *ac l.* 5. *C. h. t.* alia *plus quam ſemiplena*, v. g. depoſitio unius teſtis valde excellentis, quæ, ſi conjungatur cum alio adminiculo de ſe non apto ad ſemiplene probandum, uti eſt teſtis non omni exceptione major hujus defectum ſupplere, & fere, vel omnino plenam probationem efficere poteſt: alia *minus*, *quam ſemiplena*, qualem facit præſumptio levior & talis non ſufficit, ut delato juramento ſuppletorio plenam conſtituat probationem. Qualem gradum attingat allata in Judicio probatio non plena, pertinet arbitrari ad Judicem. *Objic.* 1. ſi actor deficiat in probatione, reus eſt abſolvendus, *c. fin.* *§. ſane de jurejur. l.* 4. *C. de Edendo*, ſed actor deficit in probatione, quotieſcumque non plene probat: ergo quotieſcumque actor non plene probat: Reus eſt abſolvendus; ergo vel nulla datur ſemiplena probatio, vel ſaltem non attenditur, & inutilis eſt, 2. duo imperfecta non faciunt unum perfectum, *arg. can.* 14. *d.* 23. ergo nec duæ ſemiplenæ probationes. R. ad 1. *diſt. maj.* ſi ita deficiat, ut nec plene, nec ſemiplene probet ſuam intentionem, non ſupplendo defectum unius probationis per aliam ſemiplenam, v. g. per juramentum, confeſſionem Rei extrajudicialem, præſumptionem probabilem, *tranſeat*, & regulariter, non ſemper verum eſt; quia probatio ſemiplena ſubinde ſufficit ad ferendam ſententiam, uti in rebus levibus, factis antiquis, & quando agitur de vitando peccato, v. g. ſi ſemiplene probatum eſt impedimentum inter contrahere volentes matrimonium: item in cauſis criminalibus ſufficit ad inſtituendam inquiſitionem, incarcerationem, &c. Si ſemiplenam ful-

fulciat per aliam ſemiplenam, *n. ma.* Ad 2. *diſt. conſ.* niſi tendant ad eumdem finem, & ſingulæ habeant vim ſemiplenæ probationis, *c. conſ.* ſecus, *neg. conſ.* In *d. can.* ſermo eſt de Sacramentis, quæ conficiuntur a duobus, quorum unus ponit materiam, & alter formam: quod utique non fit valide: ſed non eſt ad rem.

3 Dico 1. Probatio, ex qua ferri poſſit ac debeat ſententia, debet eſſe clara, *c. 8. h. t.* & regulariter plena, & concludens vel convincens, *l. 9. C. de Judic. & Matth. 18.* ibi: *in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum*. In criminalibus vero, ubi agitur de vita & membris, luce meridiana clarior, *l. fin. C. h. t.* Ceterum probatio plenior & efficacior vincit contrariam minus plenam & fortem, per *c. 9. §. fin. h. t.* itaut obtineat cauſam, qui melius probat, *l. 21. §. 3. ff. de teſtib.* Quænam ergo, ſi utraque pars litigans afferat pro ſe probationem, cenſenda eſt efficacior & victrix? R. 1. quæ fit per evidentiam facti, vel per aſpectum ocularem, 2. quæ fit per rei veritatem, præfertur alteri, quæ fit per conjecturas, præſumptiones, juramentum, 3. quæ eſt favorabilior, ut quæ excludit peccatum. Si vero probationes omnino æquales, & inter ſe contrariæ afferantur utrimque, ad invicem conquaſſantur & neutris ſtandum: interim tamen favendum eſt Reo, aut Poſſeſſori, *c. 11. & 65. de R. J. in 6.* niſi actor habeat cauſam in jure *favorabilem*, quales ſunt quatuor, matrimonii, teſtamenti, dotis, libertatis; tunc enim pronuntiandum eſt pro cauſa favorabili, *c. fin. de ſent. & re jud. c. 3. h. t.*

4 Dico 2. Onus probandi regulariter incumbit actori. Ratio, quia probare debet, qui aliquid affirmat in præjudicium alterius, non qui negat, *l. 2. & 19. ff. l. 1. 8. 23 C. h. t.* Sed actor aliquid affirmat in præjudicium Rei, & Reus negat ordina-

narie: ergo. Dixi, *regulariter*; nam 1. Reus probare tenetur exceptionem affirmativam, qua nimirum aliquid vel formaliter vel virtualiter affirmat, dicendo v.g. ſe jam ſolviſſe, quod petitur, ſe præſcripſiſſe, teſtatorem non fuiſſe ſanæ mentis, virtualiter enim affirmat, teſtatorem fuiſſe dementem. Siquidem Reus affirmative excipiendo fit actor, *l. 1. ff. de except. l. 19. cit.* 2. Si pro actore ſtet præſumptio Juris, uti pro Parocho decimas in ſua parochia ſitas prætendente, vel poſſeſſio, per *c. 3. de procurat. c. 2. de reſtit. ſpol. in 6. c. 65. de R. J. in 6.* quia talis præſumptio, aut poſſeſſio, rejicit onus probandi in Adverſarium, 3. Si Reus ipſe, fiducia ſui juris: in ſe ſuſcipiat onus probandi, *l. 14. ff. h. t.* quo tamen caſu, ſi Reus deficeret in probatione, tamen abſolvendus eſſet, ſi actor non ſatis probaret intentionem ſuam. 4. Si Judex juſta de cauſa onus probandi transferat ab actore in Reum, *c. fin. & l. 38. ff. de jurejur.* 5. Si actor eſſet privilegiatus, ut pupillus, mulier, agricola, miles, qui cenſentur rerum forenſium & Jurium imperiti; ſi enim aſſererent, ſe ſolviſſe indebitum, Reus id negans probare deberet, fuiſſe debitum, *l. 25. §. 1. ff. h. t.* Sic Civitas vel Eccleſia, licet fateatur mutuum, non tenetur ſolvere, niſi creditor probaverit, illud eſſe verſum in utilitatem Civitatis vel Eccleſiæ *c. 1. de depoſ. c. 2. de ſolut.* Denique 6. Si inſtituatur Judicium diviſorium, vel commune, vel duplex, uti *finium regundorum*, *communi dividundo*, *familiæ heriſcundæ*, *interdictum retinendæ poſſeſſionis*, uterque litigans probare debet ſuam intentionem; quia uterque ſimul eſt actor & Reus *c. 3. h. t. §. 4. Inſt. de interdictis.*

5 Quæres, an negans numquam teneatur probare, aut negativa propoſitio numquam poſſit probari? R. Pure & ſimpliciter negans, v. g. ſe

mu-

mutuum accepiſſe, ſe occidiſſe &c. numquam tenetur probare, imo talis negativa *facti pura* nec directe nec indirecte probari poteſt; *cum per rerum naturam factum negantis probatio nulla ſit*, *l.* 23. *C. h. t.* intellige per teſtes, inſtrumenta &c. nam per confeſſionem vel per juramentum negantis utique probari poteſt. R. 2. negativa *facti* non pura, ſed *prægnans*, quæ nempe virtualiter in ſe continet affirmativam, ut ſi neges te *ſponte* renuntiaſſe beneficio, vel *veſtita* circumſtantiis loci, temporis, perſonæ &c. directe quidem probari non poteſt, quia non entis nullæ ſunt qualitates, poteſt tamen indirecte, &, ſi negans in ea fundet ſuam intentionem, probari debet. Idem eſt de negativa *Juris*, qua negatur aliquid de Jure fieri potuiſſe, v. g. Titium initiari ordinibus, teſtamentum legitime eſſe factum &c. & de negativa *qualitatis*, quæ naturaliter & communiter ineſſe cenſetur v. g. Titium eſſe legitime natum, eſſe potentem ad generandum &c. Ratio eſt, quia in his caſibus negans virtualiter aliquid affirmat, v. g. te coactum eſſe ad renuntiandum beneficio, tempore commiſſi homicidii te fuiſſe alibi, extare legem, propter quam Titius valide ordinari, vel teſtamentum valide non potuerit conficere, Titium fuiſſe natum extra legitimum matrimonium: dein quilibet tenetur probare id, in quo fundat ſuam intentionem.

6 Dico 3. *Ocularis inſpectio*, rite facta, ordinarie eſt validiſſima probatio, inducens rei evidentiam, communis DD. ex *l.* 8. *ff. finium reg.* Dixi *rite facta*, nempe vel per ipſum Judicem, vel per deputatos ab ipſo commiſſarios; utiliter etiam adhibitis teſtibus, maxime rerum peritis, qui videntur neceſſario adhibendi, ubi veritas per inſpectionem haberi nequit, niſi per artis peritos, ut ſi vulnus inſpiciendum, an ſit lethale; qui te-

ſtes,

ſtes, & rerum periti, niſi per ſe ſint jurati, ſub juramento interrogandi ſunt, quid ſentiant: item convenit citari ad illam partes litigantes. Subinde, ubi nempe non ſuppetunt aliæ probationes, neceſſaria eſt, uti ſi controverſia eſt circa limites agrorum, in novi operis nuntiatione, in cautione damni infecti, ut ſi caveri petas tibi de damno, quod metuis ex vicini domo ruinoſa, iſte autem neget eſſe ruinoſam; item ſi contingat vulneratio; tunc enim Judex ſtatim debet curare, ut per Medicos & Chirurgos fiat inſpectio vulneris.

7 Dico 4. *Fama*, prout hic ſumitur, & ſpecies probationis eſt, definitur eſſe *communis hominum alicujus loci de aliqua re ſermo, ex ſola quidem ſuſpicione, certo tamen auctore, proveniens*. Differt a *rumore*; quod fama ortum habeat a certis auctoribus, qui dixerunt, ſe vidiſſe, vel interfuiſſe, atque inſuper quod tota vicinia, vel major pars communitatis (intellige non abſolute ſemper, ſed ſaltem reſpective major, h. e. reſpectu eorum, qui ſcire poterant & ad quos ſpectabat ſcire, v. g. major pars peritorum alicujus artis, ſi quæratur de facto ad talem artem ſpectante) aliquid afferat; quare & *vox populi* dicitur: econtra quod rumor non habeat certos auctores, & minoris partis de communitate vox ſit, ac tantum *particularis ſermo ex ſola ſuſpicione, & incerto auctore proveniens*, adeoque temeraria *vulgi vox*.

8 Dico 5. Fama ſi fuerit conſtans & uniformis, ortum habens a perſonis dignis; item ſi legitime fuerit probata, in cauſis civilibus plerumque probat ſemiplene, non plene. Ita communis apud Maſch. *in concl.* 754. *de probat.* Fundatur in *c.* 27. *de teſtib. l.* 3. *§.* 2. *ff. eod.* In criminalibus (idem fere eſt in civilibus arduis) in ordine ad pœnam ordinariam nec ſemiplene probat, ut habet

com-

communis; quamvis ſufficiat ad inquiſitionem ſpecialem, & ad incarcerandum diffamatum, ſi de fuga ſuſpectus ſit, item, ſi vehemens ſit aut aliis adminiculis adjuta, ad torturam. Carpzov. *in Pract. crim. p.* 3. *q.* 120. *n.* 27. In civilibus ſubinde etiam plene probat, uti in rebus modicis, in factis antiquis, memoriam hominum excedentibus, per *c.* 13. *h.t.* ac in aliis, quæ ſunt difficilis probationis, & aliunde non obtinabilis, item quando agitur de vitando peccato, aut quando cum fama concurrunt alia adminicula, per *c.* 11. *de præſumpt.* Vid. Maſch. *concl.* 754. *cit.* ubi affert, 32. tales caſus. Rumor minus probat, & fere ſuſpicionem tantum, & levem præſumptionem inducit. Sed quando cenſetur fama legitime probata? R. Si producatur inſtrumentum authenticum ſuper fama erectum: vel teſtes ſaltem duo, omni exceptione majores, qui jurato teſtantur, ſe audiviſſe ita dici a majori parte communitatis, & ſaltem duas perſonas nominatim exprimunt, a quibus audiverint, aſſerentibus ſe vidiſſe, aut alia indicia rei adducentibus. Maſch. *concl.* 750. 751. allegans alios. Ex quo apparet, prorſus difficilem eſſe probationem famæ.

TITULUS XX.

De teſtibus & atteſtationibus.

SUMMARIUM.

1 *Teſtes, & atteſtationes quid ſint.*
2 *Quinam poſſint eſſe teſtes, & qui non.*
3 *Teſtes alioquin inhabiles quandoque admittũtur.*
4 *Quomodo produci, & recipi debeant teſtes. Ubi de articulis, interrogatoriis, & examine teſtium.*

5 *Præ-*

5 *Præter teſtes etiam citari debent partes.*
6 *Teſtes, antequam examinentur, debent jurare regulariter.*
7 *Super quibus ſint examinandi.*
8 *Quomodo debeant teſtificari.*
9 *Quarto productio teſtium non permittitur, imo nec ſecunda, poſtquam teſtimonia innotuerunt producenti teſtes.*
10 *Quando duo teſtes plene probent: quid probet unus: quid teſtis de auditu.*
11 *Quid teſtes ſingulares.*
12 *An aliquid probet teſtis varius, & contrarius.*
13 *Exceptiones quæ ſint contra teſtes & eorum atteſtationes.*

1 PRima & uſitatiſſima probandi ſpecies fit per atteſtationes teſtium: *teſtis* autem Judicialis ex *c.* 1. *h. t.* definitur eſſe *perſona idonea, quæ ad inſtantiam partis evocatur & examinatur a Judice ad faciendam fidem re controverſa*. Ut vero ſit idonea, ſeu ad ferendum teſtimonium habilis, nec a Lege, nec a Canone repelli debet, *l.* 1. *§.* 1. *ff. & c.* 1. *h. t.* Unde teſtis idoneus a quibuſdam vocatur etiam *omni exceptione major*, quamvis in rigore talis, cui nulla prorſus exceptio opponi poteſt, ſuperet teſtem ſimpliciter habilem, tanquam *comparativum poſitivum* gradum. Teſtibus idoneis opponuntur inhabiles, qui ſunt in duplici claſſe; aliqui enim ita ſunt inhabiles, ut neque cum conſenſu partium, contra illos non excipientium, teſtari valeant, uti excommunicati non tolerati: alii vero valide teſtificantur, ſi partes contra ipſos non excipiant, aut eos non repellant propter defectum alicujus qualitatis; ut ſi non excipiant contra conſanguineum pro conſan-

gui-

guineo teſtificantem, vel ſi inimicum contra ſe admittant. *Atteſtationes* fiunt aſſeverationes ſeu depoſitiones teſtium ſuper aliquo facto.

2 Dico 1. Teſtis poteſt eſſe omnis, qui nullo jure prohibetur, *l.* 1. *cit.* Prohibentur autem 1. aliqui jure naturali, qui nempe laborant defectu mentis, uti infantes, fatui, furioſi extra tempora, quibus habent lucida intervalla. Impuberes & pupilli; ſi habeant ſufficientem uſum rationis, non quidem repelluntur jure naturali, regulariter tamen jure poſitivo propter immaturitatem Judicii, *l.* 3. §. 5. *ff. h. t.* Licet admittantur in contractu matrimoniali, in criminibus exceptis, & puberes facti de iis, quæ in impubertate perceperunt. Puberes autem ſeu minorennes admittuntur in cauſis civilibus non admodum arduis, non vero in criminalibus ante completum annum 20. ætatis, *l.* 20. *ff. eod.* niſi ſint cauſæ difficilis probationis, ubi etiam impuberes admittuntur tam in criminalibus quam in civilibus. Jure naturali prohibentur quoque ordinarie muti & ſurdi ſimul, quia ordinarie mentem ſuam explicare & intelligi ſatis nequeunt.

Secundo. Prohibentur jure poſitivo 1. cæci, qui rem ſolo auditu perceperunt, *can.* 15. *cauſ.* 3. *q.* 9. 2. Servi proprie dicti, *l.* 7. *ff. h. t. c.* 10. *de V. S.* Religioſi tamen his ſervis in hoc puncto non ſunt annumerandi, quia juxta *c.* 51. *h. t.* cum licentia Prælati licite, & ſine illa valide teſtificantur. 3. Infames infamia juris, *can.* 9. *cauſ.* 3. *q.* 5. *c.* 13. & 54. *h. t.* quales ſunt hiſtriones, adulteri, contrahentes inceſtuoſas nuptias, polygami &c. per ſententiam Judicis damnati tanquam fures, raptores &c. Lauterbach putat, de jure civili infames infamia juris non arceri a ferendo teſtimonio; infames autem infamia facti, qui nempe rei notorie quidem ſunt criminis,

cui tamen infamia a Jure non eſt annexa, aut condemnatio Judicis non intervenit, nec de jure canonico nec de jure civili, quamvis alii aliter ſentiant. 4. Perjuri, etſi pœnitentiam egerint, *can.* 14. *cauſ.* 2. *q.* 7. Farin. alii. 5. Pecunia corrupti, *c.* 1. *&* *l.* 3. *citt.* ut & alii ſuſpectæ fidei, inter quos cenſentur eſſe perſonæ valde viles & pauperes, *can.* 7. *cauſ.* 2. *q.* 1. *l.* 3. *cit.* niſi vita eorum & fama integra tollat ſuſpicionem corruptionis, quæ præſumitur ex nimia egeſtate & vilitate, per *c.* 8. *h. t.* 6. Excommunicati non tolerati, *c.* 8. *de ſent. excom.* ſi vero tolerati ſint, removentur ſolum ope exceptionis, *arg. c.* 13. §. 5. *de hæret. in* 6. Atque prædicti prohibentur abſolute; alii econtra prohibentur ſolum in certis cauſis, vel pro aut contra certas perſonas. Unde

Tertio. Prohibentur eſſe teſtes in certis cauſis. 1. Mulier in re feudali, & in teſtamento ſolemni: item de jure canonico in cauſis criminalibus, ut habet communior cum gl. in *c. forus* 10. *de V. S.* in quo *c.* datur hæc ratio, quia *varium & mutabile teſtimonium ſuper femina producit;* quod recte reſtringitur ad cauſas criminales, quia in civilibus non admodum arduis etiam jus canonicum admittit feminas, *c.* 3. *h. t.* Sicut jus civile *l.* 18. *ff. eod.* indiſtincte admittit. 2. Regulariter quilibet minor 20. annis in cauſis criminalibus. 3. In iiſdem, ſi agitur ad pœnam ſanguinis, contra reum clerici & religioſi. 4. Laicus contra clericum in iiſdem criminalibus, *c.* 14. *eod.* ſi nempe clerici teſtes haberi poſſint. 5. Actor vel accuſator in cauſa, ſuper qua agit vel accuſat, & Judex in cauſa, quam judicat, advocatus, item procurator, adminiſtrator, negotiorum geſtor, in cauſa quam gerit, vel defendit, *c.* 6. *x. & c. fin. eod. in* 6. 6. Quilibet in cauſa propria, *c.* 38. *cauſ.* 2. *q.* 6. *l.* 10. *ff. h. t.*

Quo

Quo etiam referas teſtem, qui eſt membrum communitatis, ſi ex ejus teſtimonio redundat commodum in ſingula communitatis membra, & non præciſe in utilitatem communitatis, qua talis: excipe tamen clericos & religioſos, qui in defectu aliorum teſtes eſſe poſſunt in cauſa ſuæ Eccleſiæ vel Monaſterii, *c.12. 38. b.t. & c.26. de jurejur.* licet directe exinde commodum redundet in Eccleſiam, &c. quia res Eccleſiæ & Monaſterii revera non ſunt ſingulorum.

Quarto. Prohibentur teſtari aliqui contra certas perſonas, uti 1. gravi laborans inimicitia contra inimicum. 2. Libertus contra patronum. 3. Parentes contra liberos, & hi contra parentes, ſaltem contra invitos; quo revoces etiam fratres & ſorores contra ſe invicem, conjuges contra ſe, vitricum contra privignum, ſocerum contra generum, & viciſſim, vaſſallum, & ſuo modo ſubditum, contra dominum; quia his perſonis debetur ſpecialis reverentia, amor, & concordia. 4. Advocatus contra clientem, tutor & curator contra pupillum & minorem ſuum, adminiſtrator, ſindicus, &c. contra ſuos principales in cauſis ſibi commiſſis, *arg. can.3. cauſ.4.q.3.* (ubi plurima circa teſtium qualitates & fidem, quam faciunt, referuntur ex jure civili) *& l. fin. ff. b. t.* 5. Judæi, pagani, apoſtatæ, item hæretici non tolerati contra Chriſtianos & Orthodoxos, *can.25 26. cauſ.2.q.7. l.21. C. de hæret.* denique. 6. Socius criminis contra ſocium, & quilibet de crimine convictus vel confeſſus contra alios *c.10 & l.11. C. b. t.* quia ſunt infames infamia juris, & ſuſpectæ fidei.

Quinto. Prohibentur aliqui pro certis perſonis teſtes agere propter nimiam conjunctionem, & inde ortam ſuſpicionem minus ſinceræ teſtificationis, uti 1. parentes & alii aſcendentes, ac liberi, fra-

tres & ſorores, conjuges, pro ſe invicem: item conſanguinei & affines propinqui pro ſe in cauſis criminalibus, & valde arduis civilibus; in aliis autem cauſis non ſunt teſtes omni exceptione majores, itaut Judicis ſit arbitrari, quantam fidem faciant; probant tamen in cauſa conſanguinitatis vel ætatis, niſi inde redundet ſpeciale commodum in teſtificantes. 2. Domeſtici, non qualeſcumque, ſed quibus producens ratione poteſtatis dominativæ vel gubernativæ imperare poteſt, uti famuli, & coloni mercenarii: item ſubditi pro domino ſuo, niſi prius (quoad actum præſentem) ſolvantur juramento ſubjectionis, & non agatur de proprio eorum commodo: idem eſt de officialibus Principum &c. ſi nempe illi vel iſti inquam vexationem propter datum liberum teſtimonium metuere poſſint. 3. Socius tam contractus quam criminis pro ſocio. 4. Singulariter amicus pro amico. Sumuntur hæc ex *can.* 1. 12. *cauſ.* 3. *q.* 5. *can.* 3. *cauſ.* 4. *q.* 3. *l.* 3. 6. 24. *ff. l.* 9. *C. h. t.*

3 Quæres an prædicti teſtes inhabiles, vel minus idonei, numquam admitti poſſit vel ſoleant ad aliquid probandum? R. ſi ſint jure naturali inhabiles, numquam, ut clarum eſt: ſi jure humano, lege vel canone, admitti poſſunt ac ſolent in ſequentibus caſibus, 1. quando veritas aliter haberi nequit, 2. quando agitur de peccato vitando, v.g. de impediendo matrimonio propter ſuſpicionem impedimenti, 3. in criminalibus exceptis, atrocibus, & valde perniciofis, uti eſt crimen læſæ majeſtatis, ſimoniæ, hæreſis, &c. 4. ſi deponant pro innocentia rei in criminalibus, 5. ſi deponant contra producentem, 6. ſi a partibus rogentur, & ſic approbentur poſitive, vel 7. ſi approbentur negative, h. e. nec a parte, contra quam producuntur, nec a Judice repel-

pellantur, 8. ſi procedatur ſummarie, & probationes non exactæ requirantur de Jure, DD. paſſim, & Greneck in ſuo egregio *examine juris canonici h.t. n. 9. me citato*, qui inſuper notant, plerumque Judicis arbitrio committendum eſſe, an & quantam fidem in his caſibus mereatur teſtis alias inhabilis, aut minus idoneus, ut adeo defectus ſupplere poſſit numero, gravitate vel excellentia conteſtis, conjecturis & præſumptionibus, &c. Notat inſuper P. Streinius *p.3. tit.V. §.1. n.4. in fine* cum Zypæo & Vallenſe, moribus hodie receptum eſſe ut neminem teſtari volentem Judex repellat, quia nimirum expedit ad bonorum ſecuritatem, & malorum oppreſſionem, ut quacumque via & modo noxæ detegantur & abigantur, *c.35. de ſent. excomm.* Ipſius dein erit deſpicere, quid fidei debeat tribuere.

4 Dico 2. Ut teſtes legitime producantur, & recipiantur, atque per eos fiat probatio, obſervanda ex communi praxi & ſenſu DD. ſunt ſequentia. Actor ex articulis poſitionalibus, ſeu ex poſitionibus a reo negatis, format articulos, quos vocant *probatoriales*, ſeu poſitiones, ex quibus tanquam præmiſſis veris conatur deducere, quod ſibi probandum eſt, & his articulis in ordinem poſitis præfigit certos numeros: tum denominat perſonas teſtium, quos ad probandos articulos intendit producere, & quia ordinarie non omnes & ſinguli teſtes notitiam habent, nec audiri poſſunt de omnibus articulis, hinc ſpecificat articulos, ſuper quibus unumquemque teſtium cupit audiri, v.g. ſuper articulo 1. 2. 3. Cajum & Mævium, ſuper 4. & 5. Sempronium & Titium, &c. ſuper 6.9.11. eumdem Cajum & Mævium, &c. quæ ſpecificatio appellatur *denominatio teſtium cum directorio*, quia dirigit Judicem in Examine te-

 ſtium

ſtium inſtituendo. Poſtmodum hi articuli cum denominatione teſtium & directorio exhibentur Judici, & ab hoc communicantur reo, non tantum ut iſte poſſit excipere contra perſonas teſtium & articulos, ſi exceptionem ſe habere credat (relicta interim Judici poteſtate ſtatim admittendi probationem exceptionis, vel, dilata probatione uſque poſt publicationem atteſtationum, prius examinandi teſtes *c.* 7. *h. t.*) ſed etiam ut *interrogatoria* (ſeu certas quæſtiones) quæ teſtibus a Judice proponantur circa factum ejuſque circumſtantias, ponere, & iis, quæ Judex ipſe fortaſſis format, addere poſſit ad dignoſcendum, & eum in finem, ut appareat, an teſtes conſequenter loquantur, ut cauſam ſui dicti reddant, vel ut deprehendatur ſubornatio: & hæc interrogatoria non communicantur producendi teſtes, ne iſtos circa illa inſtruere vel ſubornare valeat, imo nec teſtibus ante examen, ne colludant.

His præmiſſis citantur teſtes, & in præſentia utriuſque partis, quæ citari neceſſario debet ad videndum jurare teſtes, *c.* 2. *h. t.* jurant de veritate dicenda; tum vel a Judice, vel ab alio, cui Judex committit, examinantur & audiuntur ſinguli ſeorſim & ſecreto ſuper interrogatoriis & articulis, eorum dicta inferuntur protocollo, rurſus ipſis præleguntur, ut forte inconſideratius dicta corrigere poſſint, & in fine ipſis imponitur ſilentium, ideſt, monentur, ne evulgent, quid interrogati reſponderint. Abſoluto examine protocollum, quod hic appellatur *Rotulus examinis* clauditur ſigillis commiſſariorum (ſi per commiſſarios examen teſtium fuit inſtitutum) traditur Judici deleganti: qui illud publicat, nempe atteſtationes, & utrique parti petenti copiam concedit, ut utraque videat;

quid

quid pro vel contra ſe depoſuerint teſtes; nam ex his atteſtationibus actor deſumit ſuas probationes, eaſque in ſcripto Judici exhibet: Reus etiam notat ea, quæ pro ſe faciunt, præſertim circa perſonas & dicta teſtium, ut poſtea illa actori opponere poſſit. Contra ſcriptum indemnitatis hoc poteſt actor replicare, & porrigere. Ceterum cum ſubinde contingat, ut etiam reus, ex confidentia cauſæ, innocentiam ſuam ex ſuperabundanti probare velit, etiam ipſe ſimiliter formare debet articulos, qui dicuntur *Reprobatoriales* vel *Defenſionales*, quia contra actorem probat, & ejus intentionem reprobat, denominare teſtes cum directorio, & alia obſervare, quæ de actore articulos probatoriales ponente diximus. Quodſi pars poſt productionem teſtium dubitet, an per exhibitos articulos cauſam ſuam ſufficienter probaverit, poteſt exhibere novos articulos, qui nominantur *Additionales*, modo elogia teſtium prius non fuerint publicata, vel didicit a parte. Hæc ut melius intelligantur

5 Dico 3. Præter citationem teſtium ſpecialiter neceſſaria quoque eſt citatio partium, prout jam inſinuavi, ut videant teſtes jurare & recipi, itaut alias examen teſtium eſſet nullum, text. & DD. *in c. 2. h. t. cit.* Si autem aliquis teſtium non foret ſub juriſdictione Judicis, per litteras *mutui compaſſus*, ut vocant, deberet Judex requirere illius ſuperiorem, ut vel mittat teſtem ad locum motæ litis, vel ipſe examinet ſuper articulis & interrogatoriis formatis, illiuſque depoſitionem ſigillo ſuo munitam communicet Judici motæ litis.

6 Dico 4. Juramentum teſtium ante depoſitionem regulariter adeo neceſſarium eſt, ut abſque eo nullam in Judicio faciant fidem in præjudicium alterius, *c. 5. 17. 29. 39. 51. l. 9. & 18. C. h. t.*

etſi teſtis eſſet clericus vel religioſus: & licet cauſa tractetur ſummarie, ut notat Mynſ. *cent.3. obſerv.* 80. *num.* 3. cum Imola &c. Niſi nempe utriuſque partis conſenſu; expreſſo vel tacito, remittatur teſtibus juramentum, *c.* 39. *cit. & arg. c. ad Apoſtolicam, de regular.* Vel niſi teſtes forent tales, quibus ex conſuetudine non ſolet injungi verum juramentum & formale, quales in Germania ſunt perſonæ illuſtres, & in dignitate conſtitutæ, quæ appellantur *egregiæ*; harum enim depoſitio valet ſub *fide nobilitatis*, aut *ſtatus ſui*, licet non compareant in Judicio, ſed ſolum in ſcripto ſic teſtentur. Gail. *l.* 1. *obſerv.* 101. *n.* 14. Jurant autem teſtes tactis Evangeliis; Epiſcopi & Sacerdotes tacto pectore, poſitis tamen ante conſpectum Evangeliis. Apud Germanos conſuetudo habet, ut teſtes non tangant Evangelium, vel alias Scripturas Sacras, ſed ut mares erectis duobus digitis anterioribus (ſi feminæ ſint, manu dextera ſuper ſiniſtram pectoris partem poſita) jurent, ac dicant: *Sic me Deus adjuvet, & omnes Sancti ejus*: vel *Sanctum ejus Evangelium*. Clerici tamen & religioſi non coram Judice laico, ſi ab hoc petitur teſtimonium, ſed coram ſuo Epiſcopo vel Prælato, aut cui is commiſerit, jurant, *can.*2. *cauſ.*14. *q.*2.

Objic. 1. Juramentum teſtium eſt introductum jure communi; ergo remitti a partibus non poteſt. 2. In *c.* 39. *h. t.* ubi permittitur remiſſio juramenti, ſolum fit mentio Adverſarii: ergo non requiritur conſenſus utriuſque partis, ut nos diximus. R. ad 1. *diſt. ant.* eſt introductum jure communi, regulariter tamen & immediate in favorem partium, *c. ant.* in & ob favorem publicum, cui privati renuntiare non poſſint, *n. ant. & conſ.* In cauſis tamen matrimonialibus & ſpiritualibus, ubi periculum animæ, item in crimina-

minalibus criminaliler intentatis, ubi bonum publicum vertitur, partes remittere hoc Juramentum nequeunt. Ad 2. Etſi tantum fiat expreſſa mentio adverſarii, quia tamen in illo caſu jam fuit præſens, qui voluit producere teſtes ſine juramento, plus non requiritur, quam ut adverſarius conſentiret; ſic enim jam utriuſque partis conſenſus interveniebat.

7 Dico 5. Præſtito juramento examinandi ſunt teſtes ſingillatim & ſecreto de Interrogatoriis & Articulis, inchoando a generalibus, & paulatim ad magis particularia deſcendendo, nempe ſic: cujus nominis, 2. ætatis, 3. conditionis ſit teſtis, 4. an non conſanguineus, 5. vel inimicus adverſæ partis, 6. an non ſubornatus, 7. non convenerit cum aliis teſtibus de eo, quod velint dicere, 8. an aliquod emolumentum ſperet ex cauſa controverſa, 9. cui parti optet victoriam. Dein quoad factum & circumſtantias illius, 10. an ſciat, v. g. delictum eſſe commiſſum: quale: a quo: quando: quomodo. Demum 11. an ſciat, vel ſolum credat: unde ſciat (ut cauſam reddat ſui dicti) nempe an viderit ipſe, vel tantum audiverit, &c. Cujuſmodi interrogatoria ponit Judex, vel ejus commiſſarius ad examen teſtium delegatus, vel pars, contra quam producuntur teſtes. Judex tamen & interrogans debet abſtinere ab interrogatoriis *ſuggeſtivis*, quibus quaſi ſuggerit, prævenit, indicat, quid teſtis reſpondere debeat. *l.* 1. *§. qui quæſtionem* 21. *ff. de quæſtion.* Caveri quoque debent impertinentia & ſuperflua, cujuſmodi ſi a parte eſſent formata, a Judice rejici, ſicut ſuppleri debent utilia, quæ a parte non ſunt poſita.

8 Dico 6. Teſtes debent deponere *viva voce*, non per ſcripturam vel alia indicia, niſi ſint valetudinarii, aut perſonæ egregiæ, ad quas, ſi Judex

nolit accedere, vel id non deceat, notarium vel alios viros idoneos mittere debet, ut domi ſuæ ſub juramento, vel ſub fide nobilis, teſtificentur; imo poſſunt ſuas depoſitiones ſuo ſigillo & ſubſcriptione munitas mittere ad Judicem. Ratio, quia ex voce trepidante, vultu, geſtu, multum deſumi ſubinde poteſt. Unde *l.* 3. §. 3. *ff. h. t.* dicitur, *non teſtimoniis*, *ſed teſtibus credendum*. Concordat *c.* 8. *de cohabit. Cler. & mul. c.* 37. *& l.* 4. *C. h. t.* Debent item deponere *clare* non *dubitative*, v. g. per verbum *puto*, *videtur*, *niſi fallor*; talis enim depoſitio non probat, niſi negotium in ſe obſcurum ſit, vel alia probatio haberi nequeat. Præterea debent dare *cauſam ſui teſtimonii*, ideſt indicare, quo modo, & quo ſenſu corporeo, viſu vel auditu vel utroque, rem ſciant. Quodſi tamen nec Judex interroget, nec pars interrogari petat teſtem ſuper cauſa ſui teſtimonii, credendum eſt etiam cauſam non reddenti, niſi deponat in cauſa criminali ad condemnandum reum, vel ſuper negativa probanda, vel ſuper re, quæ ſenſu corporeo non percipitur, ut eſt nobilitas, dominium, juriſdictio, bona exiſtimatio &c.

9. Dico 7. Teſtes, ſive iidem ſive novi, ſuper iiſdem articulis non poſſunt produci niſi ſecunda & tertia vice; nam quarta productio, niſi fiat ex juſta cauſa, & producere volens juret, quod depoſitiones teſtium nec ſubtraxerit, nec didicerit, nec malitioſe novam productionem petat. 2. Poſt publicationem vero atteſtationum, aut poſtquam didicita ſeu intellecta jam ſunt a producente teſtimonia, regulariter etiam altera productio & receptio teſtium ſuper iiſdem articulis, vel directe contrariis, non conceditur propter periculum, ne producens ſubornet teſtes, ut v. g. aliquid addant, vel demant ſuæ depoſitioni. Pars 1. habetur

tur *c.* 15. 36. 46. *h. t.* Nov. 90. *c.* 4. Pars poſterior *c.* 46. *& nov. citt.* & maxime *Clem.* 2. *h. t.* Addidi *regulariter*; nam etiam poſt publicationem atteſtationum (quæ eſt publica prælectio depoſitionum in Judicio, & fieri debet, poſtquam partes ulteriori teſtium productioni renuntiarunt, ac citatis partibus) vel poſt didicitas depoſitiones licet producere aut recipere teſtes de novo 1. ex conſenſu utriuſque partis. 2. Ex ſpeciali facultate Principis. 3. Quando aliquis teſtis ſponte comparet, & aſſerit, ſe nunc melius recordari rei peractæ. 4. Quando prius examen perperam factum, vel nullum fuit. 5. In cauſa matrimoniali ob periculum peccati, & quoties poſt concluſionem in cauſa admittuntur adhuc teſtes, aut quando poſt latam ſententiam non datur exceptio rei judicatæ. Abb. Fel. Hoſt. Farinac.

10 Dico 8. Duo teſtes, omni exceptione majores, vel idonei, de veritate & proprio ſenſu deponentes, ordinarie plenam faciunt fidem, itaut ſententia deſuper ferri poſſit ac debeat, *can.* 3. *cauſ.* 2. *q.* 5. ibi, *teſtimonio duorum vel trium teſtium quilibet Jure convinci & damnari poterit.* Conſpirat *c.* 4. 10. 24. *h. t.* & Jus Divinum *Deut.* 17. 19. *Matth.* 18. *Luc.* 17. verbis: *in ore duorum vel trium peribit*, item: *in ore duorum vel trium ſtat omne verbum*. Dixi 1. *duo teſtes*, nempe non pauciores; nam unus teſtis, cujuſcumque ſit excellentiæ, regulariter ſolum ſemiplene probat, per *c.* 10. 23. 28. *& l.* 9. *C. h. t.* Unde illud vulgatum: *unus teſtis, nullus teſtis*, ſcil. ad plene probandum ordinarie; excipiuntur tamen cauſæ leviores, & ubi non agitur de præjudicio tertii, vel agitur de impediendo peccato, & nulli adhuc jus eſt quæſitum, & ubi teſtis deponit in iis, quæ pertinent ad ejus officium, v. g. Officialis publicus & juratus in rebus ad officium

pertinentibus, chirurgus vel medicus in dubio, an vulnus ſit lethale &c. In his enim caſibus plene probat unus teſtis, uti & ſi Papa, vel Imperator, vel alii Principes ſuperiorem non recognoſcentes de facto proprio teſtantur, vel ſi verſamur in antiquis, & alia probatio haberi non poteſt, aut ſi aliæ conjecturæ, præſumptiones, juramentum ſuppletorium, &c. accedat. Poſſunt tamen & ſolent pro quibuſdam caſibus a jure plures teſtes, quam duo, requiri: ſic in teſtamento ſolemni requiruntur ſeptem, & in matrimoniali contractu duo vel tres teſtes præter Parochum. Dixi 2. *de veritate deponentes;* nam deponentes *de credulitate*, per verbum *credo*, vel, *non credo* ita contigiſſe, regulariter non probant. Communis ex *c. 5. h t.* niſi nempe deponant contra producentem, vel niſi ſit cauſa, in qua ſufficit probatio præſumptiva & minus concludens, vel quando credulitas eſt proxima ſenſui propter circumſtantias, & ipſum factum ordinarie non poteſt percipi viſu, &c. ut in adulteriis, vel quando teſtis reddit rationem ſuæ credulitatis, vel teſtatur de re ad officium, vel artem ſuam pertinente, ac univerſim quando ſufficit teſtis ex auditu alieno. Dixi 3. *de ſenſu proprio*, nempe de viſu, vel de auditu proprio ac immediato, ſi res ſit auditu perceptibilis. Sumitur ex *c. 2. de conſuet.* In teſte teſtamentario, & quando agitur ad condemnandum in criminalibus, vel ad diſſolvendum matrimonium, præter auditum proprium requiritur etiam, ut teſtis viderit perſonam loquentem, utut alias noverit perſonam ex voce: ſecus nec ſemiplene probat. Teſtis autem *de auditu alieno*, & teſtis *ex auditu auditus*, ut loquuntur, h. e. aſſerens, ſe audiviſſe ab aliis fide dignis, qui dixerunt, ſe vidiſſe, vel audiviſſe immediate, regulariter non probat, ſed ad ſummum

in

in Civilibus facit indicium & aliquam probationem. Communis ex *c.33 h.t.* probat tamen, ſi illi, a quibus audivit, jam ſunt mortui, 1. in factis antiquis, ubi eſt difficultas vel impoſſibilitas aliter probanti. 2. Quando deponit contra producentem. 3. Quando agitur ad defenſionem Rei. 4. Quando cauſa eſt difficilis probationis, ſaltem ſi concurrant alia adminicula. 5. Quando ſufficiunt conjecturæ & præſumptiones. Vid. Tuſchus *litt.T. concl.* 180. Mynſ. *cent.6. obſ.* 58.

11 Quæres, quid ſint teſtes *ſingulares*, & an aliquid probent? R. 1. teſtes *ſingulares* dicuntur, qui non conſpirant, ſed deponunt vel ſuper factis diverſis, vel ſuper eodem quidem, ſed ita, ut quilibet in ſuo teſtimonio ſit ſingularis quoad locum, tempus, vel aliam circumſtantiam, vel ut quilibet ſuper eo, quod dicit, ſit unus ſolus. Si unus teſtis repugnat alteri, v.g. ſi unus idem delictum, non ſucceſſivum, aſſerat contigiſſe in hoc, alius in alio loco, unus hoc tempore, alius alio, &c. eſt *ſingularitas obſtativa*. Si ſibi non repugnant, ſed deponunt quidem de diverſis actibus, at non contrariis, nec tamen ſe invicem adjuvantibus v.g. ſi unus dicat, mutuum eſſe datum Monachii, alter Ingolſtadii, quia utrobique potuit eſſe datum, nuncupatur *ſingularitas diverſificativa.* Si denique deponunt de diverſis quidem actibus, mutuo tamen aujuvantibus ad probandum id, de quo controvertitur, v.g ſi unus teſtetur, Titium abſtuliſſe equum, alter vero ſe audiviſſe Titium confitentem, quod abſtulerit equum: vel, quando agitur de probanda poſſeſſione agri, ſi unus dicat, ſe Titium vidiſſe arantem, alius ſe vidiſſe meſſes colligentem in eodem agro, vocatur *ſingularitas adminiculativa* ſeu *cumulativa.* Teſtes ſingula-

gulares non faciunt numerum teſtium, & opponuntur *conteſtibus*, qui teſtantur ſuper eodem facto, iiſdemque circumſtantiis, & concordant. R. 2. teſtes ſingulares *ſingularitate obſtativa* nihil probant; quia unus evertit dictum alterius, ac melius eſt, unum pro ſe habere teſtem, quam plures ſibi repugnantes. Teſtes ſingulares *ſingularitate diverſificativa* faciunt ſemiplenam probationem, ſicut unus teſtis, per *c. 9. de Prob. & c. 32. h. t.* quia talis eſt teſtis ſingularis, quia ab alio non enervatur ejus teſtimonium, meretur fidem, quam meretur unus teſtis, quia vero conteſtes circa idem factum non habet, plene non probat. Teſtes ſingulares *ſingularitate adminiculativa*, quod actus eſt ſucceſſivus, vel plures habet partes integrales, plenam efficiunt probationem in civilibus non valde arduis per *l. 16. C. de pœnis*; quia tales teſtes concordant reſpectu ejuſdem finis, ad quem tendunt per diverſa media, adeoque non tam ſingulares, quam conteſtes dicendi ſunt.

12. Petes, qui dicatur teſtis *varians*, & *contrarius*, quidque probent? R. 1. teſtis *varians*, ſeu *varius* eſt, qui in dicto ſuo non ſtat firmus, ſed varia dicit ac diverſa, non tamen contraria directe. *Contrarius* vero *ſibi* ipſi, qui directe contraria & inter ſe pugnantia deponit. Qui autem aliis teſtibus contraria edicit, eſt *contrarius reſpectu aliorum*. R. 2. teſtis *varians*, ſi contraria deponit, nempe in hoc judicio iſtud, & in alio judicio aut examine contrarium, juxta aliquos apud Mynſ. *cent. 2. obſ. 86.* nihil probat: juxta alios probat ſecundum primam depoſitionem per *c. 10. de prob.* quamvis hæc probatio multum minuatur per alteram teſtificationem diverſam; ſi tamen hanc ſecundam faceret juratus, primam non juratus; vel ſi allegaret erro-

rorem in prima depoſitione, eumque probaret, vel ſecundam depoſitionem præſumptio vel aliud adminiculum redderet veriſimiliorem, probaret ſecundum ſecundam. R.3. teſtis *ſibi contrarius* nihil prob. *c.54. in fin. de app.* imo tanquam perjurus arbitrarie puniendus eſt *l.16. ff. h.t. Contrarius aliis* tunc probat quando aliis teſtibus, vel adminiculis ita adjuvatur, ut cum his fortiorem & veriſimiliorem fidem merito faciat, quam teſtes contrarii per *c.9. & c.32. citt.*

13 Dico 9 Exceptiones variæ opponi poſſunt teſtibus. 1. Contra eorum *perſonas* quod nempe non ſint legales, de quo videatur aſſertio prima. 2. Contra *examen* earum, quod nempe ad id non ſit citata pars adverſa, quod depoſuerint non jurati, non ſingillatim, non ſecreto, &c. 3. Contra eorum *dicta*, quod ſint contraria, non veriſimilia, non ſatis clara, de auditu alieno tantum, de credulitate tantum, quod cauſam ſcientiæ non expreſſerint, quod in ſuis dictis ſint ſingulares, &c. Contra perſonas teſtium poſt eorum receptionem, & a fortiori poſt atteſtationum publicationem non licet amplius excipere producenti teſtes, niſi nempe ex poſtfacto primum emerſerit, vel innotuerit cauſa ſuſpicionis, & hoc probaretur per juramentum; vel niſi expreſſe ante examen ſibi pars reſervarit exceptiones contra perſonas teſtium *l.17. C.h.t.* quia producendo (nam pars *producit*, Judex autem *recipit* teſtes, eos jurare faciens & audiens) cenſetur approbaſſe perſonas teſtium tanquam habiles: *quod autem ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt c. 21. de R.J. in 6.* Idem dic de altera parte, quæ debito tempore nihil oppoſuit contra perſonas teſtium. *Objic.* exceptiones peremptoriæ poſſunt opponi quocumque tempore, modo id fiat ante ſententiam.

tiam definitivam *l. 2. C. ſent. reſcind. non poſſ.* Sed exceptio contra teſtes eſt peremptoria: ergo. Reſp. *diſt. maj.* quæ ſpectant immediate cauſam principalem. *C. ma.* quæ incidentem, ut quæ opponitur teſtibus. *N. ma.* Dein etiam *min.* eſt falſa; nam exceptio contra teſtes nec eſt *peremptoria*, cum non ſit actionis excluſio, nec proprie *dilatoria*, quia poſt litem conteſtatam opponi poteſt; ſed participat de utraque, & ſolum indirecte perimit intentionem actoris. Ceterum tantum una & altera reprobatio teſtium probatoriorum admittitur per teſtes reprobatorios, & horum per alios reprobatorios, non vero tertia vel ulterior, ne procedatur in infinitum. Denique obſerva, teſtes producendos eſſe ſumptibus producentis; quamvis enim pro ipſo teſtimonio veritatis nihil exigi poſſit, vel dari debeat, ſumptus tamen itineris, & compenſatio lucri ceſſantis ex omiſſo labore, &c. exigi a teſtibus poſſunt; quia officium ſuum nemini debet eſſe damnoſum, ut habet regula juris.

TITULUS XXI.

De teſtibus cogendis, vel non.

SUMMARIUM.

1 *An teſtes cogi poſſint ad teſtificandum.*
2 3 *An etiam in criminalibus.*

QUia ſubinde contingit, ut nominati ab alterutra parte teſtes, & requiſiti ad teſtificandum, teſtari tamen nolint, ideo

1 Dico 1. Teſtes ad teſtificandum regulariter, ſi non ſint privilegiati, cogi poſſunt in cauſis civilibus de utroque jure, etſi juramento

ſe

ſe aſtrinxiſſent ad non teſtificandum, prævia tamen monitione. Text.& DD.in *c.1.ſeqq. h.t. l.16.& 19.C. de teſt.* Ratio, quia Reipublicæ intereſt veritatem in judicio non occultari, ſed manifeſtari. Dixi 1. *regulariter*; nam ad teſtificandum ſuper eo, quod quis novit ſub ſigillo Sacramentali (nimirum ex confeſſione peccatorum ordinata ad impetrandam abſolutionem) utique nemo cogi poteſt: item quod quis novit ſub ſecreto naturali, puta ſi vel modo injuſto notitiam acquiſivit, vel juſto quidem, ſed tacite aut expreſſe promiſit alteri, ſe non revelaturum, modo ſecreti celatio non cedat in grave damnum Reipublicæ, aut privati innocentis. Dixi 2. *Si non ſint privilegiati*, ſeu excuſati, uti parentes & alii aſcendentes contra liberos & deſcendentes: agnati & cognati uſque ad ſobrinum ſubrinove natum, adeoque uſque ad tertium gradum: affines, qui ſibi ſunt inſtar parentum & liberorum, ut ſocer & ſocrus, gener & nurus, vitricus & noverca: atque conjuges, nimirum contra ſe invicem *l.4.ff. l. 6. C. de teſt.* niſi aliunde probatio haberi nequeat, quod probare debet petens compelli teſtes. A fortiori a coactione immunes ſunt, qui ad ferendum teſtimonium ſunt inhabiles, uti excommunicati, infames infamia juris, perjuri &c. quia eorum teſtimonium nihil prodeſſet. Dixi 3. *de utroque jure*; de jure Civili quidem captis pignoribus, vel mulcta pecuniaria, de Canonico autem per cenſuras, Laici per excommunicationem vel per interdictum, Clerici per ſuſpenſionem *c.1.2.4. 5. h.t.* Objic. Si privilegiati poſſint cogi ad ferendum teſtimonium, quando veritas aliter haberi non poteſt, nihil prodeſt ipſis ſuum privilegium. R. Prodeſt, quatenus extra hunc caſum cogi nequeunt, uti tamen poſſunt non privilegiati.

2. Di-

2 Dico 2. In cauſis criminalibus criminaliter intentatis de jure civili poſſunt teſtes cogi regulariter *l. 16. C. de teſtib.* Conſonat communis DD. ſenſus, & praxis, niſi nempe crimen ita eſſet occultum, ut nulla de eo indicia adſint publica, & delictum aliis non eſſet pernicioſum: vel niſi appareret, delictum plane probari non poſſe: vel niſi teſtis ſciret, factum caruiſſe culpa. De jure Canonico autem regulariter cogi non poſſunt, ut habet communis & probabilior contra Konig *h. t. n.* 10. & alios ex *c.* 10. *h. t.* ibi: *teſtes, præterquam ſuper criminibus, per cenſuram Eccleſiaſticam coacti veritati teſtimonium perhibere.* Concordat *c.* 3. *& ibi gl. de teſtib.* ubi habetur, quod teſtes, ubi agitur de probando crimine, *monendi, non cogendi* ſint. Excipe tamen caſum, quo veritas aliter haberi nequit, *c. 5. h. t.* & quo veritas ſine peccato celari nequit, ut ſi agatur de crimine excepto, vel in futurum pernicioſo Reipublicæ aut aliis: vel etiam ipſi delinquenti, ſi non probetur delictum, & delinquens emendetur; vel ſi probanda ſit innocentia Rei, vel teſtis ſe ſubtrahat ex paſſione, nimirum vel odio accuſati, vel gratia aut timore accuſantis.

3 *Objic.* 1. Teſti in Criminalibus imminet periculum irregularitatis, vel alterius gravis incommodi. 2. Inhumanum eſt cooperari ad pœnam alterius per teſtimonium: ergo juſte ſe excuſat teſtis, conſequenter injuſte cogitur. R. ad 1. Non fit irregularis, qui coactus teſtificatur, licet ex hoc teſtimonio ſequatur mors alterius. Et bonum publicum præferendum eſt periculo privati incommodi. Ad 2. non peccat contra humanitatis leges, qui per ſuum teſtimonium vel maxime promovet humanam felicitatem obediendo Judici, qui plectere debet Reipublicæ noxios & ſceleratos.

TITULUS XXII.

De fide inſtrumentorum.

SUMMARIUM.

1 *Quid, & quotuplex ſit inſtrumentum, tam publicum & authenticum, quam privatum.*
2 *Quid ex parte conficientis requiratur.*
3 *Et quid ex parte formæ ad confectionem inſtrumenti publici.*
4 *Inſtrumenta publica, & privata authentica plene probant: an & tranſumpta.*
5 *Inſtrumenta privata pro ſcribente nihil, contra eum probant plene, regulariter.*
6 *Quid probent libri privati.*
7 *Et quid libri Mercatorum, & Sociorum.*
8 *Quomodo & quando producenda inſtrumenta.*
9 *A quo ſint edenda.*
10 *Quomodo impugnari poſſint.*
11 *Præſertim ratione falſitatis.*

1 PEr *inſtrumentum* hic intelligitur ſcriptura, ad faciendam fidem Judici, ſeu ad aliquid probandum in judicio, confecta vel adhibita. Dicitur ab *inſtruendo*, utpote inſtruens Judicem circa cauſam. Eſt duplex, *publicum*, quod a perſona publica qua tali, ſeu a Notario, qui etiam vocatur Tabellio, ad hoc ſpecialiter ordinato, & ſimul cum certis ſolemnitatibus confectum eſt. Et *Privatum*, quod a perſona non publica ad id muneris deſtinata & ſine ſolennitatibus confectum eſt. Utrumque eſt vel *originale*, quo nomine venit prima, & principalis illa ſcriptura, primitus confecta, & adhuc exiſtens: vel *exemplum*, ſeu *exemplar*, co-

copia tranſumptum, *vidimus*, quo nomine venit ſcriptura ſecundum originale tranſcripta; ſi id factum eſt manu vel auctoritate publica, dicitur *exemplar authenticum*. Ex inſtrumentis privatis aliqua vocantur *authentica*, & referuntur quoad effectum probandi ad publica, ac eatenus publica vocari merentur; quæ nimirum aliunde, quam a manu Notarii cum certis ſolemnitatibus ea erigentis, vim probandi publicis parem obtinent, uti ſunt 1. Protocolla judiciorum, ſeu acta judicialia, quæ continent geſta coram Judice Notario publico, vel duobus viris idoneis annotata *c.11. de probat.* 2. Scripturæ publico & authentico munitæ ſigillo, v. g. Epiſcopi aut Prælati Eccleſiaſtici, Principis, Civitatis, vel alterius Communitatis ſaltem accedente conſuetudine, per *c.7. de probat. c.9. h.t. c.14.* & ibi gl. *de exceſ. Prælat.* quod extendunt etiam ad ſigillum Officialis publici cujuſcumque quoad ea, quæ facit vi officii. Speculat. *de probat.* §. 3. *videndum n.15.* ſed ſigillum debet eſſe illæſum, & ſatis cognitum, ac inſuper accedere vel ſubſcriptio ejus, cujus eſt ſigillum, quod tamen probabilius negatur a Maſcardo & aliis, vel fieri mentio in contextu, illud voluntate ſigillantis eſſe appoſitum. 3. Scripturæ ex Archivio publico depromptæ, & ibi inter ſcripturas publicas aſſervatæ *auth. ad hæc C. h. t.* Sed ut cenſeatur eſſe archivium publicum, debet eſſe ad ſervandas ſcripturas publicas & authenticas erectum auctoritate Principis vel Magiſtratus, poteſtatem ferendi leges habentis, nempe Epiſcopi aut ſuperiorum Prælatorum, Principis, vel alterius Status Imperii, qui in ſuo territorio jura Regalium exercet: cujuſmodi Archivio præeſt Archivarius vel Cancellarius, *Com-*

men-

mentarienſis olim dictus. Unde Archiva infeferiorum, v. g. Monaſteriorum, Eccleſiarum, Civitatum Municipalium, ac Nobilium, qui non ſunt Status Imperii, privata ſunt; cum jus publici archivii non obtineant, nec ibi reponantur ſolæ ſcripturæ authenticæ, ſed etiam regiſtra, æſtima, urbaria, 4. Libri Officialium publicorum, Parochorum, Collegiorum opificum, libri cenſuales Civitatum. 5. Scripturæ privatorum, quibus præter ipſos principales ſubſcripſerunt tres integri teſtes, qui tamen recognoſcere debent manum ſuam *arg. l.* 11. *C. qui pot. in pign.* demum 6. Litteræ contractuum, quibus utraque pars contrahens ſubſcripſit.

His opponuntur inſtrumenta privata *non-authentica*, qualia ſunt. 1. Chirographum, quo aliquis fatetur ſe debere, v. g. 100. florenos ex mutuo. 2. Apocha, ſeu quietantia, quo creditor fatetur ſolutionem ſibi eſſe factam. 3. Antapocha (alio nominæ litteræ reverſales) qua viciſſim debitor fatetur, ſe creditori ſolviſſe cenſum, penſionem annuam &c. 4. Syngrapha, qua contrahentes teſtantur, ſe iniiſſe contractum, v. g. emptionis-venditionis, conventionem &c. In praxi ſubinde confunduntur ſygrapha, chirographum, apocha. 5. Libri privati, v. gr. cenſuales, libri rationum, ſeu dati & accepti, conventionum initarum; inventaria ſeu regiſtra privata, in quibus v. g. tutor deſcripſit res ſui pupilli, paterfamilias accepta & expenſa, ſocius merces nomine ſocietatis emptas, litigans expenſas in litem factas &c. 6. Litteræ miſſivæ, ſeu epiſtolæ, litteræ cambii, dimiſſoriales &c.

2 Dico 1. Ut inſtrumentum publicum rite conficiatur, *ex parte conficientis* requiritur 1. ut ſit Notarius legitimus. 2. Ut legitime procedat. Sumi-

mitur utrumque ex *c.2. h t.* *Nov.*43.44.73. *c.*5. *&*
7. Cenſetur autem eſſe *Notarius legitimus*, ſi eſt ex legitimo thoro natus, juris peritus, aut eorum ſaltem, quæ muneris ſui ſunt propria, & legitime creatus, ſcil ab eo, qui poteſtatem creandi habet, cujuſmodi per ſe ſunt ſoli Principes & Magiſtratus Superiorem non recognoſcentes, uti eſt Pontifex in Eccleſiaſticis, Imperator in politicis per Imperii Romani limites: ex privilegio tamen competit Comitibus Palatinis, ex conſuetudine vero Epiſcopis, & Principibus inferioribus, ſed pro ſuis dumtaxat territoriis. Si Notarius ſit conſtitutus a Supremo Principe, vi conſuetudinis valida erigit inſtrumenta pro utroque foro, ſcil. creatus a Papa etiam pro foro ſæculari & in cauſis temporalibus, ac viciſſim creatus a Cæſare etiam pro foro Canonico & in cauſis ſpiritualibus. Item valida conficit etiam pro extraneis, modo ipſe ſit intra territorium conſtituentis. Abb. *in c.*15. *h t. n.*9. Hiltrop. *de proceſſ. Judic. p.* 3. *tit.* 10. denique debet eſſe juratus.

Ut tamen cenſeatur *legitime procedere*, requiritur 1. ut rogatus ſit ad faciendum inſtrumentum a parte, vel partibus, a cujus vel quarum voluntate dependet Inſtrumentum. Ut circa hoc nihil poſſit objici, conſultum eſt, ut Notarius vel initio vel in fine exprimat, ſe ad id rogatum eſſe. 2. Ut vel proprie manu ſcribat ipſe inſtrumentum, vel ſaltem ſubſcribat, nomen & cognomen ſuum, addendo etiam, qua auctoritate, an Cæſarea vel Pontificia, ſit Notarius: item apponendo ſignum ſui Notariatus, quod eſt aliqua imago vel figura. An cujus ſigni, uti & Sigilli, appoſitio ſit de ſubſtantia inſtrumenti, lis eſt inter DD. quam optime dirimit conſuetudo loci. 3. Ut non faciat inſtrumentum pro non ſubditis illi, a quo conſtitutus eſt, licet a ſupremo Principe conſtitu-

tus

tus poſſit etiam pro extraneis, & peregrinis, ut jam annotavimus. 4. Ut negotium ſit honeſtum & licitum, atque non requirens cognitionem Judicis. 5. Ut habeat negotii, ſuper quo conficit inſtrumentum, notitiam per ſe ipſum, illudque ipſe viderit, vel audiverit, ut adeo ipſe debuerit intereſſe actui: niſi utraque pars ſuum contractum, vel Teſtator ſuum teſtamentum, coram Notario quaſi de novo repeteret. 6. Ut totum factum vel negotium cum debitis circumſtantiis & clauſulis fideliter, integre, & in charta munda, vel potius membrana pergamena deſcribat, nempe quis, quid ex qua cauſa &c. debeat *l ſcripturas 11. C. qui pot. in pign.* ſi tamen nemo excipiat contra inſtrumentum, in quo ſimilia ſunt omiſſa, illud ſubſiſtit *arg. l.3. ff. de V.O.* uti & inſtrumentum *antiquum*, ante 30. nempe, vel juxta alios ante 60. vel 100. annos confectum (quod tamen tempus melius relinquitur arbitrio Judicis) licet illa omnia non accurate exprimat.

3 Dico 2. Ut inſtrumentum publicum rite conficiatur, *ex parte formæ* requiruntur ſequentes ſolemnitates. 1. Debet præmitti invocatio Divini Nominis his, vel ſimilibus verbis: *In nomine Domini. Amen:* vel: *in nomine SS. & Individuæ Trinitatis, &c.* 2. Debet exprimi tempus, nempe annus Chriſti, menſis, & dies, vel etiam hora. 3. Indictio, quam reperire eſt in Calendariis. 4. Nomen & annus Papæ, vel Imperatoris, vel utriuſque, aut Regis, in cujus territorio fit inſtrumentum. Nomen Conſulis hodie omittitur. 5. Locus non tantum generalis, ſed etiam ſpecialis, ſcil. non tantum territorium, ſed oppidum, imo de conſuetudine etiam domus, & hypocauſtum. 6. Teſtium ſaltem duorum, in quorum præſentia actus eſt ge-

geſtus, nomina, qui tamen non neceſſario debent eſſe omni exceptione majores, cum habilitentur per conſenſum partium. An omnes, vel quænam ex his ſolemnitates neceſſariæ ſint ad valorem inſtrumenti, dependet ex conſuetudine. Vid. Haunold. *de J. & J. tom. 5. tract. 4. n. 369. & 389.*

4 Dico 3. Inſtrumenta publica, & privata authentica, niſi per exceptionem elidantur tanquam falſa, vel ſaltem ut ſuſpecta, plene probant quoad ea, quæ diſpoſitive in iis continentur, licet non quoad ea, quæ ſolum enuntiative ſeu narrative vel incidenter dicuntur *c. 1. 2. & l. 15. C. h. t.* DD. paſſim. Extendit ſe aſſertio 1. ad transſumpta, exemplaria auctentica, & copias vidimatas, modo ſint conformes originali, factas ab eodem Notario cum debitis ſolemnitatibus, vel ab alio quidem, ſed cum auctoritate Judicis, aut cum expreſſo conſenſu partium, talem copiam vel transſumptum approbantium tanquam conforme originali. Sumitur ex *l. 24. ff. qui teſt. fac. poſſ. c. 20. de converſ. conjug.* Everhard. Felin. Abb. &c. cum tale exemplum cenſeatur virtualiter eſſe ipſum originale. Conſonat *c. fin. h. t.* ibi: *Si inſtrumenta propter vetuſtatem, vel propter aliam juſtam cauſam exemplari petantur, coram ordinario Judice, vel delegato, ab eo ſpecialiter præſententur; qui ſi ea diligenter inſpecta in nulla ſui parte vitiata reperit, per publicam perſonam illa præcipiat exemplari, eamdem auctoritatem per hoc cum originalibus habitura.* Hodie vi conſuetudinis teſte P. Pirhing *h. n. 22.* non Judex, ſed Notarius inſpicit originalia. Aliter ſi fiant transſumpta, regulariter nihil probant *c. 1. h. t.* ibi: *Si ſcripturam auctenticam non videmus, ad exemplaria nihil facere poſſumus.* Extendit ſe 2. ad apoſtillas ſeu additiones, in margine, vel initio, vel in fine, item ad interli-

lineationes, cancellationes & raſuras, ſi factæ ſint ab ipſo Notario una cum ipſo inſtrumento; debet tamen Notarius ſubſcribendo atteſtari, eas a ſe eſſe factas, & quidem de ſingulis, ſi plures fecit. Communis cum Maſcardo. Extendit ſe 3. ad libros rationum, Cenſuales, Fiſcalium, Theſaurariorum, & Parochorum, utpote conſcriptos ab Officialibus publicis, nimirum quoad ea, quæ pertinent ad eorum officium *l.* 10. *ff. de probat.* Quia Officiales publici publica auctoritate ſunt conſtituti ad talia conſcribenda non minus, quam Notarii publici ad inſtrumenta publica conficienda.

5 Dico 4. Inſtrumenta privata non-authentica, ſeu ſcripturæ privatæ, pro ſcribente regulariter nihil. 2. Contra ſcribentem (idem eſt de ſubſcribente, vel de ſigillante) plene probant, modo ſint confeſſatæ, h. e. modo ſcribens recognoſcat ſuam manum, vel ſigillans ſuum ſigillum, & cauſa debendi ſit expreſſa. Pars 1. conſtat tum ex *l.* 7. *C. de Prob.* tum ex ratione, quia nemo eſt idoneus teſtis in cauſa propria, & in nullius poteſtate eſſe debet alium ſibi obligatum facere per ſuam ſcripturam: quamvis autem pro ſcribente nec plene nec ſemiplene probet, aliquam tamen facere poteſt præſumptionem Dixi *regulariter*; non fallit 1. ſi eſt ſumma modica, & ſcribens alias valde bonæ famæ; tunc enim ſcriptura privata probat plene juxta aliquos. 2. Si adverſarius eam producat pro ſe *l.* 26. *§. fin. ff. depoſiti*, *& auth. ad hæc C. h. t.* Item ſi inter partes approbata (vel in judicio recepta & agnita fuit) ſeu ſi pars adverſa nihil oppoſuit. Reiffenſtuel *hic n.* 191. *ſeqq.* & in his caſibus iterum plene probat, uti & 3. Si epiſtola ab eo, ad quem miſſa eſt, fuit acceptata & retenta ſine contradictione, per *Clem.*

1. *de procur. & l.16. ff. de S.C. Maced.* 4. Si a ſcribente fuit adjectum juramentum; tunc enim tribuitur ipſi ſemiplena probatio, quia æquivalet uni teſti jurato. 5. Siquis alteri dedit *chartam blancam*, ut vocant, ſeu vacuam, nomine tamen & ſigillo ſuo ſignatam, ut is ſcribat, quod petit, pro libitu; hæc enim probat tunc, quando, qui dedit, poſtea legit ratumque habuit, quod alter ſcripſit; non vero, ſi excipiat, qui dedit, dicendo, ſe non legiſſe, quod ſcriptum eſt, vel ſe non dediſſe talem chartam in hunc finem, vel quædam præter intentionem ſuam fuiſſe adſcripta. Sutting. *obſ.* 72. *n.* 5.6. Engel *h. n.* 29. cum Panorm

Pars 2. probatur tum ex *l.26.cit.* §.1. & *l* 13. *C.de non num.pecun.* tum ex ratione; quia talis ſcriptura privata, qua quis aliquid ſcribit contra ſe, cenſetur eſſe confeſſio, & agnoſcens ſuam manum confiteri reputatur, vera eſſe, quæ ſcripſit; propria autem confeſſio eſt optima probatio. Nec obſtat, quod confeſſio extrajudicialis non probet, ſaltem plene, quæ facta eſt abſente parte adverſa: hoc enim ſolum procedit de confeſſione verbali, non de ſcripta; ſcriptura enim ſemper loquitur, etiam coram adverſario & Judice, ſi exhibeatur. Deinde majori deliberatione ſolemus ſcribere, quam loqui *arg.l* 1.*C. de uſur.* unde confeſſio extrajudicialis ſcripta æquivalet confeſſioni extrajudiciali vocali geminatæ, ſeu ex intervallo repetitæ, & factæ coram adverſario; cujuſmodi, ſi ſimul expreſſa ſit cauſa, plene probant, uti dictum *ad tit. de confeſſis*. Addidi tamen, *modo cauſa debendi ſit expreſſa;* nimirum ſpecifica, an ſcribens debeat ex mutuo, emptione, vel quo alio titulo: niſi fateatur ſe debitorem cauſæ piæ *arg. c. fin. de ſucceſſ.* vel niſi aliunde cauſa facile

cile præſumi poſſit, ut ſi ſcripto promittas bene merito de te, vel pauperi, te illi donaturum ædes, vel certam eleemoſynam, vel ſcribas alterum tibi non obligari; quia in his caſibus præſumitur cauſa gratitudinis, miſericordiæ, liberationis vel gratuitæ, vel ſolutionis factæ. *Objic.* Qui ſcribit, ſe debere alteri, licet non exprimat cauſam, an ex mutuo, empto, &c. debeat, non minus fatetur debitum, quam qui exprimit cauſam: ſed propria confeſſio eſt optima probatio: ergo. R. Fatetur quidem, ſed non confeſſione, ex qua ſecundum Jura oriatur actio, vel ex qua efficaciter obligetur.

6 Quæres, an etiam libri privati, in quibus deſcribuntur rationes, acceptum & expenſum, jura, cenſus; debita activa, & paſſiva, prædia, ſilva, res alienæ, quæ adminiſtrantur, uti ſunt Regiſtra, Urbaria, Inventaria ſine auctoritate Judicis conſcripta, &c. nihil probent, ſicut ſcripturæ privatæ, ſeu chartæ ſeparatæ, & non conſutæ in libros? Reſp. Quamvis regulariter pro ſcribente non ſtricte probent, utpote ſcripturæ privatæ, faciunt tamen magnam præſumptionem; cum tales homines, talia referentes in libros, non ſoleant fraudulenter procedere; imo efficiunt ſemiplenam probationem, ſi ſcribens alias fuit bonæ famæ, & jam mortuus, contineantque data & accepta. Nicol. de Paſſerib. *de ſcriptura privata l.4. de libris rationum n.24.* Imo pro eodem plene probarent, ſi ſcribens, homo alias bonæ famæ, juramento confirmavit, verum eſſe, quod ſcripſit, & ſumma ſit parva. Maſc. *concl. 973. m. n. 13. 58* Item ſi plura alia adminicula concurrant, ut ſi contineant data & accepta, atque ſic etiam aliquid contra ſcribentem: ſi exprimant cauſam: ſi apponant annum, menſem, & diem: ſi ſcribens alias ſit fide dignus, & adjiciat juramentum: ſi libri contineant ſo-

lum res ad officium illud pertinentes, & careant conciliationibus, &c. Nicol. de Paſſer. *l* 4. *cit. de libr. Mercat. a n.* 48 præſertim ſi ſcribens jam ſit mortuus. Denique in factis antiquis, memoriam hominum excedentibus, & ubi aliæ probationes moraliter haberi nequeunt, ejuſmodi libri ſemiplenam, & juxta aliquos etiam plenam fidem merentur.

7 Petes, quid ſentiendum de libris mercatorum, Campſorum, & Sociorum? R. ſi rite ſint inſtructi ſecundum ſtatuta & conſuetudines locorum, plene vel ſemiplene etiam pro ſcribente probant. Sic juxta ſtatutum Norimbergenſe libri mercatorum plene probant, ſi ſint regulati juxta arbitrium peritorum mercatorum, ſcripti a viro famæ bonæ & ſcripturam confirmante cum juramento, & adverſarius nihil probet contra. Item iidem libri etiam ſecluſo hoc ſtatuto probant ſemiplene. Gail. *l.*2. *obſ.*20. *n.*2. Carpzov. apud Haun. *to.*5. *tr* 4. *de J.& J. n.*509. Lauterbach. *ad ff. h. t.* §.50. Idem de libris Campſorum cum proportione dicendum quoad ea, quæ ad cambia & ſuam negotiationem pertinent. Si vero hi mercatores, & campſores, non teneant ſuos libros legaliter, ſed in iis alterationes, ſuperadditiones, interlineationes, apoſtillæ, abraſiones, vel cancellationes reperiantur, non adhibetur eis fides. Citatur Rota *p.*19. *dec.* 405. *n.*19. *in recent.* De libris rationum inter Socios docet Menoch. *de arbitr. Jud. caſu* 92. quando plene probent quoad negotia communia.

8 Dico 5. Inſtrumenta in judicio producenda ſunt parte citata, & quidem in termino probatorio, nempe poſt litis conteſtationem (vel etiam poſt publicationem atteſtationum; quia hic nullum eſt periculum ſubornationis) regulariter tamen ante concluſionem in cauſa.

2, Eden-

2. Edenda quoque ſeu exhibenda ſunt Judici integra, parti vero ſolum illud capitulum (ſi plura contineat inſtrumentum) circa quod lis eſt, inſpiciendum vel prælegendum, data etiam ipſi copia vel extractu illius in ſcripto. Pars 1. conſtat ex *c.9. h.t.* item ex praxi & ordine Judiciario. Poterunt tamen produci etiam poſt concluſionem in cauſa, ſi Judex cenſeat eſſe neceſſarium vel utile; ſi pars adverſa non contradicat; ſi id ſerviat ad defenſionem Rei in cauſa Criminali, vel ad vitandum peccatum in matrimoniali; & ſi primum poſtea ſint reperta, ac producens juret, ſe prius eorum notitiam non habuiſſe. Pars 2. ſumitur ex *c.5. h. t. l.* 10. §. 2. *ff. de edendo* & hac ratione, quia Judicis eſt examinare, an inſtrumentum ſit legitimum, igitur totum videre debet: pars vero neceſſe non habet aliud inde ſcire, quam capitulum vel puncta litem concernentia.

9 Dico 6. Edere ſeu exhibere inſtrumenta illa tenetur & actor & Reus, quæ allegat, ſeu ipſe in judicio uſurus eſt. 2. Item illud, ad quod ſe refert inſtrumentum productum. 3. Actor quoque tenetur edere Reo, id petenti, inſtrumenta, quibus ipſe alias uſurus non eſt. 5. Non tamen viciſſim Reus actori, etiam petenti, ſaltem regulariter. Pars 1. habetur *l.1.* §.3. *ff. de edendo* ubi DD. Pars 2. in *auth. Siquis in aliquo C. eod.* quia referenti ſine relato non creditur. Pars 3. in *l.5. & fin. C. eod.* Pars 4. *l.1. & fin. C. eod. l.7. C. de teſtib. & c.1. de probat.* Ratio diſparitatis eſt, quod actor voluntarie ac ſponte compareat in judicio, adeoque conveniens ſit, ut veniat aliunde inſtructus ad probandam intentionem ſuam, & probationes non petat e *domo Rei* vel adverſarii ſui: econtra Reus veniat ad Judicium invitus & tractus; proinde favorabiliores debent eſſe ejus partes, ita ut favore defenſionis

etiam ex domo actoris medium ſe defendendi petere poſſit, ac viciſſim ne cogatur arma ad ſe impugnandum adverſario porrigere, quod nimis inhumanum foret *l.4.& fin. C.de edendo.* Interim tamen in quibuſdam caſibus etiam Reus tenetur inſtrumenta edere actori petenti, nempe 1. ea, quibus ipſe uſurus eſt, ut dictum. 2. Quæ ſunt utrique litiganti communia, vel communibus expenſis facta *c.12. h.t.*qualia ſunt teſtamenta, utpote communia hæredibus & legatariis, acta judicialia, ſuper contractibus v.g. emptionis-venditionis erecta. 3. Si actor eſt fiſcus *l.2.§.2.ff. de J.F.* quod privilegium extendit communia etiam ad Eccleſias, cauſas pias, & matrimoniales. 4. Si Reus eſt uſurarius, vel alias fraudibus aſſuetus *Clem.un. de uſuris.* 5. Si actor intentionem ſuam jam habet fundatam, v. g. jam plene probavit, ſe fundum vendidiſſe Reo, neſcit tamen, ſub quibus conditionibus *l. 52. ff. de act. empt. 6.* Si æquum videatur Judici, ut Reus actori exhibeat inſtrumenta, ut ſi actor probet ſufficienter, ſe citra culpam ſuam amiſiſſe, v. g. incendio, inſtrumenta propria. Atque ita ſentiendum de actore & Reo, in lite conſtitutis. Tertius vero regulariter non tenetur edere inſtrumenta *l.2 C.quando & quib.* niſi inſtrumentum ſit proprium petentis editionem, vel commune per *c. 12. cit.*

10 Dico 7. Impugnari inſtrumenta poſſunt variis ex capitibus. 1. Ratione cauſæ efficientis, quia v.g. Notarius, qui fecit, non fuit legitimus, vel ut falſarius jam ſemel condemnatus. 2. Ratione cauſæ formalis, quia inſtrumentum non habet ſolemnitates requiſitas, caret debita ſubſcriptione vel ſigillo legitimo, invocatione Divina, anno, die, Indictione, loco adſcripto, &c. 3. Ratione cauſæ materia-

lis,

lis, quia erectum eſt ſuper re illicita & prohibita. 4. Ratione cauſæ finalis, quia non probat intentum, ad quod probandum producitur, vel ſub-aut obreptitie obtentum eſt. 5. Ratione falſitatis, quam continet in puncto ſubſtantiali, v. g. circa negotium geſtum, ejuſque conditiones, circa locum aut tempus, quo dicitur confectum, circa teſtes, qui ſunt inſtrumento inſcripti, cujuſmodi falſitas probari poteſt vel per inſtrumentum contrarium, vel per teſtes ſive inſtrumentarios, h. e. Inſtrumento inſcriptos, ſive per extraneos. 6. Ratione lituræ, raſuræ, cancellationis in loco ſubſtantiali & ſuſpecto, ſi aliquid reperiatur additum aliena manu, charactere diverſo, &c. Dixi, *impugnari*, Judicis autem dein erit, an objecta ſint talia, ut expugnari & reprobari debeant inſtrumenta. De falſitate.

11 Dico 8. Si falſitas circa aliquid ſubſtantiale inſtrumenti appareat, vel per inſtrumentum aut teſtes inſtrumento adverſantes ſufficienter probetur, expugnatur & reprobatur inſtrumentum per *c.* 6. 10. 13. *h. t. l.* 14. *C. eod.* & quidem probabilius in totum, ita ut in nulla ſui parte fidem mereatur; quia teſtis, qui ſuo dicto adjicit falſitatem circa punctum ſubſtantiale, reprobatur in totum *can* 17. *cauſ.* 3. *q.* 9. Et reſcriptum per falſitatem doloſe expreſſam obtentum amittit ſuam vim quoad omnes partes *c.*15. *&* 20. *de reſcr.* ſed in ordine ad probandum æquiparantur inſtrumenta & teſtes, ac eadem in inſtrumentis pugnat ratio, quæ in reſcriptis. Addidi 1. *vel probetur per inſtrumentum adverſans*: ſi enim producatur aliud inſtrumentum exhibito contrarium vel contradictorium, quod conciliari cum altero nequit (ſi enim conciliari, & evitari poſſit per interpretationem, contrarietas vel contradictio, evitari debet) tunc vel eſt productum utrumque ab eadem parte; & fides

inſtrumenti omnino corruit *c.*13. *&* *l.*14. *cit.* ſi unum ab actore, alterum a Reo, ulterius refert, an unum ſit dignius altero, v. g. unum publicum, alterum privatum, & tunc credendum eſt digniori per *l.* 14. *C. de contrah. & comitt. ſtipul. & c.* 32. *de teſt.* ſi utrumque eſt æque dignum, & paris auctoritatis, utrumque enervatur, &, ſi per inſtrumentum probare ſuam intentionem voluit, aut debuit actor, ſuccumbit, Reuſque eſt abſolvendus, niſi actor habeat cauſam in jure favorabilem. Addidi 2. *aut per teſtes adverſantes*, ut ſi teſtes inſtrumentarii omnes, vel potiores, negent ſe actui interfuiſſe, vel dicant, aliter geſtum eſſe, quam in inſtrumento ſit ſcriptum, & tum rueret inſtrumentum *c.*5. *de prob. Nov.* 73. *c.* 3. non vero ſi ſolum dicerent, ſe quidem fuiſſe præſentes, at non amplius recordari, quid ſit actum inter partes, vel quo anno & die; quia teſtes dubitantes nihil probant in contrarium. Si vero teſtes extranei deponerent contra inſtrumentum, ſaltem duo, ac omni exceptione majores, aſſerendo, vel negotium non ita eſſe geſtum, vel perſonas principales, aut teſtes inſtrumento inſcriptos, tempore confecti teſtamenti fuiſſe in alio loco, quam in quo factum eſſe inſtrumentum loquitur, tunc eſt faciendum diſcrimen, an teſtes inſcripti adhuc vivant, & pro inſtrumento deponat, vel jam ſint mortui: in priori caſu non ſufficiunt duo teſtes reprobatorii; quia teſtimonium Notarii, quod habet magnam præſumptionem & aſſiſtentiam in jure, adjutum per teſtes inſcriptos prævaleret: in poſteriori expugnatur inſtrumentum per *l.*14. *cit. & c.*10. *h. t.* quia teſtes duo de jure plene probant, inſtrumentum vero, teſtibus inſcriptis, utpote jam mortuis, non adjutum, ſed ſolum teſtimo-

nium

nium unius Notarii, quod ſolum ex indulgentia & aſſiſtentia juris acceptatur pro plena probatione, ſolaque juris præſumptione nititur: atqui præſumptio debet cedere veritati, quæ de jure tam Divino quam humano habetur per duos teſtes omni exceptione majores.

Objic. 1. Probatio per inſtrumentum certior eſt, quam quæ fit per Teſtes; quia, quæ ſcribuntur præmeditate fiunt, & fidelius retinentur memoria: ergo inſtrumentum non reprobatur per teſtes. 2. Inſtrumentum inducit notorium, & ab Auctoribus vocatur probatio probata. 3. Inſtrumento ſolent inſcribi ſaltem duo teſtes: ergo una cum Notario publico enervari nequeunt per duos teſtes extraneos. R. ad 1. Id forte verum eſt, quando nihil opponitur inſtrumento, & ejus falſitas, vel alius defectus non probatur per teſtes. Ad 2. Inſtrumentum confeſſatum, contra quod nihil opponitur, facit notorium, *tranſeat* quod vocatur in controverſiam, vel omnino eliditur, *negatur*. Ad 3. Si teſtes non ſubſcripſerunt inſtrumento propria manu, vel adhuc vivi non ſtant pro inſtrumento, fides inſtrumenti demum fundatur in Notario, cui facile eſt teſtes falſo inſcribere; cui proin merito prævalent duo teſtes extranei.

TITULUS XXIII.

De præſumptionibus.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſit præſumptio, & quomodo differat a fictione juris.*
2 *Quantum probet præſumptio* Hominis:
3 *Et præſumptio* juris, *vel* juris & de jure:

4 *Præſumptio violenta, etiam in criminalibus, ſufficit ad ferendam ſententiam.*
5 *Quæ ſint axiomata de præſumptionibus.*

1 P*Ræſumptio*, quaſi *ante-ſumptio*, quando nempe ante legitimas probationes aliquid pro vero ſumitur, ſæpius accipitur pro conjectura, non faciente probationem plenam vel ſemiplenam, & ſic opponitur probationi tanquam aliquid minus; ſæpe tamen ipſa ſola plene vel ſemiplene probat, ut videbimus. Definiri poteſt, quod ſit *anticipata de re dubia opinio ex indiciis per rerum circumſtantias frequenter evenientibus deſumpta, aut ex legum determinatione procedens.* Fundatur igitur in indiciis ſeu ſignis, quæ quo majora & veritati magis vicina eſſe apparent, eo fortiorem efficiunt præſumptionem. A *conjectura*, cum qua ſæpe confunditur, differt, quod præſumptio importet magis determinatum aſſenſum, quam conjectura, quæ fere ſuſpicionem tantum denotat, non judicium vel opinionem: a *fictione juris* autem, quod hæc non ſit opinio veri, nec verſetur circa rem dubiam, ſed ſit certæ falſitatis ex rationabili cauſa a jure facta aſſumptio in ordine ad aliquem effectum, non admittens probationem in contrarium: ſic jura fingunt, hæredem eſſe eamdem cum defuncto perſonam in ordine ad ſuccedendum in omnia defuncti jura & onera; ſic fingunt, Religioſum eſſe mortuum ad diſponendum de rebus fortunæ: Canonicum in ſtudiis verſantem reſidere in ſua Eccleſia in ordine ad percipiendos fructus annuos.

2 Præſumptio eſt duplex, Hominis & juris: *Hominis* eſt, quæ ex indiciis & circumſtantiis formatur a viro prudente, vel a Judice, pro vel contra aliquem, ac nullibi in jure reperitur

tur expreſſa, v. g. ſi Titius fuit inimicus Sempronii, & iſte comperiatur noctu occiſus præſente Titio, hic præſumitur occidiſſe Sempronium. *Juris*, quæ in jure, nimirum vel in Canone vel in Lege aliqua, reperitur expreſſa: ſic jura præſumunt, quemlibet eſſe bonum, donec probetur malus: ſemel malum ſemper eſſe malum in eodem genere delicti, decimas ſpectare ad Parochum &c. *l.*18. §.1. *ff. de probat. c.* 8. *de R. J. in* 6. *c. fin. de reſt. ſpoliat.* Utraque ſubdividitur: *Hominis* quidem in *probabilem*, ſeu *gravem*, vel *diſcretam*, quæ fundatur in indiciis veriſimilibus, & cum effectu frequenter conjunctis, qualis eſt, qua puella præſumitur parum verecunda, quæ cum viris frequenter converſatur, ut eſt exemplum in *c.*13. *h. t.* & in *violentam*, quæ etiam *vehemens*, vel *vehementiſſima* dicitur, & oritur ex indiciis vehementibus, & cum re, vel facto, quod præſumitur, ordinarie & fere ſemper conjunctis, ita ut prudenti dubio fere locus non relinquatur, ut ſi nudus cum nuda in loco obſcuro deprehendatur; præſumitur enim fornicatio, ut eſt exemplum in *c.*12. *h. t.* His opponitur præſumptio *levis*, vel *temeraria*, quæ formatur ex indiciis levibus, vel vanis, vel ſuperſtitioſis, qualis erat uſitata olim purgatio vulgaris per aquam, ferrum candens, duellum *c.*2. *& fin. de purg. vulg.* Præſumptio *juris* alia eſt *ſimpliciter* talis & *juris tantum*, quam quidem jura faciunt, ſed ei non ita aſſiſtunt, ut non admittatur probatio in contrarium: alia autem *juris & de jure*, quam nimirum non tantum exprimunt jura, ſed etiam ſuper præſumpto tanquam aliquo ſibi comperto aliquid ſtatuunt, ac ita habent pro veritate, ut nullam in contrarium probationem directam admittant; hinc etiam vocatur *neceſſaria*, vel *violentiſſima*: talis datur pro ſententia, quæ tranſiit in

rem judicatam: quod res in inventario deſcriptæ in bonis fuerint defuncti &c. *l.207. ff. de R. J. l. ult. C. arbitrium tutelæ.*

2 Dico 1. Præſumptio hominis *violenta* probat ſaltem in civilibus plene, quamdiu contrarium evidenter non probatur. 2. *Probabilis* vero ſemiplene, vel plus, minuſve, pro qualitate indiciorum, & ſubjectæ materiæ, atque circumſtantiarum; quod denique arbitrio Judicis relinquendum eſt. Pars 1. ſumitur ex *c.* 2. 12. 13. *h.t. c.fin. de presbyt. non baptiz. in c.fin. c.un. §. porro ut benefic. Eccl. ſine diminut.* DD. paſſim. Pars 2. ex *c.*3. 11. *h. t. & l.*3. *C. de reb. cred.*

3 Dico 2. Præſumptio *juris* tam probabilis quam violenta, pariter plene probat, ac pro veritate habetur, non abſolute quidem, ſed ſub conditione, niſi contrarium probetur. 2. Præſumptio *juris & de jure* autem ita plene probat, ut non admittat probationem in contrarium. Pars 1. conſtat ex *c.fin. de reſt. ſpol. in 6. l.25. ff. de prob.* cum is, pro quo ſtat talis præſumptio, habeat intentionem fundatam in jure, ut loquuntur. Pars 2. ex *l.ult. cit. c.6. de cond. appoſ. c.*30. *de ſponſ.* Interim tamen, cum omnis præſumptio debeat cedere veritati, etiam præſumptio juris & de jure vincitur per confeſſionem propriam ejus, pro quo ſtat: per evidentiam facti, & allegationem notorii: per inſtrumentum publicum: per hoc, quod is, pro quo ſtat, non excipiat contra probationem in contrarium adductam: item per probationem indirectam, qua oſtenditur, non adeſſe in facto qualitates requiſitas ad præſumptionem juris & de jure.

4 Dico 3. Præſumptio violenta, tam hominis, quam juris, probabilius ſufficit etiam in criminalibus (ſaltem ubi delictum eſt difficilis probationis, uti ſunt delicta carnis, ſuppoſitio partus, incen-

cendium, furtum, veneficium, & ſimilia, quæ in occulto & per fraudem committi ſolent) ad ſententiam definitivam & ad pœnam ordinariam. Abb. Farin. Menoch. Laym. & alii contra Innoc. Fel. Fachin. Mynſ. Prob. 1. ex *l. 34. C. ad L. Jul. de adult. c. 12. h. t. c. 11. de Sim. & c. fin. de homicid. in 6.* ubi contra reum delicti, contra quem ſtat hujuſmodi præſumptio, ſtatuitur pœna ordinaria. 2. Ex ratione; quia talis præſumptio non minorem inducit certitudinem, quam duo teſtes, qui juxta omnes ſufficiunt ad condemnandum in criminalibus & ad pœnam ordinariam infligendam, imo facit majorem; cum utique minus fallere poſſint indicia violenta, ordinarie & fere ſemper connecti ſolita cum facto, quam duo teſtes, qui corrumpi & decipi poſſunt longe facilius. 3. Ex detrimento, quod Reipublicæ immineret ex oppoſita ſententia, ſecundum quam rariſſime puniri pœna ordinaria poſſent crimina difficilis probationis, quæ non ſolent committi coram teſtibus, vel cum erectione inſtrumentorum. *Objic.* 1. In *l. fin. C. de probat.* ad condemnandum in criminalibus majoribus requiruntur probationes luce meridiana clariores, ſcil. hauſtæ ex *apertiſſimis documentis, vel indiciis indubitatis, & luce clarioribus*: ſed præſumptiones non ſunt probationes tam apertæ & claræ. 2. In *can. 1. cauſ. 2. q. 1.* ait S. Aug. *nos in quemquam ſententiam ferre non poſſumus, niſi aut convictum, aut ſponte confeſſum.* R. ad 1. Illa lex, cui præcipue innituntur adverſarii, nobis potius favet, cum disjunctive inſinuat ſufficere *indicia indubitata*, ex quibus oritur præſumptio violenta. Vel dic, textum loqui de delictis, quæ ordinarie aliis modis probari plene poſſunt, quam per præſumptiones; quod non eſt contra noſtram aſſertionem. Ad 2. præſumptione

ne violenta gravatus recte, & æque bene dicitur convictus, quam per duos teſtes; cum æque, vel magis illa faciat moralem certitudinem,quam iſti.

5 Dico 4. Varia de Præſumptionibus extant axiomata, uti I. Præſumptio cedit veritati, ſeu quando res aliunde ſit clara, *l. 25. pr. v. ſin vero ff. de Probat.* II. Præſumptio relevat ab onere probandi, & id rejicit in adverſarium; quia ille, pro quo ſtat, ſuam intentionem habet fundatam. III. Præſumptio una cedit pluribus in contrarium ſtantibus, per *l. 3. §. 1. ff. de teſtib.* IV. Una præſumptio fortior tollit alteram infirmiorem, quæ ſtat in contrarium, *l. 7. ff. de in integr. reſt. c. 3. qui fil. ſint legit.* Et quamvis in dubio relinquendum ſit arbitrio Judicis, quænam ex contrariis ſit fortior & veriſimilior, ceteris tamen paribus potentior cenſetur communiter 1. quæ ſtat pro valore actus, 2. quæ favet reo, 3. quæ excludit peccatum, vel abſurdum, 4. quæ juri communi conformior eſt, 5. quæ fundatur in natura, 6. quæ eſt *Juris*, 7. quæ eſt favorabilior vel benignior, 8. quæ eſt magis ſpecialis &c.

TITULUS XXIV.

De Jurejurando.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit Juramentum; & quibus verbis fiat.*
2 *Quotuplex ſit Juramentum, tam Judiciale, quam extrajudiciale.*
3 *Quando jurare ſit licitum.*
4 *Qualis eſſe debeat ejus materia.*
5 *Effectus Juramenti promiſſorii.*
6 *Quandoque obligat Juramentum, licet promiſſio ſit nulla.*

7 *Ju-*

7 *Juramentum, actui per jus civile irritato adjectum non confirmat actum.*
8 *Juramentum* Judiciale (*quod actor deferre reo non poteſt, ſi prorſus nihil adhuc probavit*) *præſtari debet vel referri. An recuſari aliquando poſſit.*
9 Neceſſarium *an, & cui deferri debeat.*
10 *Quis ſit effectus Juramenti utriuſque, tam delati, quam præſtiti.*
11 *Juramentum* in litem *cui, a quo, & quando deferendum.*

1 JUsjurandum, ſeu Juramentum, quod ſæpe ſervit ad faciendam vel complendam probationem tum extra tum intra Judicium, qua de cauſa *l. 1. ff. h. t. maximum remedium expediendarum litium* vocatur, eſt *invocatio divini nominis in teſtimonium*, ſeu eſt actus latriæ, quo Deus, vel potius Divina veracitas, invocatur in teſtem, ſcil. vel ad faciendam fidem, vel ad firmandam promiſſionem. Ut valeat, requiritur 1. Intentio invocandi Deum in teſtem, 2. locutio, ſaltem interior, 3. res honeſta & licita, ſi juramento aliquid promittatur. Fit autem vel explicite, ut ſi dicas: juro: vel: *Deus mihi ſit teſtis*: vel *ſic me Deus adjuvet*, vel: *diſpeream, diabolus me rapiat &c. niſi ita ſit*; quæ ſunt juramenta imprecatoria; vel ex communi perſuaſione & conſuetudine, vel implicite, ut ſi dicas: *per cœlum: per fidem Catholicam: per Deiparam: per Sanctos, &c.* quia in his creaturis ſpeciali quodam modo relucet divinum numen, & ſic, ſi in teſtes vocentur, implicite ipſe Deus vocari cenſetur. Si quis Deos falſos invocat in teſtes, non eſt juramentum, nec inde obligatur ſecluſa conſcientia erronea. Econtra juramentum non eſt, ſi dicas, *vere, per fidem meam,*

per

per conſcientiam meam, *in fide ſacerdotis*, *ſub fide nobili*, *quam vere vivo*, & (ſecluſa intentione Deum invocandi in teſtem, ſed ſolum enuntiative proferendo hæc verba) *Deus eſt teſtis*, *Deus ſcit ita eſſe*, *coram Deo loquor*, *vivit Deus*. Item hæ comparationes, *quam vere eſt Deus*, *quam vere Deus eſt veritas*, *quam vere Chriſtus eſt in Eucha- riſtia*, *quam verum eſt Evangelium &c.* Si quis tamen tantam ſuis dictis ineſſe veritatem vellet indicare per hos modos loquendi, quanta ineſt veritatibus fidei, blaſphemus, foret, non verò, ſi ſolum aliquam ſimilitudinem, non paritatem, vellet inſtituere, ut ſenſus eſſet: verum hoc eſt *ſicut* verum eſt Deum exiſtere, &c. tunc enim ſolum eſſet aliqua levitas, & irreverentia erga res Divinas.

2 Juramentum 1. & generaliter dividitur, in *aſſertorium* & *promiſſorium*. Illo confirmatur aſſertum de re præſente, vel præterita, vel etiam futura, ſed abſque promiſſione: Iſto confirmatur promiſſio aliqua de dando, faciendo, vel omittendo in futurum a jurante: ſi ſit de ſumenda vindicta, vocatur *comminatorium*: ſi jurans ſibi imprecetur malum, ſi dictum non ſit verum, vel promiſſio non implenda a ſe, dicitur *Imprecatorium*, vel *Execratorium*: ſi juretur cum ſolemnitate aliqua, & actione corporali, v. g. tactu Evangeliorum, vel pectoris, vel erectione digitorum appellatur *ſolemne*, vel *corporale*. Dividitur 2. in *judiciale*, quod præſtatur in Judicio: & *extrajudiciale*, quod extra Judicium. Judiciale eſt multiplex, nimirum *calumniæ* & *malitiæ*, de quibus *ad Tit. de juram. cal.* item *credulitatis*, & *veritatis*, de quibus ad *tit. de teſtib.* jam actum. Aliud dicitur *Litis deciſorium*, quod in defectu aliarum probationum præſtatur ab alterutra parte litis finiendæ cauſa, & eſt triplex, ſcil. *Voluntarium*, quod pars defert parti, non approban-

bante Judice, & ſic appellatur, quia libere recuſari vel referri vel præſtari poteſt ab eo, cui defertur: *Judiciale in ſpecie*, quod pars defert parti approbante Judice, & hoc regulariter recuſari nequit, ſed vel præſtari debet, vel referri, nempe illi, qui detulit, petendo, ut ipſe juret, *l.* 12. §. 1. *C. de reb. cred. l.* 34. §. 6. 7. *ff. h. t.* demum *neceſſarium*, quod a Judice ipſo defertur alterutri parti, & hoc neque referri poteſt, ſed præſtari debet, *l.* 12. *cit.* §. 2. *c. fin. h. t.* atque ideo *neceſſarium* nuncupatur: ſi Judex illud deferat actori ad ſupplementum probationis, *ſuppletorium*, ſi reo ad ſe purgandum, *Purgatorium* dicitur. Præter hæc juramenta Judicialia datur & aliud, quod vocatur *Juramentum in litem*, vel *æſtimatorium litis*, quod nempe Judex defert actori, & petit, ut jurato ediſſerat, quanti æſtimet rem, in Judicium deductam, & ſuper qua litigatum eſt: ſi juret ſuper vero valore rei, appellatur *de veritate*: ſi juret ſuper damno, quod pati debuit, vel ſuper lucro, quo carere ob rem ſibi non reſtitutam *de intereſſe*: ſi demum nec de vero valore rei, nec de intereſſe, ſed ſuper ſingulari affectione ſua, qua fertur in rem ſibi ablatam, juramentum *affectionis*, vel de *affectione* vocatur.

3 Dico 1. Jurare licitum imo meritorium eſt, ſi habeat tria neceſſaria requiſita, quæ vocantur *tres comites*, & ſunt veritas, judicium & juſtitia. Communis omnium contra Anabaptiſtas. Patet ex Scripturis *Deut.* 6. *& Pſal.* 62. ibi: *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*. Jeremias autem diſerte exprimit dictos tres comites, dum ait *c.* 4. *jurabit, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia.* Unde, quando Chriſtus *Matt.* 5. jubet *non jurare omnino*, & addit: *ſit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non*, intelligendus eſt de juramento, quod caret aliquo ex dictis comitibus. Ratio autem

tem eſt, quia juramentum rite præſtitum pertinet ad virtutem Religionis & cultum Dei latreuticum, cum per illud confiteamur Dei infallibilem veracitatem & ſummam auctoritatem. *Veritas* in juramento aſſertorio datur tunc, quando jurans credit coram Deo abſque prudenti formidine, rem ſic ſe habere, prout aſſerit: in promiſſorio datur duplex veritas, *intentionis* nempe, quando jurator promittens habet animum implendi promiſſum, & *executionis*, quando re ipſa ſuo tempore implet. *Judicium* datur, ſi juramentum non fiat temere, & abſque juſta cauſa utilitatis vel neceſſitatis, ſed diſcrete & cum reverentia. *Juſtitia* demum, quæ fere reſpicit tantum juramentum promiſſorium, ſi objectum, ſuper quo juratur, vel res, quæ promittitur, non ſit illicita, ſed ſine peccato præſtari poſſit. Et hinc de juramento promiſſorio tres in jure canonico regulæ extant; duæ negativæ: prima: *Juramentum non eſt vinculum iniquitatis*, *c.* 18. *h. t.* ſeu obligare nequit ad faciendam rem illicitam: ſecunda: *non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum*, *c.* 58. *de R. J. in* 6. v. g. juramentum faciendi furtum, non revocandi res Eccleſiæ male alienatas &c. Una autem affirmativa: *Omne juramentum eſſe ſervandum, quod ſine ſalutis æternæ diſpendio, & præjudicio tertii, ſervari poteſt*, *c.* 28. *h. t.* ſeu quod abſque peccato ſervari poteſt: ſic obligat juramentum ſolvendi uſuras, *c.* 6. *h. t.* quia ſolvere uſuras peccatum non eſt; quamvis eas exigere ſine juſto titulo peccatum ſit. Ceterum ſi in juramento aſſertorio deficit *veritas*, & in promiſſorio veritas *intentionis*, ſemper eſt peccatum mortale, etiam in re levi; quia perjurium, ſeu juramentum falſum, ſemper eſt graviſſima injuria contra veracitatem Dei; cum per id Deus invocetur,

ut

ut teſtificetur falſum: ſi vero in promiſſorio ſolum deficit veritas *executionis*, ſi nempe non exequaris, quod promiſiſti, peccatum, ſi res levis promiſſa ſit, eſt tantum veniale, quia nec Deus nec homo cenſetur obligare velle ad præſtandam rem levem ſub peccato gravi. Si vero deficiat *judicium*, per ſe cenſetur eſſe ſolum peccatum veniale, niſi nempe per accidens fiat mortale, ut ſi temere jures frequenter, & ſic te exponas periculo propinquo jurandi falſum; talem enim conſuetudinem teneris ſub mortali deponere. Si denique deficiat *juſtitia* in juramento promiſſorio, peccatum eſt grave, ſi materia ſit graviter illicita, leve, ſi leviter peccaminoſa. DD. communiter, quamvis hoc ex ratione difficulter probetur. Unde

4 Dico 2. Materia juramenti promiſſorii debet eſſe licita, 2. & ſi fiat ſoli Deo, de meliori bono; adeoque non ſufficit, ſi materia ſit indifferens, vel impeditiva majoris boni. Communis. Ratio primæ partis eſt, quia juramentum promiſſorium non poteſt eſſe vinculum iniquitatis. Ratio ſecundæ, quia juramentum promiſſorium non obligat, niſi acceptetur; Deus autem, ſi ipſi ſoli fiat, non acceptat, niſi ſit de meliori bono; & tale juramentum æquiparatur voto, imo eſt votum juratum, quod eſſentialiter debet eſſe de meliori bono, uti videbimus ad *tit. de Voto*. *Obji.* In Juramento promiſſorio, quod fit homini, æque invocatur Deus in teſtem, ac in illo, quod fit ſoli Deo: ergo in utroque materia poteſt eſſe æqualis: ſed, quod fit homini, admittit materiam indifferentem: ergo. R. *n. ant.* nam in priori Deus tantum ut teſtis invocatur, in poſteriori autem ut teſtis, & ſimul ut acceptator, promiſſarius, atque creditor.

5 Dico 3. Juramenti promiſſorii libere facti ef-

fectus

fectus eſt obligatio, eaque duplex, religionis & Juſtitiæ, ſaltem ſub certis conditionibus, modo a promiſſario fuerit acceptatum. Communis & certa. Quod pariat obligationem religionis, patet ex *c.6.h.t.* & quod obligationem Juſtitiæ, ex *c.* 14.*eod.* & *l.* 9.*ff.de probat.* Ratio, quia in juramento promiſſorio reperiuntur duo, nempe juramentum, quod accedit promiſſioni, & ipſa promiſſio: *promiſſio* autem acceptata, utpote pactum vel contractus parit obligationem Juſtitiæ, & juramentum, caſu quo accedit promiſſioni, parit obligationem ſibi propriam, nempe Religionis, ad præſtandum id, quod juratum eſt. Obligatio Religionis eſt perſonalis, & ideo non tranſit ad hæredes jurantis, vel ſucceſſores. S. Th. 2. 2. *qu.* 98. *ar.* 2. *ad* 4. quia eſt actio perſonalis, & vinculum perſonæ annexum, ſicut votum. Obligatio Juſtitiæ eſt realis, & tranſit ad hæredes jurantis, utpote deſcendens ex pacto vel contractu, atque ideo datur actio, ſi non ex pacto, ſaltem ex juramento de Jure, *c.* 14. *cit.* Dixi 1. *libere præſtiti*, h. e. cum debita cognitione, advertentia, & deliberatione. Si metu gravi injuſte incuſſo vel per injuriam extortum ſit, valet quidem, & obligationem parit, ut habet verior & communior ex *c.6.* & 15. *h.t.* & *c.*4. *de his, quæ vi;* quia injuria & metus non tollit voluntarium & liberum ſimpliciter, *l.*21.*ff. quod met. cauſ.* adeoque jure naturali valet juramentum ſic extortum: Jure autem poſitivo non reperitur clare irritatum. Facile tamen impetratur ipſius relaxatio a ſuperiore eccleſiaſtico; vel hac non impetrata juramento ſatisfit per ſolutionem momentaneam, itaut ſtatim repeti ſolutum poſſit, v. g. jurato promiſiſti ſolvere uſuras iniquas; quamprimum has ſolveris, & ſic obligationi Religionis ſatisfeceris, poteris

ris repetere ſolutas. Dixi 2. *Obligatio*, nempe gravis, ſi res, de qua juratum eſt, ſit gravis, levis autem, ſi res ſit levis; quia Deus, qui per juramentum invocatur in teſtem, cenſetur auctoritate ſua obligare juxta proportionem materiæ, ſicut alias ſolet per ſua præcepta. Dixi 3. *ſub certis conditionibus*, quæ nimirum tacite cenſentur eſſe imbibitæ promiſſioni, conſequenter & juramento acceſſorie adjectæ, quales ſunt: *ſi potero: ſalvo jure tertii*, cui præjudicari nequit: *ſi res in eodem ſtatu permanſerit*, & circumſtantiæ non notabiliter poſtea mutentur, per *c.* 25. *h. t.* vel: *niſi is, in cujus gratiam jurato aliquid promiſſum, ſponte remiſerit obligationem*, per *c.* 12. *de for. comp.* remiſſa autem obligatione principali promiſſionis cadit hoc ipſo etiam obligatio Religionis ſeu juramenti tanquam acceſſoria. Dixi 4. *modo fuerit acceptatum a promiſſario*, ſeu cui jurato aliquid promiſſum eſt; promiſſio enim non acceptata non parit obligationem Juſtitiæ, ſed evaneſcit, conſequenter & obligatio juramenti propria, velut acceſſoria: ſi tamen promiſſio non acceptata parit obligationem fidelitatis, videtur & obligatio juramenti ſeu religionis ſubſiſtere.

Objic. 1. Obſervationem Juramenti exigit ipſe Deus, utpote per illud invocatus in teſtem: ergo homo, cui juratum eſt, illam remittere nequit. 2. Si omne juramentum promiſſorium involvit dictas conditiones, nullum dabitur abſolutum; quod eſt abſurdum dicere. 3. Qui rem parvam juramento promiſſam non præſtat, Deum facit teſtem falſi, ſeu facit, ut Deus teſtatus ſit falſum: ergo peccat mortaliter non præſtando rem levem. R. ad 1. Deus non aliter acceptat juramentum, quam in quantum acceptat homo promiſſionem: ergo, ſi homo remittit obligationem promiſſionis

ſibi

ſibi factæ, etiam Deus remittit obligationem juramenti. Ad 2. Conditio, quæ vel ſuapte, natura, vel ex diſpoſitione legis ineſt actui, eum non facit conditionatum, *l. conditiones ff. de condit. & demonſtr.* DD. & gl. *in c. 25. h. t.* Ad 3. qui initio, quando fecit juramentum promiſſorium, habuit intentionem implendi, & poſtea non implet, non mentitur, neque peccat contra veritatem, ſed ſolum contra fidelitatem, vel ſimul contra Juſtitiam, quæ utraque virtus parvitatem materiæ admittit, conſequenter nec Deum in teſtem falſi adducit.

6 Quæres, an juramentum, quod diximus eſſe promiſſioni vel actui acceſſorium, ſubſiſtere poſſit & obligare, quando actus, cui adjicitur, aut promiſſio eſt invalida, & non obligat? R. affirmative, tunc nempe, quando, quod juratum eſt, præſtari poteſt ſine præjudicio tertii ac ſine diſpendio ſalutis æternæ, h. e. ſine peccato *c. 6. 28. h. t.* Sic, licet promiſſio ſolvendi uſuras ſit nulla, & obligationem Juſtitiæ non pariat, qui tamen jurato promiſit, ex juramento & virtute Religionis tenetur eas ſolvere: quia ſolvere peccatum non eſt. Idem dic de eo, qui latroni juravit, ſe ſoluturum ei lytrum, ſi parcat. Sic, licet renuntiatio feminæ ad ſucceſſionem in bonis paternis de Jure civili ſit nulla, ſi tamen acceſſit Juramentum, ſervari debet, *c. 2. de pact. in 6.* Aliud foret, ſi etiam juramentum eſſet irritatum a Jure, vel jurans intenderet ſe obligare ad actum lege prohibitum, v. g. minor ad alienandas ædes, vel uxor ad alienandum prædium dotale &c. quia nec per juramentum obligare ſe quis poteſt ad id, quod nequit perficere. Sed quid Juris, ſi quis geſſit actum non eo modo, & ſolemnitate, uti Jura præſcribunt, & ad valorem actus requirunt, addidit tamen Ju-

ri-

ramentum, quod revocare nolit; vel actui irritato a Jure adjecit juramentum? v.g. ſi femina male alienavit & nulliter prædium dotale, vel alius fecit teſtamentum, adjecit tamen juramentum, quo promiſit non revocare alienationem, vel teſtamentum: item ſi filia renuntiet cum Juramento hæreditati paternæ dote contenta: ſi Minor ſine auctoritate curatoris juramento celebret contractum: ſi quis donet ultra 500. ſolidos jurato abſque inſinuatione apud Judicem: ſi mulier fidejubeat cum Juramento renuntians privilegio S.C. Vellejani &c. An hujuſmodi juramenta *confirmant* actus prædictos, a jure civili irritatos, h.e. an tantas habent vires, ut actus iſtos quaſi reſuſcitent, atque ita firment, ut præter obligationem Religionis Juramento propriam pariant obligationem quoque Juſtitiæ, quam peperiſſent actus, ſi non fuiſſent a Jure irritati? Ad hanc quæſtionem celeberrimam R. &

7 Dico 4. Juramentum non confirmat actum vel contractum, de Jure civili irritatum in favorem privatorum. Ita cum P. Vvieſtn. *h. n.78.* ex modernis non pauci primique nominis DD. contra gl. *in c. 2. cit. v. ſervari*. Bald. Covar. Guttier. Fachin. Suar. Azor. Sanch. Pirh. & aliorum communiſſimam. Probatur negative, quia juramentum nec ex natura ſua actum invalidum facit validum, aut obligationem aliam quam Religionis ſibi propriam producit, non vero obligationem Juſtitiæ; alias enim hanc quoque producere deberet juramentum de ſolvendis uſuris; quod nemo dicit: nec ex jure poſitivo humano, ut patebit ex ſolutione objectionum. Imo nec Jus civile potuit Juramento, quod eſt extra ſphæram illius, tribuere vim producendi obligationem Juſtitiæ, juramento extrinſecam. Nec jus canonicum extra territorium Papale, cum ad materiam

pro-

profanam, de qua aliquid diſponit jus civile, ſe non extendat extra territorium Papale: neque credibile eſt, Papam, licet poſſet, voluiſſe beneficium Juris Civilis, in favorem certarum perſonarum aliquos actus irritantis, iterum tollere, illos validando vel vim validorum actuum tribuendo per appoſitum Juramentum. Dixi 1. *de jure civili irritatos;* quod enim non firmet actus Jure naturali irritos, aut in præjudicium tertii cedentes, clarum eſt per ſe, ac ita, ut neque Juramentum valeat, aut obligationem ſibi propriam pariat; id quod etiam intelligas de actibus a Jure Canonico, vel etiam civili prohibitis ſub peccato in conſcientia; cum utique nulla poſſit dari obligatio ad illicitum. Dixi 2. *in favorem privatorum*, quales ſunt actus pro exemplo ſuperius *nu. præced.* allati: ſi autem ſint irritati propter bonum publicum, tum nec ipſum Juramentum ſtringit ad faciendum vel exequendum id, quod a Jure civili eſt annullatum. Ratio diſparitatis eſt, quod privati renuntiare poſſint favori propter ſe principaliter introducto, &, ſi actui irritato adjiciant Juramentum, abſque peccato obſervabile, cenſeantur renuntiare: nemo autem renuntiare favori publico, vel ſpectanti principaliter bonum publicum, *c. 12. de for. compet.*

Objic. 1. Jura majorem tribuunt vim juramento, quod ſponte præſtatur, quam illi, quod per dolum vel metum præſtatur, *Auth. Sacramenta puberum C. ſi adverſus venditionem*, *c. 28. h t. & c. 2. de pactis in 6.* ſed, quod præſtatur dolo vel metu extortum, jam parit obligationem Religionis: ergo, quod ſponte adjicitur actui, majorem parit obligationem: ergo præter obligationem Religionis parit obligationem Juſtitiæ, conſequenter confirmat actum, 2. in *d. c. 2.* dicitur,

quod

quod *pactum* renuntiationis invalidæ, cui ſponte adjicitur Juramentum, *ſervari debeat*, & *firmatum* fuerit: ſed *pactum firmatum* parit obligationem Juſtitiæ: ergo. 3. Juramentum promiſſorium actui invalido adjectum juxta omnes parit obligationem Religionis: ergo valet Juramentum; ergo & valet promiſſio, ratione cujus eſt & dicitur Juramentum *promiſſorium*. 4. Nihil intereſt, an actus, cui adjicitur Juramentum, convaleſcat, aut confirmetur, vel non; ergo fruſtra diſputamus de hoc objecto.

Reſp. Ad 1. N. *illatum*; nam illa majoritas obligationis adhuc ſe tenet intra latitudinem & limites Religionis; ſiquidem Juramentum ſponte præſtitum relaxari, reſcindi, vel diſpenſari non poteſt ſine ſpeciali & nova cauſa; bene tamen vi, dolo vel metu aut alia injuria extortum, quod a ſuperiore eccleſiaſtico ob hanc ſolam injuriæ cauſam facile relaxatur. Dein Juramento per metum &c. extorto ſatisfit per momentaneam ſolutionem, ut ſtatim rurſus repeti poſſit ſolutum, non autem ſponte præſtito. *Auth. cit.* non eſt ad rem, quia loquitur de ſacramento (h. e. Juramento) actibus validis adjecto, ut patet ex *Rubrica tituli*, ad quem ponitur, nempe *de reſcind. vend.* & ex textu ſubjuncto, qui habet verbum *retractandis*: invalidi enim actus non reſcinduntur, non retractantur; quod enim nullum eſt, reſcindi aut retractari non poteſt. Addo, quod imperator novam vim Juramento, quod eſt aliquid ſpirituale, tribuere nequeat propter defectum juriſdictionis. Ad 2. *pactum* ſervari recte dicitur, ſi id quod conventum eſt, ex virtute Religionis præſtari debeat, ſicut ipſi adverſarii dicunt, promiſſionem uſurarum ſub Juramento factam ſervari debere, quamvis non ex

alia quam Juramenti & Religionis obligatione; cum per Juramentum talis promiſſio non reconvaleſcat ita, ut pariat obligationem Juſtitiæ: ſervari igitur debet *materialiter*, non *formaliter* ſeu in ratione pacti. Pari modo *firmatum* dicitur, in quantum ex adjecto Juramento ſaltem aliqua orta eſt obligatio, nempe Religionis. Ad 3. N. *Illatum*, retorſio eſt manifeſta in Juramento promiſſorio de uſuris ſolvendis, quod eſt Juramentum promiſſorium, quamvis qua promiſſio ſit invalidum, & obligationem *Juſtitiæ* non producat, bene tamen *Religionis* qua Juramentum, quod *reddi debet Domino*, ut loquitur *c. 6. h. t.* uſurarius autem compellendus eſt ad uſuras, vi Juramenti ſolutas, iterum reſtituendas, *c. 6. cit.* Ad 4. *n. ant.* in effectu enim plurimum intereſt; ſi enim firmaretur actus invalidus per Juramentum ita, ut oriretur obligatio Juſtitiæ, ſequeretur 1. quod talis obligatio tranſiret ad hæredes jurantis. 2. Quod relaxato Juramento maneret adhuc obligatio Juſtitiæ. 3. Quod actus vel contractus per Juramentum confirmatus pareret actionem in foro externo. 4. Quod eſſet irrevocabilis. 5. Quod Juramentum non facile relaxari poſſet propter jus promiſſario inde quæſitum. Quæ omnia aliter ſe habent, ſi actus, de Jure civili in favorem privatorum irritati, non confirmentur per Juramentum. Hucuſque de Juramento extrajudiciali, & promiſſorio maxime: nunc aliqua ſuperſunt dicenda de Judiciali, maxime aſſertorio.

8 Dico 5. Juramentum judiciale ſpecifice ſumptum (quod nempe defert pars parti Judice approbante) in defectu ſufficientis probationis tam reus actori, quam actor reo deferre poteſt, 2. non tamen actor reo, ſi prorſus nihil adhuc probavit, 3. regulariter in omnibus cauſis civi-

civilibus, 4. delatum vero præſtari, vel referri, neceſſario debet, & recuſari ſine juſta cauſa nequit. Pars 1. conſtat ex *l.* 12. *C. de reb. cred.* Pars 2. quam tenet Abb. Bart. Menoch. Haun. P. Vvieſtn. contra Jaſ. Fachin. Umm. Zoeſ. P. Engel & aliorum ſatis communem, qui pro ſe etiam allegant praxim, ſumitur ex *l.* 4. *C. de edendo, & c. fin. §. ſane h. t.* ubi dicitur, *actore non probante*, vel *omnino deficiente in probatione*, ſi nimirum nec præſumptionem pro ſe habeat ullam; Reum eſſe abſolvendum, *etſi nihil ipſe præſtat*, vel etſi *nihil præſtiterit*, adeoque nec juraverit: item ex *l.* 11. *C. de reb. cred.* ibi: *ſatis abſurdum eſt redire ad Sacramentum, &, cum deſperavit aliam probationem, ad religionem convolare.* Ratio eſt, quia Juramentum *abſque Judicio* & temere præſtari licite non poteſt: ergo nec exigi temere; quod fieret, ſi actor omni probatione, & præſumptione, deſtitutus reum vexaret, & oneraret jurisjurandi neceſſitate, cogeretque ipſum probare, quod tamen onus probandi actori incumbit. Pars 3. ex *l.* 3. 9. & 11. 34. *ff. h. t.* In Criminalibus ſaltem actor reo deferre non permittitur: quo referuntur etiam cauſæ civiles valde arduæ, & matrimoniales, ubi agitur ad diſſolvendum matrimonium, item cauſæ omnes, in quibus lex vel ſtatutum omnino plenas requirit probationes: quæ enim fit per Juramentum, dicitur eſſe probatio ſolum privilegiata. Pars 4. ex *l.* 38. *ff. h. t.* ibi: *manifeſtæ turpitudinis & confeſſionis eſt, nolle nec jurare, nec jusjurandum referre*, h. e. petere, ut deferens juret: cauſæ autem abſolute recuſandi delatum Juramentum, itaut nec referri debeant, ſunt plures. 1. Si deferens jurare prius nolit de calumnia, pars tamen, cui defert, id exigat, uti exigere poteſt, *l.* 34. §. 4. *l.* 37. *ff. eod.* econtra

referens non tenetur jurare de calumnia, ſicut primo deferens, *l.* 34. *cit.* §. 7. Dein is, cui relatum eſt Juramentum, non poteſt iterum referre, per *l. cit.* ſed neceſſario jurare debet. 2. Si deferens ſemel revocavit delatum Juramentum, *l.* 11. *C. de R. C. cit.* nec enim permittitur iterum deferre. 3. Si pars, cui defertur, jam aliunde ſatis probavit, *c.* 2. *de probat.* quod longe probabilius etiam verum eſt, ſi ſe offerat ad ſatis probandum, per *c. cit.* 4. Si actor deferens nihil omnino probavit, ut vidimus. 5. Si deferens ſit perſona ſuſpectæ fidei, cui referre tutum non eſt. 6. Si is, cui defertur, ignoret rem, ſuper qua jurare deberet, *l.* 34. *cit. pr. l.* 11. §. 2. *ff. de act. rer. amot.* Et in hoc caſu deferens tenetur ſimpliciter ipſe jurare, niſi pariter verſetur in ignorantia facti alieni. Demum 7. ſi cauſa ſit famoſa, *c. fin. pr. h. t.* item ſi non competat actio, vel Judex non ſit competens, *l.* 14. §. 3. *C. de non num. pecun. l.* 35. §. *fin. ff. h. t.*

Objic. contra ſecundam aſſertionis partem 1. In *l.* 35. *cit.* dicitur, audiendum eſſe tutorem, qui *omnibus aliis probationibus deficientibus defert jusjurandum*: ergo actor omni probatione deſtitutus poteſt deferre Juramentum. 2. Reus ægre ferre non poteſt, ſi ipſi deferatur Juramentum, etiam abſque alia probatione actoris; quia ſic conſtituitur Judex & teſtis in propria cauſa, ſi enim juret, abſolvitur; ſi autem jurare nolit, referre poteſt Juramentum actori. 3. Ipſa Juramenti delatio eſt ſpecies probationis: ergo Actor deferendo Juramentum hoc ipſo aliquid probat. R. ad 1. Tutor, utpote gerens officium publicum pro pupillo, habet præſumptionem pro ſe, & cauſa pupillorum per ſe eſt valde favorabilis, & ſic præponderet cauſæ adverſarii, daturque ſaltem aliqua præſumptio, conſequenter &

pro-

probatio pro actore Tutore. Ad 2. Reus gravatur ſatis, ſi ſine juſta cauſa conjiciatur in neceſſitatem vel jurandi, vel, quod ſæpe tutum non eſt, Juramentum referendi adverſario, qui, ſicut litem temere movit, ita facile jurabit, & ſic in Judicio vincet. Ad 3. eſt ſpecies probationis, petitæ tamen ex domo rei, quod eſt contra *l. 7. C. de teſtib. & l. 4. cit.* vel probationis temerariæ, niſi eam præcedat alia.

9 Dico 6. Juramentum neceſſarium Judex non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur ex officio, etſi litigantes non petant, deferre vel actori vel reo, ubi allata eſt probatio, at non ſufficiens, & quidem regulariter in omnibus cauſis. Communis, deſumpta ex *l. 31. ff. h. t. l. 3. C. de reb. cred. & c. fin. h. t.* Ratio; quia officium Judicis pertinet ſupplere ea, quæ Juris ſunt, ut habita ſufficienti probatione ferre poſſit ſententiam, & Partibus jus dicere. Dixi 1. *vel actori vel reo;* quamvis enim per ſe deberet potius deferre reo ceteris paribus, utpote cujus partes in Jure ſunt favorabiliores, *l. 125. ff. de R. J. & c. 11. eod. in 6.* promptiora enim ſunt jura ad abſolvendum, quam ad condemnandum, *c. 3 de Probat.* ſæpe tamen debet deferre actori, *c. fin. cit. §. ſane*, uti 1. ſi actor ſemiplene probavit, reus vero nihil, & præciſe negavit, nec præſumptionem pro ſe afferens: dico, *ſemiplene;* nam actori, niſi ſaltem ſemiplenam afferat probationem, vel præſumptionem gravem, quæ faciat ſemiplenam probationem, numquam eſt deferendum, 2. ſi actor, licet reus etiam aliquid poſitive probaverit, ſit magis legalis, fide dignior, vel rei veritatem magis noſſe credatur, 3. ſi actor pluſquam ſemiplene probavit, reus vero ſemiplene tantum, vel minus. Dixi 2. *regulariter in omnibus cauſis*, nempe tam cri-

minalibus, quam civilibus. Interim tamen in criminalibus criminaliter intentatis, in cauſis famoſis, matrimonialibus in ordine ad diſſolvendum, & beneficialibus non eſt deferendum actori ſaltem, uti nec in civilibus valde arduis, niſi plus quam ſemiplene probaverit, Juramentum ſuppletorium, *arg. l. fin. C. de probat. c. fin. h. t.* item in iis cauſis, in quibus lex, vel ſtatutum, requirit probationes manifeſtas, indubitatas, vel evidentes, cujuſmodi non facit Juramentum ſuppletorium.

10 Dico 7. Effectus *Juramenti judicialis* ſpecifice ſumpti, ſi deferatur, eſt obligatio illud præſtandi vel referendi, *l. 38. ff. b. t.* niſi nempe adſit cauſa recuſandi, de quo ſupra *nu. 8.* Si vero delatum præſtetur, effectus eſt victoria, quam jurans ita obtinet, ut pro ipſo ferri debeat ſententia, & ab hac regulariter appellari nequeat, aut cauſa ſit deciſa retractari ſine appellatione, licet nova inſtrumenta reperiantur, imo licet prætendatur perjurium a jurante commiſſum, modo evidenter & ſine indagine longiori non pateat perjurium & dolus *l. 5. §. 2. l. 9. §. 1. l. 11. §. fin. l. admonendi 32. ff. b. t. l. 1. C. de reb. cred.* Et hinc ſi actor juravit, conſequitur *actionem in factum*, vel *judicati* ad conſequendum id, quod ſibi deberi juravit: Reus vero, ſi ipſe juravit, *exceptionem juratoriam*, vel *judicati*, qua elidit actionem ulteriorem contra ſe circa debitum prætenſum, *l. 7. 8. 9. §. 1, & l. 28. §. ult. b. t.* Ratio; quia habet ſpeciem tranſactionis, quæ, ſi ſine dolo ſatis probato inita eſt, inviolabiliter obſervari debet. Effectus autem *juramenti neceſſarii*, ſi deferatur, eſt neceſſitas illud præſtandi, itaut nec referri poſſit vel recuſari, niſi adſit talis cauſa, qualis ſufficit ad recuſandum

dum Juramentum Judiciale, de quo *n.* 8. Sumitur ex *l.* 12. §. 2. *C. de reb. cred. & c. fin. h.t.* Si vero delatum præſtetur, ejus effectus eſt quidem victoria, quam jurans obtinet per ſententiam pro ipſo ferendam, *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* hæc tamen non ita eſt firma, ut abſolute tranſeat in rem judicatam, ſed poteſt retractari etiam poſt decennium, ſi nova inſtrumenta, ex quibus apparet, falſum fuiſſe juratum, reperiantur, *arg. l.* 4. *C. ſi ex falſ. inſtrum. & l.* 31. *cit.* Sed contra *objic.* 1. Juramentum *Judiciale* poteſt libere referri (& *volutarium* in vel extrajudiciale etiam recuſari) ergo & Juramentum *neceſſarium* libere referri poteſt. 2. Sententia, lata dependenter a Juramento Judiciali, non eſt retractabilis regulariter, aut cauſa de novo reſuſcitabilis propter inſtrumenta reperta: ergo nec lata dependenter a Juramento neceſſario. R. ad 1. N. *conſ. & parit.* quia Juramentum Judiciale (& voluntarium) defertur a parte, quæ alteri imponere neceſſitatem non poteſt propter defectum juriſdictionis: econtra neceſſarium defertur a Judice, cui parere neceſſe eſt propter juriſdictionem, quam habet in litigantes. Ad 2. N. rurſus *conſ.* ratio diſparitatis eſt, quod Juramentum (Judiciale vel voluntarium) mutuo conſenſu partium defertur & præſtatur, adeoque habet rationem tranſactionis, quæ propter noviter reperta inſtrumenta non retractatur *l.* 19. 29. *C. de tranſact.* econtra Juramentum neceſſarium defertur a ſolo Judice, & ſic naturam tranſactionis non induit, ſed ſententiæ, & quidem latæ ex probatione privilegiata, nimirum ex teſtimonio in propria cauſa contra regulam generalem *l.* 10. *ff. de teſtib.* ibi: *nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur;* cui enim defertur Juramentum, teſtis

ſit in propria cauſa: cujuſmodi probatio privilegiata non vere, ſed tantum interpretative convincit, ac ideo prolata dependenter a Juramento neceſſario ſententia numquam tranſit in rem judicatam. Idem indicat *l.* 31. *cit.* quæ initio concedit reſciſſionem ſententiæ ex Juramento neceſſario latæ, in fine autem negat reſciſſionem ſententiæ ex Juramento Judiciali latæ, dum ſubjungit: *quod ſi alias inter ipſos jurejurando tranſactum ſit negotium, non conceditur eamdem cauſam retractare*. Hæc de Juramento *deciſorio litis*; nunc *de æſtimatario litis*.

11 Dico 8. *Juramentum in litem* ſoli actori deferri poteſt, & quidem, ſi eſt Juramentum *affectionis*, a ſolo Judice, ac tantum propter contumaciam vel dolum adverſarii, rem reſtituere vel exhibere non volentis, item in cauſis tantum realibus, vel perſonalibus directis bonæ fidei: ſi vero ſit Juramentum *veritatis*, etiam a reo deferri poteſt actori, quando reus non amplius poteſt reſtituere rem; item locum habet in actionibus etiam perſonalibus ſtricti Juris, & licet reus nec dolum, imo nec culpam commiſerit. Sumuntur hæc ex *l.* 1. *ſeqq. ff. de in litem jurando*. Sed notandum, quod Juramentum affectionis poſſit præcedere taxationem Judicis, & eam ſubſequi: Juramentum autem veritatis, ſeu de veritate & intereſſe, neceſſario præcedat taxatio Judicis ob periculum perjurii, nam prius taxat Judex rem, damnum, expenſas, intereſſe &c. dein actor jurat, ea tanti valere: & tum reus ſecundum hanc æſtimationem juratam condemnatur. *Auth. poſt jusjurandum C. de Judic.*

TI-

TITULUS XXV.

De exceptionibus.

SUMMARIUM.

1 2 *Quid, & quotuplex ſit exceptio.*
3 *Plures exceptiones, etiam diverſæ, poſſunt opponi ſimul, & ſucceſſive.*
4 *Quomodo reus excipiendo fiat actor.*
5 *Quando exceptiones dilatorias.*
6 *Et quando peremptorias oporteat proponere.*
7 *An omiſſas in prima inſtantia liceat opponere in ſecunda.*

1 Sicut probationes ſunt arma actoris, ita exceptiones ſunt clypeus rei, quo ſe defendat. Exceptio, in genere ſumitur pro defenſione, hic autem accipitur pro omni defenſione in Judicio contra actorem, & in *l.* 2. *ff. h. t.* dicitur *excluſio actionis;* quia vero ſubinde actor convenit reum, licet actionem non habeat, ut ſi Titius te conveniat exempto, emptio tamen non præceſſit, vel te conveniat ſuper re, quam tu jam præſcripſiſti, &c ideo melius definitur exceptio ſic: *eſt excluſio actionis, vel intentionis, quam actor deducit in Judicium ad condemnationem rei.* Si actori competit quidem actio de Jure, ex qua tamen iniquum eſſet condemnare reum, vocatur *exceptio Juris*, qualis eſt exceptio metus, doli, jurisjurandi, &c. ſi non competat actio, & tamen agit, eſt & dicitur *exceptio facti.* Si exceptioni aliquid opponat actor, hæc oppoſitio vocatur *replicatio:* reſponſio, quam ad replicationem dat reus, dicitur *duplicatio:* & quam reddit ad hanc actor, *triplicatio:* ſi

hanc rurſus refellat reus, erit *quadruplicatio*, &c. Ultra quadruplicationem in pleriſque tribunalibus non ſinuntur partes progredi, niſi adſint graviſſimæ cauſæ: in audientiis verbalibus, & cauſis ſummariis concludi ſolet per duplicationem: de Jure Bavarico *tit. 7. art. 1. & titul. 8. articul. 7.* quælibet pars duabus vel ad ſummum tribus ſcriptionibus concludit. Practici appellant *replicam, duplicam, triplicam, quadruplicam, &c.*

2 Sicut actio, ita & exceptio alia eſt *realis*, quæ cohæret rei vel cauſæ, & ideo ad hæredes vel ſucceſſores tranſit, uti eſt exceptio rei judicatæ, doli mali, &c. alia *perſonalis*, quæ competit præciſe intuitu perſonæ, & ideo ad hæredes vel ſucceſſores non tranſit, uti exceptio competentiæ, qualem habent clerici, parentes erga liberos, &c. Præcipua autem diviſio exceptionum eſt in dilatorias & peremptorias: *Dilatoriæ* ſeu *Temporales* ſunt, quæ jus aut actionem vel intentionem non excludunt penitus, ſed ſolum differunt, vel ſuſpendunt ad tempus, aut transferunt in alium locum: hæ vel reſpiciunt perſonam Judicis, v. g. quod ſit incompetens, ſuſpectus, inimicus rei, &c. vel perſonam actoris, v. g. quod ſit pupillus, excommunicatus, vel aliunde non habeat perſonam legitimam ſtandi in Judicio: vel perſonam acceſſoriam, puta procuratoris, v. g. quod procurator eſſe non poſſit, mandato, ſaltem legitimo, careat, &c. quod teſtis non ſit habilis, &c. vel locum Judicii, quod non ſit ſatis tutus, &c. vel tempus, v. g. quod ſit feriatum, quod conventa ſolutionis dies nondum advenerit, &c. vel ipſam denique cauſam, qualis eſt exceptio inepti vel obſcuri libelli &c. *peremptoriæ* ſeu *perpetuæ* ſunt, quæ jus & actionem actoris, vel quod in-

intendit, perimunt ac omnino tollunt, qui nempe vel oſtendunt actionem numquam ortam eſſe, v. g. contractum non eſſe celebratum, vel eam aliunde jam extinctam eſſe, v. g. pacto de non petendo, præſcriptione &c. Et ex his aliquæ vocantur *litis finitæ*, uti exceptio rei judicatæ, tranſactionis, & Juramenti, ſcilicet litis deciſorii: vel denique oſtendunt, actionem elidi & perimi poſſe, uti ſunt exceptiones doli, metus, erroris &c.

3 Dico 1. Poteſt aliquis opponere plures exceptiones vel ſimul vel ſucceſſive, licet ſint diverſæ, *l.* 5. *l.* 8. *ff. l.* 8. *l.* 9. *C. h. t. l.* 43. *ff. de R. J. c.* 15. *de præſcr.* Lex 8. *ff. cit.* ſic habet; *nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diverſæ ſint*. Sed contra *Objic.* 1. In receſſu Imperii de anno 1654. jubetur, omnes exceptiones ſimul proponi ad abbreviandas lites: ergo non poſſunt proponi ſucceſſive. Idem in quibuſdam locis exigit conſuetudo, niſi nempe poſtmodum novæ exceptiones emergant. 2. Si poſſunt exceptiones diverſæ proponi, poterunt etiam contrariæ, ut ſi reus diceret: *Cajus mihi non dedit mutuum, & ego jam ſolvi*: ſed hoc repugnat: ergo. R. ad 1. Standum quidem eſt conſuetudini, & Juri recentiori, ubi receptum eſt: noſtra aſſertio procedit de Jure ſcripto antiquiori. Ad 2. *N. maj.* vel *diſt. min.* ſed hoc repugnat, ſi tales exceptiones opponantur conjunctive per particulam *&* *C. min.* ſi disjunctive per particulam *vel*, dicendo: *Cajus mihi non dedit mutuum, vel, ſi dedit, jam ſolvi*. *N. min.*

4 Dico 2. Reus excipiendo fit actor ſecundum quid, itaut exceptionem probare debeat. 2. Si tamen in probatione deficiat, non hoc ipſo cenſendus eſt fateri intentionem Actoris. Pars 1.

conſtat ex *l.* 1. *ff. b. t.* Pars 2. ex *c.* 63. *de R. J. in* 6. & ex ratione, quod excipiendo velit ſe tueri contra intentionem actoris: ergo non eſt cenſendus velle illam confiteri pure excipiendo, v. g. per verbum *ſolvi*; cum poſſit tamen habere adhuc verum ſenſum, nempe conditionatum, *ſi Cajus mihi mutuum dedit, ego certo ſolvi:* quo pacto mutuum non fatetur: conſequenter non relevat Cajum ab onere illud probandi: aliud favet, ſi ipſum factum, in quo ſe fundat actor, fateretur, dicendo v. g. *accepi mutuum a Cajo, ſed ego jam ſolvi.* Unde conſultum eſt conditionate vel disjunctive exceptionem formare: *non memini, mihi mutuum eſſe datum: ſi tamen datum ſit, jam ſolvi.* Vid. de hac re plura in meis *Deciſionibus, dec.* 62.

5 Dico 3. Exceptiones dilatorias regulariter oportet opponere ante litis conteſtationem, præſertim fori declinatorias, & quæ ſpectant perſonam Judicis, tanquam incompetentis; vel ſuſpecti. Ita plerique omnes ex *c.* 20. *de ſent. & re jud. c.* 62. *de appell. c.* 4. *& l. penult. ac ult. C. b. t.* Dixi 1. *regulariter*, niſi nimirum primum ex nova cauſa oriantur poſt litis conteſtationem, uti quæ opponuntur teſtibus aut inſtrumentis: vel niſi reus Juramento fidem faciat, ſibi eas primum poſtea innotuiſſe, vel prius a ſe probari non potuiſſe: vel niſi tales ſint, quæ retro acta & proceſſum irritent, uti excommunicatio actoris, incapacitas juriſdictionis in Judice, falſum procuratoris mandatum: vel niſi quis aliquam exceptionem dilatoriam expreſſe nominatam ſibi reſervaverit proponendam poſt litis conteſtationem *c.* 4. *cit.* Dixi 2. *præſertim fori declinatorias &c.* alias enim reus cenſetur conſenſiſſe in Judicem, ſi coram ipſo vel unicum actum Judicialem geſſit, eique juriſdictionem in ſe prorogaſſe, ita ut rece-

recedere nequeat amplius, modo Judex juriſdictionis in tali cauſa & in Reum ſit capax.

6 Dico 4. Exceptiones peremptorias regulariter oportet proponere poſt litis conteſtationem, ita ut, licet ante proponi poſſint, litis tamen conteſtatio procedat, diſcuſſione exceptionis dilata, uſquedum conſtiterit de jure actoris per probationes; quæ ſi non ſuffecerint, Reus eſt abſolvendus, quin onus probandi exceptionem habuerit. 2. Regulariter tamen ante ſententiam definitivam. Pars 1. liquet ex *c.* 1. 2. *de lite conteſt. in* 6. *l.* 8. *l.* 9. *C. h. t.* Pars 2. ex *l.* 2. *C. ſentent. reſcind. non poſſe.* Dixi in utraque parte *regulariter*; nam *ante litis conteſtationem* opponi poſſunt & admitti illæ exceptiones peremptoriæ, quæ incontinenti probari poſſunt, vel evidenter ſtatim patent; & ſic actoris calumniam manifeſtam faciunt; quales maxime ſunt, quæ vocantur *litis finitæ*, uti *rei judicatæ*, *juriſjurandi* (tam judicialis quam neceſſarii) & *tranſactionis c.* 1. *cit.* ne nimirum lis inutiliter introducatur, & nec Judex nec altera pars fruſtra fatigetur. *Poſt ſententiam* vero proponi adhuc poſſunt 1. exceptiones nullitatis, ſeu quæ ſententiam retro nullam faciunt; quæ tamen executionem ſententiæ non impediunt, modo victor cautionem præſtet de reſtituendis omnibus, ſi exceptio probetur per *Clem.* 1. *de ſent. & re jud. & auth. quæ ſupplicatio. C. de precib. Imperat. offer.* 2. Exceptiones primum poſtea emergentes, vel cognitæ *arg l.* 1. *C. de re jud.* 3. Exceptiones, quæ reſpiciunt executionem, uti exceptio compenſationis, competentiæ, S. C. Vellejani, S. C. Macedoniani, ſolutionis jam factæ tranſactionis, rei jam traditæ, non numeratæ pecuniæ, vel ſi executor excedat modum, male interpretetur ſententiam, careat poteſtate exequendi; hæ enim executionem impediunt.

7 Dico 5. Quamvis exceptiones peremptoriæ in prima inſtantia omiſſæ proponi poſſint in ſecunda inſtantia juxta communem cum *gl. in c.20. de ſent. & re jud. in fin.* juxta illud axioma: *non allegatum, non probatum in prima inſtantia, allegari & probari poteſt in appellatorio judicio*, ſeu in ſecunda inſtantia *l.6. §. 1. C. de appellat.* Id tamen non procedit de exceptionibus dilatoriis in prima inſtantia omiſſis *l.13. C. de procurat.* Ratio diſparitatis eſt, quod dilatoriis (intellige illas, quas ante litis conteſtationem diximus opponendas eſſe) per litis conteſtationem, quæ eſt tempus ipſis præfixum, cenſeatur eſſe renuntiatum, non vero peremptoriis, utpote quæ poſt litis conteſtationem regulariter proponendæ ſunt uſque ad ſententiam definitivam & ultimam; nam litis conteſtatio in prima inſtantia extenditur ad ſecundum quoque. Allegatum axioma procedit de allegationibus & probationibus actoris, vel, ſi ad exceptiones extendatur, ſolum de Peremptoriis.

TITULUS XXVI.

De præſcriptionibus.

SUMMARIUM.

1 *Præſcriptio & uſucapio confunduntur.*
2 *Quid ſit præſcriptio:*
3 *Poſitiva & privativa, ordinaria & extraordinaria.*
4 *Ob quas cauſas introducta ſit.*
5 *Et quo jure, gentium an Civili.*
6 *Quis ſit ejus effectus.*
7 *An procedat etiam in foro interno.*
8 *Quis preſcribere poſſit, & contra quem preſcribi,*

9 *Quid*

9 *Quid ſit* bona fides *ad præſcriptionem neceſſaria; non ſtat cum dubio practico: quomodo hoc deponendum.*
10 *Quid & quotuplex ſit* titulus *ad præſcriptionem neceſſarius.*
11 *Quid & quotuplex ſit* poſſeſſio, *ad præſcriptionem neceſſaria.*
12 *Quotuplex ſit* tempus *ad præſcriptionem neceſſarium. Et quomodo probetur immemoriale.*
13 *Quænam* res aptæ *ſint præſcribi. Ubi de ſervitutibus.*
14 *Sine bona fide non currit, vel incipit ulla præſcriptio.*
15 *An bonæ fidei obſit ignorantia.*
16 17 *An dubium ſpeculativum ſaltem tunc, quando ea ſtante inchoatur, præſcriptio.*
18 *An ſcientia juris alieni.*
19 *An bona, vel mala fides auctoris proſit vel obſit ſucceſſori.*
20 *An & quando præſumatur bona fides.*
21 *Sine aliquo titulo nulla datur præſcriptio.*
22 *Quando ſufficiat exiſtimatus.*
23 *Et quando præſumptus.*
24 *Detecto titulo vitioſo corruit omnis præſcriptio.*
25 26 *Sine aliqua poſſeſſione non procedit ulla præſcriptio.*
27 *Res mobiles, etiam eccleſiarum, præſcribuntur triennie ſed cum titulo.*
28 *Immobiles autem privatorum 10. v. 20. annis.*
29 *Principum vere 40. annis. Intra quod tempus & an præſcribantur Regalia Principum, item bona fiſco debita.*
30 *Eccleſiarum 40. aut amplius annis.*
31 *Præſtationes annuæ ſicut acquiruntur tempore longiſſimo 30. vel 40. annorum, ita amittuntur unica præſcriptione ejuſdem temporis.*

32 *Ser-*

32 *Servitutes omnes etiam diſcontinuæ ſicut acquiruntur tempore longo 10. vel 20. annor. ita eodem tempore amittuntur.*
33 *Actionibus realibus tempore brevi vel longo.*
34 *Perſonalibus autem longiſſimo regulariter præſcribitur.*
35 *Niſi ſint Prætoriæ pœnales &c.*
36 *Criminalibus vero 20. annis.*
37 38 *Quænam res non ſint præſcribibiles.*
39 *Ubi de rebus meræ facultatis: & de rebus vitioſis. Quænam ſint contraria præſcriptioni.*
40 *In quibus caſibus dormiat præſcriptio:*
41 42 *Et quando interrumpatur naturaliter, vel civiliter.*
43 *An per actus extrajudiciales inducatur interruptio.*
44 *An, & quando contra præſcriptionem completam detur reſtitutio in integrum.*

1 EXceptionibus in genere ſubjungitur nominatiſſima earum ſpecies, nempe *præſcriptio*, exceptio quidem impropria, peremptoria tamen, qua Reus contra actorem ſe defendit, dicendo, ſe jam præſcripſiſſe actioni adverſum ſe motæ per lapſum temporis, vel ipſam rem, quam actor petit, jam præſcripſiſſe; ſi enim jus alterius, quod habuit erga nos, per præſcriptionem extinguimus, utimur *dativo*, v. g. huic obligationi, actioni &c. jam præſcripſi: ſi vero jus alterius acquirimus, vel rei dominium prius non habitum, utimur *accuſativo*, v. g. hoc jus venandi, hanc ſylvam, ſervitutem &c. præſcripſi. Unde & apparet, quod præſcribens non ſolum exceptionem, ſed ſæpe etiam actionem conſequatur, qua dominium vel jus acquiſitum prætendat. Quamvis autem *præſcriptio* & *uſucapio* in rigore differant tanquam effectus & cauſa, quod nempe uſuca-

capio acquiſitionem dominii per poſſeſſionem debiti temporis ſignificet, præſcriptio autem exceptionem *l.* 8. *pr. C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann.* hodie tamen confunduntur *l. un. C. de uſucap. transform.* atque tam a Doctoribus quam a practicis ſumuntur paſſim pro eodem, & ideo etiam nos idem faciemus, ac fere ſemper utemur voce *præſcriptionis*: quamquam DD. aliqui unam adhuc differentiam in modo loquendi obſervent, & *uſucapionem* vocent, quando per veram poſſeſſionem res corporalis acquiritur, *præſcriptionem* vero, quando per quaſi-poſſeſſionem jus incorporale, liberatio a jure alieno acquiritur. Hanc proin non modo utiliſſimam ſcitu, ſed etiam neceſſariam de præſcriptionibus materiam, quæ quotidiani eſt uſus, nunc explicatum eo, & jurium Candidatis ſingulariter commendatam cupio.

§. I.

Natura, varietas; cauſa finalis, efficiens, atque effectus præſcriptionis, item ſubjectum.

2 Dico 1. Præſcriptio eſt *modus acquirendi a jure approbatus, quo per poſſeſſionem debito modo & tempore continuatam obtinetur jus aliquod, vel liberatio aliqua.* Ita quoad ſenſum plerique DD. quamvis quoad verba diſcrepent, & multi male ac imperfecte definiant ex *l.* 3. *ff. de uſurpat. & uſucap.* præciſe per *adjectionem dominii;* quia etiam juxta ipſos per præſcriptionem non tantum acquiritur dominium rei, ſed etiam jus perſonale, imo & liberari aliquis poteſt a jure alieno activo, conſequenter & a jure paſſivo ſeu ab obligatione ſua; & hinc per to *jus* in definitione poſitum intelligi-

ligitur jus tam reale, & dominium, quam *perſonale*, quo nobis immediate adſtringitur perſona: ſicut per to *liberatio aliqua* intelligitur peremptio juris alieni, quo nos ſibi adſtrictos habuit vel immediate in perſona, vel immediate in re noſtra. Si obtinetur liberatio, utimur *dativo*: ſi jus, *accuſativo*, uti jam inſinuatum eſt. Qualis debeat eſſe poſſeſſio, modus & tempus ad legitimam præſcriptionem, uti & quæ ſit res ſeu objectum præſcriptionis, explicabitur §. *ſeq.* Hic adverto, præſcriptionem ſumi poſſe vel *cauſaliter & incomplete*, quando nimirum adhuc eſt *in fieri*, & nondum completa; atque in hoc ſenſu dicitur *inchoari*, *continuari*, *currere &c.* vel *formaliter & complete*, quando nimirum per decurſum legitimi temporis &c. jam eſt completa. Quomodo differat a conſuetudine, cum qua aliqui practici eam ſubin male confundunt, dictum ad *tit. de conſuet.*

3 Dico 2. Præſcriptio dividitur 1. in *poſitivam*, qua acquiritur jus aliquod poſitive, & alteri aufertur, ut ſi per eam acquiras agrum, juriſdictionem &c. Et in *privativam*, qua acquiritur aliqua liberatio vel immunitas, adeoque perimitur quidem alienum vel actio, nihil tamen proprie & poſitive acquiritur. 2. In *ordinariam* vel *temporalem*, quæ completur tempore ordinario, quod in rebus mobilibus eſt triennium &c. in immobilibus decennium vel vicennium: & in *extraordinariam*, ſeu *longiſſimi temporis*, quæ completur tempore extraordinario, vel longiſſimo 30. 40. 60. 100. annor. (quæ ultima vocatur etiam *centenaria*) vel tempore immemoriali, quando nempe poſſeſſionis initium excedit hominum de facto exiſtentium memoriam, ſive dein pauciores vel plures a cœpta poſſeſſione anni fluxerint, quam centum.

4 Di-

4 Dico 3. Finis & ratio introductæ præſcriptionis eſt bonum publicum, nimirum ne dominia rerum ſemper ſint in incerto *pr. inſt. & l. 1. ff. de uſucap.* atque ut lites, alias infinitæ, certi temporis lapſu extinguantur *l. ult. ff. pro ſuo* ac demum ut acuatur hominum induſtria in inquirendis rebus & conſervandis juribus ſuis *c. 5. h. t. pr. inſt. cit.* quæ omnia vel maxime interſunt Reipublicæ. Alius finis inſinuatur *l. 2. C. de annali except.* nempe ut puniatur negligentia, res & jura ſua oſcitanter curantium: qui finis a pleriſque habetur pro ſecundario, & fere ſpectat præſcriptionem longiſſimi temporis, quæ proin *pœnalis* aut *odioſa* dicitur.

5 Dico 4. Præſcriptio quoad ſubſtantiam eſt juris gentium. 2. Quoad præſentem vero formam & conditiones eſt introducta a jure Civili primitus, dein a jure Canonico, maxime quoad bonam fidem in ea neceſſariam. Secundum membrum eſt apud omnes certum, & patet ex variis legibus *inſt. de uſuc. & C. de præſc. longi temp. & de præſc. 30. vel 40. ann.* item ex variis *cc.* maxime *c. 5. & fin. h. t.* Primum, cui adverſatur Schneidevvin, Konig, & alii multi, ſuffragantur vero Grot. Brunem. Eckolt, P. Ininger, & alii pariter multi, probatur tum ex uſu gentium, quæ ad evitanda bella ipſis adeo nociva iis, qui diu quiete poſſederunt certas provincias, regna, urbes &c. tribuunt eorum proprietatem, & pro dominis agnoſcunt, licet forte iniquo bello vel modo adepti ſint poſſeſſionem: ſic Jephte *Judic. 11.* jus Iſraelitarum in certas terras defendit contra Ammonitas ex poſſeſſione longi, imo longiſſimi temporis, adeoque ex præſcriptione: ſic aliis nationibus, etiam Chriſtianis, nemo audet in dubium vocare certas provincias, licet forte olim non ſatis æquo Marte

occu-

occupatas, ac propterea bellum movere. Vid. Bellarm.*l.5. de Pontif. Rom. c.5.* cum id cederet in perniciem Gentium: tum ex paritate cum prima rerum & dominiorum diviſione, quæ communiter dicitur eſſe juris gentium per *l.5.ff. de Juſt. & Jur.* ſicut enim per primam diviſionem acquirebantur, ita per præſcriptionem transferuntur & conſervantur dominia penes certos. Interim jus gentium non determinavit certum poſſeſſionis tempus, ſicut jus Civile, nec requirit bonam fidem, ſicut jus Canonicum.

Objic. Si præſcriptio quoad ſubſtantiam eſt *Juris gentium*, erit etiam *Juris Naturalis*; quia etiam jus naturæ vult caveri lites & bella, atque dominia eſſe certa: ſed hoc eſt contra communem. R. Quamvis aliqui concedant *ma.* cum P. Schmier *de præſcr. c.2. ſect.* 1. §. 2. & P. Ininger, forte tamen melius negatur; quamvis enim de jure naturali valde conveniens ſit, præſcriptionem introduci, inde tamen non ſequitur, eam neceſſario vel actu eſſe introductam jure naturali: inſtantiam habemus in prima rerum diviſione: in Matrimonio clandeſtine contracto &c quæ non ſunt juris naturalis obligantis, ut habet communis. Neque verum eſt, quod bona, quæ ignorante domino poſſidentur ab alio, vel quæ a ſciente ſua eſſe, propter defectum virium recuperari nequeunt, haberi poſſint pro derelictis.

6 Dico 5. Effectus præſcriptionis eſt conſecutio dominii rerum prius non habiti, aut juris alterius realis & perſonalis, vel liberatio ab alieno jure, & immunitas ab obligatione, prout nimirum fuerit præſcriptio poſitiva vel privativa *l.*1.3.4.*ff. de uſurp. l.*10 *ff. ſi ſervit. vind. l. penult. & ult. C. de ſervit. l.*3.4. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann. c.*4. *& 6. h. t.* Item tribuit exceptionem in foro externo *l.*11. *C. de præſcr. longi temp.* Rurſus præſcriptio

or-

ordinaria parit præſumptionem bonæ fidei, *extraordinaria* etiam præſumptionem tituli, & *immemorialis* obtinet etiam vim privilegii, &c. Sed de his effectibus particularium præſcriptionum infra. De effectu generali utroque.

7 Dico 6. Effectus præſcriptionis etiam procedit in foro interno conſcientiæ, h. e. præſcribens non tantum ſecurus eſt pro foro externo, ſed etiam pro interno, ut adeo præſcriptio locum habeat etiam in conſcientia, & completa præſcriptione res licite retineatur, licet poſtea conſtiterit fuiſſe alienam. Ita communis Theologorum modernorum æque, ac Juriſtarum contra Alciat. & Henr. Gandav. alioſque paucos antiquos, item ex parte contra Scotum & Adrian. qui id tantum admittere dicuntur pro caſu, quo ille, contra quem præſcribitur, fuit notabiliter negligens in inquirenda re ſua vel cuſtodiendo jure. Probatur: Reſpublica potuit hanc vim tribuere præſcriptioni, utpote habens dominium altum (quod eſt juriſdictionis, non proprietatis) in res & jura ſubditorum, vi cujus poteſt de rebus ſubditorum diſponere propter bonum publicum, ſeu ex cauſis bonum publicum ſpectantibus, transferendo etiam dominium ab uno in alterum, atque auferendo jus activum adverſus alios, ut nemo negat. Sed & voluit hanc vim præſcriptionis etiam ad forum internum extendere, quia voluit transferri per illam dominium *can.* 6. *&* 11. *cauſ.* 16. *q.* 3 *l.* 3 *ff. de uſurp. & uſucap.* atque præſcribentem *pleniſſima munitione ſecurum* eſſe *l.* 4. *cit.* Sed dominus bona conſcientia retinet rem ſuam; & pleniſſime ſecurus non eſſet, qui in conſcientia teneretur rem præſcriptam reſtituere &c. Et parum tribuiſſent Jura, ſi reliquiſſent in præſcribente obligationem reſtituendi pro foro interno; quid enim prodeſt in judicio con-

conveniri non poſſe, ſi interim maneat obligatio pro foro interno rem reſtituendi, vel jure acquiſito aut immunitate non utendi? Certe leges præſcriptionum ſic parum conſuluiſſent bono publico, adeoque finem ſuum non obtinuiſſent. Confirmatur: lex juſta pro foro externo eſt etiam juſta pro interno; cum lex humana nequeat eſſe juſta, quæ ſine peccato obſervari nequeat.

Objic. 1. Lex præſcriptionis ſe habet, ſicut illa lex, quæ negat actionem læſo infra dimidium juſti pretii: ſed hæc lex lædentem non facit ſecurum in conſcientia, quo minus teneatur reſarcire iniquam læſionem: ergo nec lex præſcriptionis præſcribentem facit in conſcientia ſecurum. 2. Lex præſcriptionis fundatur in præſumptione culpæ & negligentiæ prioris domini: ergo, ubi hæc negligentia non reperitur, non ſtringit in conſcientiæ foro, in quo præſumptio cedere debet veritati. 3. Is, contra quem præſcribitur, ordinarie ignorat, rem ſuam ab alio poſſideri, vel jus ſuum ab alio uſurpari &c. ſed ignorans non poteſt bona conſcientia privari re vel jure ſuo: ergo. 4. Ipſe Imperator *Nov. 9.* præſcriptionem vocat *impium præſidium, & improbam temporis allegationem*: ergo. R. ad 1. *N. ma.* Nam lex negans actionem læſo infra dimidium non poſitive aſſiſtit lædenti, dominium ipſi in exceſſum pretii, vel plenam ſecuritatem tribuendo: econtra lex præſcriptionis poſitive aſſiſtit præſcribenti, dominium ipſi abſolute tribuendo & pleniſſimam ſecuritatem. Ad 2. *N. ant.* vel *diſt.* fundatur in præſumptione negligentiæ principaliter. *N. ant.* ſecundario *tranſ.* Ad 3. *diſt. min.* ignorans non poteſt privari auctoritate privata. *C. min.* auctoritate Reipublicæ & Legis, quæ ob bonum publicum ſupplet conſenſum, & ignorantem

habet

habet pro ſciente. N. *min.* Ad 4. Imperator ibi reprobat conformiter juri Canonico præſcriptionem, quæ ſolius temporis lapſu nititur, ac bona fide deſtituitur, quam bonam fidem, ſaltem in continuatione præſcriptionis, non requirebant leges Civiles antiquiores.

8 Dico 7. Subjectum præſcriptionis eſt duplex, activum & paſſivum: *activum* ſunt perſonæ, quæ præſcribere poſſunt: *paſſivum* illæ, contra quas præſcribi poteſt. Quamvis regulariter omnes præſcribere, & contra omnes præſcribi valeat; præſcribere tamen nequeunt, qui juris realis, vel perſonalis, vel poſſeſſionis ſuo nomine capaces non ſunt: ſicut vice verſa contra illos non currit præſcriptio, qui jure activo, reali, vel perſonali, carent, aut impediuntur agere, ſeu tueri illud jus, impedimento juris. Ita enim ſtatuitur a DD. per modum regularum. Et hinc præſcriptionem inchoare nequeunt infantes, amentes, furioſi ſine interventu tutoris vel curatoris, quia ſe ſolis apprehendere rem ut ſuam vel cum animo poſſidendi non poſſunt, licet continuare valeant, ſi poſt poſſeſſionem cœptam incidant in amentiam, vel infans ſuccedat alteri poſſidenti *arg. l.4.§.2.3.ff.de uſurp. & uſuc.* Neque ſervi, neque Religioſi in particulari, res temporales, quia juris activi ſunt incapaces: neque commodatarius, depoſitarius, conductor, &c. quia rem alienam non ſuo nomine poſſident. Sicut viciſſim præſcriptio non currit contra agnatos vaſalli alienantis rem feudalem, quia necdum habent jus activum: contra pupillos, licet tutore inſtructos *l. 3. C. de præſcr. 30. vel 40. annorum*, contra filiumfamilias quoad bona adventitia durante patria poteſtate, & contra uxores quoad bona dotalia ſtante Matrimonio; item contra creditorem,

rem, cui debetur ſub conditione, vel in diem, ante eventum conditionis vel adventum diei, &c. quia laborant impedimento juris, propter quod agere & ſua defendere non permittuntur. Aliud eſt de laborantibus impedimento facti, uti eſt abſentia, ignorantia, morbus, defectus pecuniæ, &c. Dein *ordinaria* præſcriptio non ſufficit contra minores *l.* 3. *cit.* & contra alienare prohibitos, niſi cœpta ſit, antequam res alienari fuerit prohibita, v. g. vinculo feudi, fideicommiſſi, dotis ligata.

§. II.

Bona fides, titulus, poſſeſſio, tempus, & res præſcribi apta; quæ ſunt requiſita, & conditiones neceſſariæ præſcriptionis.

Hæ conditiones, quæ conſtituunt cauſam formalem & materialem præſcriptionis, exprimi ſolent his verſiculis:

Non uſucapies, niſi ſint tibi talia quinque:
Bona fides: juſtus titulus: res non vitioſa:
Ut res tradatur (h. e. poſſideatur) *tempus quoque continuetur.*

Ab aliis autem brevius hoc modo:

Sit res apta: fides bona: ſit titulus quoque juſtus:
Poſſideas juſte: completo tempore legis. Jam

9 Præmittendum 1. *Bonam fidem* in præſenti recte dici *ſinceram opinionem, qua quis judicat, ſe nihil agere contra jus alterius*, nempe poſſidendo rem, exercendo actum, vel omit-

omittendo. A Someting *inſt. de uſucap. nu.* 8. P. Friderich *de empt. & vendit. p.* 4. *c.* 2. *nu.* 485. Eſt hæc definitio non ſolum melior, quam illa, quam alii tradunt dicendo, eſt *credulitas vel dictamen, quo quis prudenter judicat rem eſſe ſuam, vel ſaltem non alienam;* quia univerſalior eſt, cum conveniat etiam præſcriptioni *juris incorporalis, & privativę*, qua per miſſionem extinguitur jus alienum; & quia conformior eſt juri in *c.* 5. *& fin. h.t.* ubi ad bonam fidem ſufficere ſtatuitur ignorantiam ſinceram, quod res ſit aliena, vel quod aliquis alteri ſit obligatus ad aliquid præſtandum vel omittendum, nec opus ſit, ut aliquis judicet poſitive de proprietate rei, quam poſſidet, ſed tantum ut judicet de licentia actionis vel omiſſionis ſuæ: quod judicium formari etiam poterit ab ignorante, rem non eſſe ſuam, item a dubitante ſpeculative de proprietate, uti videbimus, modo deponat dubium practicum. Circa quod adverte duo. 1. *Dubium ſpeculativum* in hac materia eſſe, quando aliquis dubitat & fluctuat, an res ſit ſua vel non, an alter vel ego habeam jus, vel an immunis ſim ab obligatione agendi vel omittendi aliquid: ſi habeam rationes probabiles in utramque partem, vel pro una probabiliores, non tamen formem judicium, ſed ſuſpendam judicium de proprietate &c. vocatur dubium *poſitivum*, ſi pro neutra parte adſint ſufficientes rationes & probabiles alterutrum opinandi, dicitur *negativum*, &, quæ huic innititur, a Theologis appellatur *fides negative bona*. Econtra *dubium practicum* eſt, quando quis dubitat ſeu fluctuat, an ſibi hic & nunc liceat rem poſſidere, hunc vel illum actum ponere aut omittere, adeoque dubitat *de licentia actionis* vel *omiſſionis*, ſicut ſpeculative dubitans fluctuat de pro-

proprietate, vel jure. Utrumque dubium poteſt dari initio, dum inchoatur poſſeſſio & præſcriptio, & ſupervenire, quando jam cœpta continuatur præſcriptio.

Adverte 2. licet dubium ſpeculativum a præſcribente deponi non debeat, imo ordinarie non poſſit, debet tamen deponi dubium practicum; quia operari cum dubio practico ſemper eſt peccatum, & quia hic verſamur in materia juſtitiæ, peccatum contra juſtitiam, quod ſolum tollit bonam fidem præſcribentis, non vero peccatum contra aliam virtutem; ut ſiquis rem poſſideret animo avaro &c. Sed quomodo deponi poteſt ac debet dubium practicum. R. Debet rem occupans vel poſſidens, quando ipſi oritur dubium, an res ſit ſua, an habeat jus agendi vel omittendi aliquid, morali diligentia inquirere in veritatem, dein, ſi poſt diligentem inquiſitionem non innoteſcat veritas, & ſic remaneat dubium ſpeculativum de dominio, vel jure, debet ſe reſolvere (hæc enim reſolutio eſt dubii practici depoſitio) per dictamen reflexum moraliter certum, quod formabit ex aliquo principio indirecto & extrinſeco, v. g. poſſeſſionis, præſumptionis Juris, &c. ſic ratiocinando: *in dubio melior eſt conditio poſſidentis* (vel *ejus pro quo ſtat præſumptio Juris*) *ſed ego verſor in dubio, & pro me ſtat poſſeſſio* (aut *præſumptio Juris*) *ergo melior eſt mea conditio: ergo licite ago rem retinendo, vel occupando, vel hoc agendo aut omittendo*. Vel ſic diſcurrendo: *qui in re morali ſequitur opinionem vere probabilem, agit prudenter: ergo agit licite: ſed ego hic & nunc ſequor opinionem vere probabilem* (ſi dubitem ſpeculative) *rem ut meam retinendo, hoc agendo vel omittendo, &c. ergo ago licite*. Unde, ſi dubitans

non

non prius inquireret diligenter in veritatem, vel ſi poſt inquiſitionem non formaret hujuſmodi dictamen reflexum, ille non deponeret dubium practicum, conſequenter operando peccaret contra juſtitiam.

10 Præmit. 2. per *titulum*, in quo fundatur bona fides, intelligi cauſam, de ſe habilem ad transferendum dominium vel jus, ex qua poſſidemus, vel aliquid facimus. Iſte debet eſſe *juſtus*, ſeu a jure approbatus ad præſcribendum, qualis reſpectu præſcriptionis poſitivæ eſt tantum, qui eſt de ſe translativus dominii vel juris, & revera transferret, ſi re ipſa daretur, uti eſt donatio, emptio, legatum, tranſactio &c. non vero commodatum, depoſitum, conductio, promiſſio &c. Tales tituli in jure proditi vel ſunt generales, ut *Pro ſuo*, & *pro ſoluto*, vel ſpeciales, ut *pro donato*, *pro emptore*, *pro legato*, *pro tranſacto*, *pro permutato*, *pro judicato*, *pro dote*, *pro derelicto*, *pro ſocio* (quando nempe ſoluta ſocietate uni ex ſociis obtigit pars rei alienæ, quæ putabatur eſſe communis ſociorum) & *pro hærede*, quando nempe ad hæreditatem vocatus, vel credens ſe vocatum, rem alienam in maſſa hæreditatis inventam poſſidet tanquam propriam. Tituli generales *pro ſuo*, *&* *pro ſoluto*, ſe ſoli non ſufficiunt ad præſcribendum, niſi accedat juſta cauſa credendi probabiliter, rem eſſe ſuam, vel ſibi ſolutam ex titulo de ſe habili ad transferendum dominium, licet non intervenerit. Porro *titulus juſtus* eſt quadruplex. 1. *Verus*, quando cauſa dominii translativa vere proceſſit, & res tradita, ac tradens dominium habuit: hic titulus non habet locum in præſcriptione, ſed eam excludit; quia, *quod noſtrum eſt, noſtrum amplius* (per præſcriptionem) *fieri non poteſt*, ut habet Brocardicum ex

§. 10. *inſt. de legat.* 2. *Coloratus*, ſeu *apparens*, quando quidem præceſſit cauſa de ſe habilis ad transferendum dominium, ſed ſolum apparenter, quia v.g. emptio ex occulto vitio fuit invalida, vel tradens alienare non potuit, vel ipſe dominium non habuit. 3. *Exiſtimatus* ſeu *putatitius* quando nec vera nec apparens cauſa, v.g. emptio, vel donatio præceſſit, probabili tamen errore creditur præceſſiſſe. 4. *Præſumptus* quando jura ex diuturnitate temporis & poſſeſſionis cauſam præceſſiſſe præſumunt, ſive dein præceſſerit, ſive non. Alii aliter loquuntur: & titulum *coloratum* vocant *verum*, vel *apparentem*, atque opponunt *præſumpto*, vel omnem non *verum* appellant *apparentem* aut *exiſtimatum*.

11 Præmit. 3. *Poſſeſſionem* definiri, quod ſit *detentio rei, a jure poſſideri non prohibitæ, cum animo eam ſibi habendi*, ſeu ut ſuam: proin requiritur, ut res ſit tradita & apprehenſa corpore, vel apprehenſione vera vel ficta, ſi res eſt corporalis; ſi autem eſt incorporalis vel jus aliquod, v.g. ſervitus, jus venandi, juriſdictio &c. poſſeſſio non conſiſtit in detentione propria, ſed in uſu & exercitio actus ex jure incorporali promanantis. Porro poſſeſſio in rebus corporalibus vocatur *vera* vel *poſſeſſio* ſimpliciter; in incorporalibus autem *quaſi-poſſeſſio*; quamquam in praxi non ſcrupuloſe hoc obſervetur, cum *vera* & *quaſi-poſſeſſio* habeant eoſdem effectus. Dividitur poſſeſſio in *naturalem*, quando nempe quis detinet rem ſine opinione dominii: & in *civilem*, quando detinet cum opinione dominii, ſeu ut loquuntur, *cum opinione dominii*. Alii, præſertim Theologi, poſſeſſionem *naturalem* a modo detinendi vocant, quando quis corporaliter inſiſtit rei, quam alius poſſidet civiliter; *civilem* vero, quando quis

rem

rem quidem aliquando corporaliter apprehendit, at ei non inſiſtit actu, retinet tamen animum eam ſibi habendi; *mixtam* ex utraque autem, quando quis corpore & animo rem detinet. Alia quoque poſſeſſio dicitur *juſta*, quæ nimirum juſto titulo munita, ac alia *injuſta*, quæ juſto titulo deſtituta eſt.

12 Præmit. 4. *Tempus*, quod omni præſcriptioni eſſentiale eſt, ac a jure determinatum, pro diverſitate rerum & jurium, quæ cadunt ſub præſcriptionem, ac perſonarum, contra quas tendit præſcriptio, eſſe quadruplex. 1. *Breve*, nempe triennium, & omne, quod eſt infra decem annos. 2. *Longum*, quod eſt decennium, vicennium, & quod eſt infra tricennium, ſeu 30. annos. 3. *Longiſſimum*, quod 30. annos adæquat vel ſuperat uſque ad 100. annos. 4. *Immemoriale*, quod eſt tantum, ut nullus hominum defacto exiſtentium meminerit, vel ſciat initium, quo cœperit aliquid fieri, obſervari, vel poſſideri *l.*3.§.4. *ff. de aqua quotid. & c.*26.*de V.S.* cui nihil obſtat, licet ex hiſtoriis, vel documentis conſtet, olim aliter fuiſſe obſervatum; alias enim ſubinde nec 200. vel 300. anni &c. ſufficerent ad conſtituendum tempus immemoriale. Tempus *immemoriale* fere per teſtes tantum probari poteſt, qui de proprio ſenſu per 40. annos habito, quod nempe ipſi viderint vel audiverint ſic ſemper fuiſſe obſervatum, vel Titium v.g. hujus rei vel juris poſſeſſionem vel quaſi ſemper continuaſſe, teſtificari debent, ac inſuper, quod contrarium nunquam viderint, vel ab ullo homine, qui aliter factum fuiſſe, aut ſe initium poſſeſſionis ſciviſſe dixiſſet, audiverint, item quod communis opinio ſit, de contrario uſu non conteſtare. Controverſia tamen eſt, utrum teſtes

neceſſario debeant jurato deponere ***de auditu poſitivo*** majorum, nimirum ſe a majoribus ſuis audiviſſe, ſic ſemper fuiſſe obſervatum, hunc vel illum in uſu hujus juris ſeu in quaſi-poſſeſſione hujus juris vel in poſſeſſione hujus rei ſemper fuiſſe, an vero ſufficiat, ſi deponant ***de auditu negativo***, quod nempe contrarium nunquam audiverint. Ego hoc poſterius affirmavi, & mihi ſatis probaſſe videor *in Manipulo caſuum caſu* 11. tum ex auctoritate Doctorum maxima, tum ex ratione efficaci (cum alias vix unquam probari poſſet tempus immemoriale, quod foret contra intentionem jurium) tum ex SS. Canonibus *c.*21. *&* 26. *de V. S. &* *l.*3. *cit.* ubi tempus immemoriale, per negationem memoriæ initii explicatur, ac ſpecialiter ex *l. ſi arbiter* 28. *ff. de prob.* ubi habetur, tempus immemoriale probari, *ſi nemo ſit eorum, qui id meminerit, quibus conſulibus id viderit: ſed cum omnium hæc eſt opinio, NB. nec audiſſe, nec vidiſſe, cum id opus fieret: NB. neque ex eis audiſſe, qui vidiſſent, aut audiſſent.*

13 Præmitt. 5. *Res* quidem aliquas præſcribi non poſſe, ut videbimus, illas vero, quæ ſunt aptæ præſcribi, ſeu præſcribibiles, & objectum præſcriptionis, vel ſunt *mobiles*, quæ nimirum loco moveri poſſunt, uti pecunia, veſtis, fructus, animalia &c. vel *immobiles*, quæ vel abſolute loco moveri non poſſunt, vel non ſine ſui deſtructione, uti prædia, fundi, agri, domus &c. vel ſint *jura incorporalia*, quæ, ſi adhærent rebus mobilibus, inter res mobiles, ſi immobilibus, inter immobiles reputantur, ſicut his accenſentur cenſus annui, & uſusfructus ſine termino & limite conſtituti, ſervitutes, officia, beneficia, jus Patronatus, Advocatiæ &c. licet perſonis, quæ utique

mo-

mobiles ſunt, adhæreant, utpote jura ex ſe perpetua: vel denique ſunt *actiones* reales, aut perſonales.

Et quia de *ſervitutibus* mentio facta eſt, ac in jure & apud Auctores ſæpe fit, multumque intereſt earum naturam & veritatem noſſe, ulterius adverte, *ſervitutem* in genere eſſe *jus, quo res aliena præter naturam debet ſervire alteri rei* (& tunc eſt ſervitus *Realis*, ſeu *Prædialis*) *vel perſonæ* (& tunc eſt *Perſonalis*, cujuſmodi ſunt uſusfructus alieni, conſtitutus in re aliena, uſus, & habitatio, nec aliæ dantur) Realis ſubdividitur in Urbanam & Ruſticam: *Urbana* dicitur, quæ debetur prædio urbano, h. e. ædificio ad habitandum principaliter, vel lucri aut voluptatis gratia extructo ſive in urbe, ſive ruri, uti jus immittendi tignum ſeu trabem in parietem alienæ domus, jus altius tollendi, jus, ne officiatur luminibus &c. *Ruſtica*, quæ debetur prædio ruſtico, h.e.ad uſum ruſticum v.g. ad alenda pecora, ad aſſervandas fruges &c. principaliter extructo, & potius inhæret fundo, quam ædificiis, quales ſunt ſervitutes viæ itineris, actus, aquæductus, aquæhauſtus, paſcendi pecoris ſeu paſcuorum, coquendæ calcis, arenæ fodiendæ &c. ex his ſervitutibus prædialibus aliæ ſunt *continuæ*, quæ poſtquam ſemel conſtitutæ ſunt, actum continuum habent, ſemperque ſunt utiles prædio dominanti abſque ulteriori facto hominis, ut eſt immiſſio tigni in alienum parietem: aliæ dicuntur *diſcontinuæ*, quæ non habent actum continuum, nec ſemper ſunt utiles prædio dominanti, niſi accedat novum factum hominis, uti iter, actus, via, aquæhauſtus &c. *Prædium dominans* vocatur, cui ab altero aliquid debetur, & reſpectu illius ſervitus appellatur activa: *Prædium ſerviens* vero,

ro, quod in utilitatem alterius tenetur aliquid facere aut omittere, aut aliquid pati, & reſpectu hujus ſervitus nuncupatur *Paſſiva*. His præmiſſis

14 Dico 1. Bona fides ad omnem omnino præſcriptionem, tam continuandam quam inchoandam, neceſſaria eſt. Ita definitum in *c.5.* 17. & maxime *c. fin. b. t.* ibi: *quoniam omne, quod non eſt ex fide* (ſeu quod eſt contra conſcientiam) *peccatum eſt: Synodali judicio deffinimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam Canonica, quam Civilis. Cum generaliter ſit omni conſtitutioni atque conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſervari. Unde oportet, ut, qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienę*. Unde apparet, quod jus Canonicum correxerit jus Civile, quod præſcriptionem longiſſimi temporis cum mala fide etiam inchoatam admittit *l.3.4. C. de præſcr.30. vel 40. ann.* ordinariam vero cum bona fide continuatam *§.diutina 12. inſt. de uſuc. & l. 10. ff. de uſurp.* Conſequenter & correxit, quod Gratianus *can. 15. cauſ. 16. q. 3.* deſcripſit ex jure Civili, nempe *§.12.cit.* Neque dicas, venditorem, qui ſcienter vendidit rem vitioſam, adeoque cum peccato, præſcribere poſſe intra 6. menſes contra actionem redhibitoriam, non repugnante jure Canonico: ergo poteſt dari præſcriptio cum peccato, conſequenter mala fide. Reſp. *neg. conſ.* & ſuppoſitum, quod in hoc caſu detur præſcriptio proprie dicta; quia jus non poſitive aſſiſtit tali venditori, tollendo obligationem in conſcientia ad reſarciendum damnum emptori illatum ex re vitioſa, ſed ſolum negative, non dando actionem emptori, poſt lapſum ſemeſtre ad minuendas lites, fere quo modo negat actionem læſo infra

dimi-

dimidium, relinquendo interim obligationem in conſcientia ad reparandam læſionem.

15 Dico 2. Nulla ignorantia (aut error) juris vel facti, ſi ſit invincibilis ſeu inculpata (quam ſcilicet quis non poteſt, vel non tenetur vincere ſeu tollere) tollit bonam fidem Theologicam, adeoque ignorans, ſe poſſidere rem alienam, vel ſe agere contra jus alterius, præſcribit. Eſt certum apud omnes, quia, ubi culpa Theologica non eſt, non datur fides theologice mala. Dixi, *Theologicam*; nam error vel ignorantia juris manifeſti & certi apud perſonas, in quibus & quando non toleratur ignorantia juris, inducit fidem juridice malam, ſeu a jure præſumptam, vel potius quia jura fingunt, in tali dari fidem malam; ſicut enim poſt litis conteſtationem fingunt malam fidem ad conſequendos fructus poſt illam perceptos, ita præſumunt vel fingunt, ſeu talem ignorantiam habent pro culpabili & vincibili, cum qua præſcribi nequeat *l.* 4. *ff. de J. & F. J. l.* 31. *ff. de uſurp. c.* 13. *de R. J. in* 6. ut ſi emas a pupillo ſcienter, per errorem tamen putes, a pupillo emi poſſe abſque auctoritate tutoris; quod exemplum refertur *l.* 2. §. 15. *ff. pro emptore*. Interim tamen præſcriptio *extraordinaria* & longiſſimi temporis etiam procedit cum ignorantia invincibili juris manifeſti & certi, ut docet communis contra Fachin. & Molin. quia jus Civile in præſcriptione longiſſimi temporis nec titulum nec bonam fidem requirit, jus vero Canonicum non correxit jus Civile quoad fidem juridice malam, ſed ſolum Theologice malam, cum peccato *mortali* conjunctam coram DEO. *Obj.* in *l.* 31. *cit.* dicitur: *nunquam poſſeſſoris juris error prodeſt*: ergo cum hoc neque ſtat præſcriptio extraordi-

naria. R. Textus intelligi debet de præſcriptione ordinaria; quia in *digeſtis* incognita eſt præſcriptio extraordinaria.

16 Dico 2. Nullum dubium ſpeculativum (ſive ſit negativum ſive poſitivum) obeſt bonæ fidei, ſive ſuperveniat præſcriptioni & poſſeſſioni jam cœptæ, ſive antecedat illam, modo adſit juſtus titulus & cauſa inchoandi poſſeſſionem, conſequenter & præſcriptionem, atque deponatur dubium practicum: adeoque non ſolum continuari poteſt præſcriptio cum dubio ſpeculativo, tam poſitivo quam negativo (conſequenter cum fide quoque negative bona) ſed etiam inchoari. Pars prior *de continuatione* ſi dubium ſuperveniat, fere eſt extra controverſiam etiam apud Theologos: poſterior vero *de inchoatione* præſcriptionis eſt contra Theologos pleroſque, qui dubium negativum, imo & poſitivum, ſaltem quando non eſt probabilius, vel unice probabile (nulla ſtante probabilitate in oppoſitum, quod res ſit mea, aut jus hoc agendi vel omittendi mihi competat) non ſufficere autumant, & acerrime contendunt, præſcriptionem inchoari non poſſe cum dubio ſpeculativo, & fide negative bona. Imo eſt contra multos quoque Juriſtas, maxime Canoniſtas, qui tamen videntur rem non ſatis examinaſſe. Poſterior, inquam, pars, quam tenet Ferd. Vaſq. *Illuſtr. controv. l. 2. c. 77. a num.* 3. citans gloſſ. & alios plures, Canoniſtæ Salisburgenſes, P. Engel *h. n.*14. P. Franc. Schmier *de præſcr. c.5. ſect.*1. *a num.*45. P. Placidus Bockn *h. num.* 5. item D. Greneck *in exam. juris Canon. h. t. num.* 19. Suffragantur mihi quoque mei DD. Collegæ, Legum Profeſſores, mihi longe eſt probabilior, & vix non moraliter certa.

Pro-

Probatur 1. Quænam ſit bona fides ad præſcribendum ſufficiens, maxime deſumendum eſt ex jure Canonico, utpote a quo regulatur præſcriptio quoad bonam fidem: ſed jus Canonicum *in can.5. cauſ.24. q.1. c.5. & c.fin. h. tit.* plus non requirit ad bonam fidem, excluſivam peccati injuſtitiæ, quam ut aliquis ignoret, vel non ſciat, rem, quam poſſidet, eſſe alienam, dum ait: *oportet, ut, qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ c. fin. cit.* Nec in ullo alio loco plus requirit. Sed dubitans ſpeculative (ſive dein ſit dubium poſitivum ſive negativum) ignorat, vel non ſcit, rem eſſe alienam, quam poſſidet; ergo dubitans ſpeculative habet bonam fidem, peccati excluſivam, ſive dein dubium ſpeculativum detur, quando inchoatur, ſive ſuperveniat, quando continuatur præſcriptio; cum textus notanter addat, *in nulla temporis parte*, ſcilicet nec in inchoatione nec in continuatione: ergo dubium ſpeculativum, poſitivum vel negativum, non tollit bonam fidem: ergo illo ſtante tam inchoari, quam continuari poteſt præſcriptio, conſequenter cum fide tam poſitive bona, quæ innititur dubio ſpeculativo poſitivo, quam negative bona, quæ dubio ſpeculativo negativo.

Prob. 2. Cum dubio ſpeculativo, tam negativo quam poſitivo, ſuperveniente poteſt continuari præſcriptio, adeoque & cum fide negative bona: ergo & inchoari. *Antec.* communiter omnes adverſarii admittunt. *Conſ.* patet a pari; ſi enim dubium ſuperveniens non inducat malam fidem, & cum fide negative bona continuari poſſit præſcriptio, non video, cur idem dici non poſſit de inchoatione, præſertim cum etiam inchoans cum dubio ſpeculativo

deponere poſſit dubium practicum. Notetur bene hoc argumentum, cum omnia fere adverſariorum argumenta per hanc retorſionem, quæ mihi videtur ſolidiſſima, elidi valeant. Siquidem

Prob. 3. Non minus inchoans præſcriptionem cum dubio ſpeculativo poteſt deponere dubium practicum, quam continuans: ſed ſi deponit dubium practicum, non peccat incipiendo poſſeſſionem & præſcriptionem: ergo nec inchoans præſcriptionem cum dubio ſpeculativo peccat: ergo eſt in bona fide, poſitive vel negative bona: ergo & præſcribit. *Ma.* prob. Ideo continuans, cui ſupervenit dubium ſpeculativum, poteſt deponere dubium practicum, quia habet principium indirectum & extrinſecum a jure approbatum, nempe poſſeſſionem, ex quo formare poteſt dictamen reflexum, & judicium practicum, quod licite agat continuando præſcriptionem, ſic diſcurrendo: *in dubio melior eſt conditio poſſidentis: ſed ego dubito ſpeculative, & poſt diligentiam adhibitam non potui habere certitudinem, ac dubium ſpeculativum de proprietate rei deponere, & jam poſſideo rem: ergo melior eſt mea conditio: ergo licite ago eam ulterius poſſidendo, & retinendo.* Atqui inchoans poſſeſſionem vel præſcriptionem habet ſimile principium indirectum & extrinſecum in jure fundatum, ex quo poſſit deponere dubium practicum, ac inde formare dictamen reflexum, quo prudenter & moraliter certo judicat, ſibi licere inchoare poſſeſſionem v. g. peregrinus, vel alius, offert equum vel mercem venalem, ego autem ſpeculative dubito, an ille ſit dominus equi vel mercis, aut an emptio, quam volo facere, ſit valida: in hoc caſu ſtat pro me præſumptio juris duplex, nempe hæc: *nemo*

in

in dubio præſumendus eſt malus ſeu malæ fidei, niſi ſatis probetur, & conſtet, item: *contractus præſumitur in dubio eſſe validus, niſi conſtet vel probetur, eſſe invalidus: ſed ego hic & nunc dubito, an alter ſit dominus*, vel *an contractus valeat, & certitudinem poſt diligentem inquiſitionem habere non poſſum: ergo pro me ſtat præſumptio Juris: ergo licite ago rem emendo, eamque traditam poſſidere, conſequenter & præſcribere inchoando*. Vel ſic poſſum diſcurrere: *in dubio non teneor me privare jure & facultate per juſtum titulum, v. gr. emptionis, conſequendi poſſeſſionem rei, eo quod pro me ſtet poſſeſſio hujus facultatis, & ſimul præſumptio, quod alter ſit dominus, a quo rem volo conſequi: ergo licite ago, dum ex juſto titulo poſſeſſionem hujus rei incipio*. Cum utique agat licite, pro quo ſtat poſſeſſio, & ſimul præſumptio Juris; præſertim cum præſumptio Juris ſit æque fortis in Jure ac poſſeſſio, imo fortior: cum præſumptio pro aliquo militans rejiciat onus probandi in poſſeſſorem, per *c. un. de benef. eccleſ. c. fin. §. ſane de Jurejur.* Imo etiam (quod bene notari velim) poſſum applicare principium ex poſſeſſione depromptum, fere eo modo, quo adverſarii in continuante præſcriptionem, ſic ratiocinando: *Melior eſt conditio poſſidentis: ſed ille, a quo rem mihi ex juſto titulo traditam accipio, rem poſſidet: ergo melior eſt ipſius conditio: ergo licite poſſidet, & licite diſponit de re, eam vendendo, donando, &c. & mihi tradendo: ergo & ego licite accipio:* non enim apparet ulla ratio, cur ego non licite accipiam, ſi alter licet mihi tradat rem, utpote totum ſuum jus, quod ipſe habet, in me transferens, qui, ſicut licite retinere eam potuiſſet, ita licite mihi tradere, & poſſeſſionem licitam in me transferre poteſt. Rurſus ſic poſſum

depo-

deponere dubium practicum: *Melior eſt conditio poſſidentis: ergo credere licite poſſum, illum, a quo emo equum vel mercem, eſſe illius dominum: ergo licite ab ipſo accipio equum mihi venditum, ac poſſidere & præſcribere incipio.*

Confirm. Rariſſime contingit, ut incipiens poſſeſſionem rei ſit moraliter certus, quod is, a quo ſibi res traditur ex juſto etiam titulo, v. g. venditionis, donationis, &c. ſit dominus, eo quod dominia vix ſoleant eſſe certa niſi interveniente præſcriptione legitima; hinc enim tam provide exiguntur & præſtantur cautiones de evictione; ergo ordinarie datur dubium aliquod ſpeculativum in inchoante præſcriptionem, niſi is rerum omnino ſit imperitus: ergo, ſi cum dubio ſpeculativo non poſſet inchoari præſcriptio, ea vix unquam haberet locum: quod eſt contra communem ſenſum & experientiam. Id tamen adhuc adverto, quod dubietas craſſa & ſupina, quæ æquiparatur ſcientiæ, nec peccatum excludit, non ſufficiat ad deponendum dubium practicum per principium etiam extrinſecum: id quod adverſarii etiam admittere debent de tali dubietate ſuperveniente in ordine ad continuandam præſcriptionem: & ſic iterum manet paritas inter inchoationem & continuationem præſcriptionis cum dubio ſpeculativo.

17 *Objic.* 1. Qui rem alienam, de qua dubitat, num ſit ſua vel non, occupat, agit inique; cum ſine ſufficienti cauſa ſe præferat aliis, v. g. Teſtator aliquis fecit legatum, & dubium eſt, an Cajo, vel Titio: hoc caſu alteruter, qui occupat legatum, agit inique; ergo. 2. Accipiens cum dubio exponit ſe periculo occupandi rem alienam; ergo peccat; quia ſic eſt conſtitutus: ſive res ſit mea ſive non, ego illam

illam mihi attribuo, & poſſidere incipio. 3. Judex in dubio non poteſt uni adjudicare cauſam ſine alterius injuria: ergo nec homo privatus ſibi rem, de cujus dominio dubitat. 4. Qui negative dubitat, nullam habet prudentem rationem judicandi, rem potius ad ſe pertinere, quam ad alium: ergo eam accipiendo imprudenter agit in re morali, adeoque peccat: ergo eſt in mala fide. 5. Fides negative dubia non eſt bona formaliter; ergo negative dubitans, dum rem accipit, & poſſidere incipit, non habet bonam fidem. 6. Qui utitur principio & regula præſumptionis Juris, ex qua diximus deponi poſſe dubium practicum, habet fidem poſitive bonam: ergo ſaltem cum fide negative bona, quam deberet fundare dubium ſpeculativum negativum, non inchoatur præſcriptio: & hæc propoſitio, *negative dubitans ex regulis præſumptionis hoc ſibi dictamen formare poteſt, quod hic & nunc licite rem emptam poſſideat &c.* implicat utramque partem contradictionis; quia involvit fidem negative bonam, & eamdem rurſus excludit, quia dicit, negative dubitantem habere iſtud judicium, *quod hic & nunc licite rem emptam poſſideat*. Nec eſt paritas cum licita continuatione præſcriptionis ſtante fide negative bona; quia in continuatione dubium, & fides negative bona verſatur circa proprietatem rei; judicium & fides poſitive bona verſantur circa poſſeſſionem rei: econtra in inchoatione dubium & fides negative bona, uti & judicium ac fides poſitive bona, dantur circa eamdem proprietatem rei.

Reſp. ad 1. Vel argumentum loquitur, ut videtur, de occupante rem, quæ nullius eſt aut de rem accipiente ab alio abſque titulo juſto,

& eſt

& eſt extra rhombum, ac non ad rem; quia ſermo eſt non de occupante rem in nullius dominio exiſtentem; nam tunc non opus eſt præſcriptione: neque de occupante ſine juſto titulo emptionis, donationis, legati, &c. Vel loquitur de occupante rem, ab alio ſibi traditam ex juſto titulo, & tunc iſte titulus eſt ſufficiens cauſa ſe præferendi aliis, qui titulum non habent. Et hinc paritas eſt nulla de legato, quod Cajus nec poſſeſſione nec præſumptione ſuffultus arripit, Titio eumdem titulum habente. Dein quis damnet legatarium, ſi in tali dubio petat legatum, &, ſi detur, poſſidere incipiat, paratus reſpondere adverſario? Ad 2. *diſt. conſ.* ergo peccat, niſi deponat dubium practicum ex principio extrinſeco poſſeſſionis, vel præſumptionis. *C.* Si deponat, uti deponere poteſt ſecundum dicta. *N. conſ.* Ad 2. *N. parit.* quia Judex tenetur partibus æquale jus habentibus tribuere æqualem portionem, ubi pro neutra, ut ponitur, aliunde datur adminiculum vel aſſiſtentia Juris, v. g. poſſeſſio vel præſumptio: ſi vero ponas, quod ceteris paribus pro alterutra parte inſuper ſtet poſſeſſio aut præſumptio Juris, tunc admitto paritatem, & Judex debet (ſicut præſcribere volens poteſt accipere ſibi) ſtante dubio rem uni adjudicare, pro quo nempe ſtat præſumptio vel poſſeſſio. Et ſic ad alias quoque inſtantias, quas afferunt adverſarii, reſponderi poteſt; quia ſemper ponunt talia exempla de inchoante præſcriptionem, ubi vel titulus abeſt, vel præſumptio Juris, aut poſſeſſio, vel dubietas eſt craſſa, & peccati non excluſiva, ita ut dubium practicum nec ex principio reflexo deponi valeat. Ad 4. *N. ſuppoſitum antec.* quod ſpeculative dubitans negative, judicet vel judicare debeat de proprietate, ſeu

rem

rem ad ſe pertinere, quia de eſſentia dubii ſpeculativi eſt excluſio ſeu ſuſpenſio judicii: quando rem poſſidere incipiens ex principio extrinſeco & reflexo (quod requiro ad deponendum dubium practicum, non ſpeculativum de proprietate) deponit dubium practicum, judicat quidem ſibi licere rem accipere & poſſeſſionem inchoare; ſed hoc judicium eſt de licentia actionis (non de proprietate) & ad hoc judicium habet prudentiſſimam rationem, præſumptionis vel poſſeſſionis vel utriuſque. Ubi adeſt prævie ratio poſitiva, adeoque dubium ſpeculativum poſitivum, poſſum quidem formare judicium *probabile* prævium de proprietate: ſed ex hoc judicio nondum oritur fides bona, ſed primum ex judicio reflexo ſe fundante in præſumptione vel poſſeſſione, per quod deponitur dubium practicum de licentia actionis, non ſpeculativum de proprietate. Ad 5. Qui ſic objicit, imperite loquitur: nam quando poteſt deponi, & actu deponitur dubium practicum (de quo caſu eſt ſermo) non eſt fides *dubia*, licet præceſſerit dubium ſpeculativum de proprietate, ſed eſt *bona*, & certa ex dictamine reflexo moraliter certo. Non admittimus fidem *negative dubiam*, ſed *negative bonam* ad inchoandam præſcriptionem. Ad 6. hic poteſt fieri quæſtio de nomine, utrum, quando dubium ſpeculativum negativum datur, & ex ratione poſitiva extrinſeca ac reflexa, nimirum ex poſſeſſionis vel præſumptionis beneficio, deponitur dubium practicum, fides bona inde reſultans vocari debeat *negative* vel *poſitive bona*. Mihi eſt perinde; ſi adverſarii propter principium extrinſecum velint vocari *poſitive bonam*, tunc neque continuari poteſt præſcriptio cum fide negative bona (quod tamen mor-

dicus

dicus defendunt) quia etiam in continuatione deponitur dubium practicum ex ratione poſitiva extrinſeca, nempe ex beneficio poſſeſſionis, *melior eſt conditio poſſidentis*, ut ſemper clamant : ſi vero velint in continuatione vocari *negative bonam* fidem propter ſuperveniens dubium negativum, non obſtante, quod dubium practicum deponatur ex ratione extrinſeca poſitiva, ægre non ferent, ſi & ego dicam, inchoari poſſe præſcriptionem cum fide negative bona propter dubium ſpeculativum negativum de proprietate. Dum de implicantia aliquid aſſuetur, objiciens idem dicere debet ipſe, ſi admittat, uti revera admittit, & contendit, continuari poſſe præſcriptionem cum fide negative bona; nam formare debet hanc propoſitionem: *negative dubitans* (dubio ſuperveniente poſt cœptam poſſeſſionem) *ex regula poſſeſſionis hoc ſibi dictamen formare poteſt, quod hic & nunc licite rem emptam retineat, ac ulterium poſſideat*: ſed hæc propoſitio (juxta ipſius modum argumentandi) implicat utramque partem contradictionis; quia involvit fidem negative bonam, ut ipſe vult, & eamdem excludit, quia negative dubitans habet hoc judicium, *quod hic & nunc licite rem emptam retineat*. Et eſt omnimoda paritas, quam non tollit per id, quod ſubjungit, dum per vocum abuſum dicit, in continuatione judicium & fidem *negative* bonam verſari circa proprietatem, & *poſitive* bonam circa poſſeſſionem; in inchoatione vero fidem & negative & poſitive bonam verſari circa eamdem proprietatem. Mirabile ! fides tam negative quam poſitive bona, nec de proprietate nec de poſſeſſione directe judicat, ſed de licentia poſſidendi; cum bona fides conſiſtat in opinione vel judicio, quod licite aliquis

agat,

agat, & non contra jus alterius, rem poſſidendo, hoc vel illud agendo aut omittendo. Dein objiciens fingit, quod juxta mea principia negative & poſitive bona fides in inchoatione verſetur circa eamdem proprietatem. Proteſtor ſolemniter contra; imprimis enim non admitto in inchoante cum dubio ſpeculativo ullum judicium ſuper proprietate, quo deponatur dubium ſpeculativum. Dein non admitto fidem dupliciter bonam, poſitive & negative, ſed unam, ſive malis vocare *negative* bonam propter dubium negativum de proprietate; ſive *poſitive* bonam propter poſitivam rationem extrinſecam, ex qua deponitur dubium practicum.; quamvis ſtante ratione poſitiva probabili, & in dubio poſitivo probabili, & in dubio poſitivo poſſim (non tenear) prævie ſuper proprietate judicare, *probabiliter* rem eſſe meam: ſed per hoc judicium probabile non deponitur dubium ſpeculativum; ſiquidem nec poſitive nec negative *bona fides* eſt judicium ſuper proprietate, ſed eſt judicium de licentia actionis. Dein monitum te volo, & identidem tibi inculcatum, ut numquam obliviſcaris retorſionum, quas ad hæc, & omnia fere alia, quæ forſan excogitabunt, argumenta, ſemper dare poteris in continuatione præſcriptionis cum dubio ſpeculativo, ſeu poſitivo ſeu negativo, ſuperveniente, ubi deponere oportet dubium practicum ex poſſeſſione, & numquam, ſi hucuſque allata rite intelligas, invenies mea opinione ſufficientem diſparitatem.

Replicabis. Multa ſunt licita in continuatione poſſeſſionis, quæ non ſunt licita in inchoatione: ergo non hoc ipſo, quod cum fide negative bona, ſeu cum dubio ſpeculativo negativo, continuari poſſit præſcriptio, etiam cum tali

tali fide inchoari poterit. *Antec.* conſtat ex multis exemplis: v. g. ſi qua femina nupſit viro alieno, quem ignorabat jam eſſe uxoratum, cohabitare illi & continuare uſum matrimonii poteſt, quamvis poſtea incipiat dubitare ſpeculative, an non ſit vir alienus; licet econtra eidem ſtante dubio ſpeculativo, poſitivo vel negativo, nubere & ſic poſſeſſionem inchoare nequeat; ut eſt caſus in *can. ſi virgo* 5. *cauſ.* 34. *q.* 1. Reſp. *diſt. ant.* Si inchoans poſſeſſionem non habeat æque ſufficiens fundamentum, ex quo deponat dubium practicum, ac continuans. *C. ant.* Si habeat. *N. ant. & conſ.* Exemplum ex *can. ſi virgo*, nihil facit ad rem: partim, quia loquitur de ea, quæ penitus neſcivit, virum eſſe alienum, quando eum duxit, *neſciens viro nupſerit*, non de ea, quæ jam tum dubitabat, an non ſit alienus; & illa utique, ſi poſtmodum ſupervenit poſſeſſioni dubium ſpeculativum, ex eadem dubium practicum potuit deponere: partim quia primum nunc talis femina dicitur eſſe malæ fidei, poſtquam *ſcierit* eſſe virum *alienum*. Unde negatur paritas cum noſtro caſu præſcriptionem inchoantis, qui dum eam inchoat cum dubio ſpeculativo, negativo vel poſitivo, æque bonum & ſufficiens habet fundamentum deponendi dubium practicum ex *poſſeſſione* prioris domini, a quo rem accipit, & *præſumptione* Juris, quod prior dominus non ſit malus, & rem alienam mihi non tradat, atque ille, qui cum tali dubio continuat præſcriptionem; cujuſmodi fundamentum non habet femina, quæ nubit viro, de quo dubitat, an non ſit uxoratus, ſi formaretur caſus de femina dubitante, & non de neſciente, uti eſt caſus in *d can. ſi virgo*. Dein, ſicut in *cit. can.* femina ſolum tunc dicitur eſſe malæ fidei, quando *ſciverit*, virum

rum eſſe alienum; ita præſcribens primum tunc eſt malæ fidei, quando ſcit, rem eſſe alienam, quam poſſidere vel incipit vel continuat: ſcientiæ autem in ordine ad inducendam malam fidem æquiparatur dubium, non quidem ſpeculativum, ſed practicum quod ex legitimo fundamento deponi non poteſt, nec deponitur, ut patet etiam in continuante præſcriptionem: quæ proin paritas cum continuante, & retorſio ſæpius audita manet in ſuo vigore.

18 Dico 3. Quamvis ſcientia *rei alienæ* obſit bonæ fidei, *c. 5. & fin. h. t.* ſcientia tamen *juris alieni* in præſcriptione privativa, qua extinguitur jus alienum, reale vel perſonale, aut debitum, indefinite contractum, probabilius non obeſt, ſi alter omittat tempore per Jura requiſito exercere ſuum jus, vel debitum exigere: ſic v. g. legatum, quod quis 30. annis non exigit ab hærede, extinguitur via præſcriptionis: ſic mutuum, cui dies ſolutionis non eſt adjecta, item uſuræ extinguuntur eodem tempore. Panorm. Vaſq. Hoſt. Bart. Glettle, a Someting, Franz. P. Franc. Schmier. Sumitur ex *l. 5. ff. de R.C. l. 17. §. 1. ff. de uſuris & l. 10. C. de pignor.* ex quibus colligitur, neminem obligari ſolvere debitum, niſi vel Jus exigat, uti exigit, ab emptore accepta merce ſolvi pretium, nec dies interpellet, uti ſi certa dies ſolutioni eſt præfixa, nec homo, ſcil. creditor. Ex altera parte jura & actiones, quas alii contra nos habent, reſtrictæ ſunt ad uſum, itaut, ſi certo tempore, v. g. 30. annis, non exerceatur uſus juris, vel actio non intentetur, expirent, *l. 13. l. ult. C. de ſervit. l. 3. & 4. C. de præſcr. 30. & 40. ann.* Jam ſic: nemo tenetur alterum monere, ut utatur jure ſuo, vel offerre ſolutionem nullo interpellante, licet ſciat: alteri competere jus vel actionem,

per

per *ll. citt.* ergo ſcientia juris alieni non obeſt bonæ fidei; qui enim ſcit jus alterius, ſuo jure non utentis, vel debitum non exigentis, non agit hoc ipſo contra jus alterius, neque peccat omittendo monitionem, ut utatur, vel præſtare ſolutionem, nec a Jure, nec ab homine exactam: ergo non peccat contra Juſtitiam: ergo habet bonam fidem peccati excluſivam. Confirmatur exemplis: juxta omnes præſcribitur 10. annis ſervituti tam reali ruſticæ itineris, viæ &c. *l.* 13. *& ult. C. de ſervit. citt.* quam perſonali uſusfructus, *l.* 25. *ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* non obſtante, quod præſcribens ſciat, aliis competere jus eundi & plauſtra ducendi per ſuum fundum, aut capiendi uſumfructum. Sic præſcribitur actioni pœnali non obſtante ſcientia Juris, quod habet alter ad pœnam exigendam, & obligationis propriæ ad eam ſubeundam, ſi exigatur; quia nemo tenetur ſicut monere, ut alter utatur ſervitute activa, ita nec ut pœnam exigat.

Objic. Vel debitor, qui ſcit alterius jus & ſuam obligationem ſolvendi aut aliquid præſtandi, habet animum ſatisfaciendi aut ſolvendi, vel non habet? ſi habet, non eſt in quaſi poſſeſſione ſuæ immunitatis: ſi non habet, eſt in mala fide; ergo non præſcribitur cum ſcientia juris alieni, & ſuæ obligationis. R. Retorquendo in exemplis allatis. Deinde dico, quod habeat animum ſatisfaciendi vel ſolvendi &c. ſub conditione, ſi alter utatur ſuo jure, vel ſolutionem exigat: & ſic eſt in bona fide, & quaſi poſſeſſione immunitatis ſuæ per omiſſionem uſus & exactionis.

19 Dico 4. Bona fides auctoris (ſeu qui prius poſſedit) prodeſt ſucceſſori tam particulari quam univerſali, itaut acceſſione temporis uti poſ-

ſit,

ſit, h. e. illud etiam tempus computare, quo auctor poſſedit, 2. econtra mala fides auctoris nocet ſucceſſori univerſali immediato, nempe hæredi, itaut nec acceſſione temporis valeat uti, nec de novo inchoare præſcriptionem ordinariam, 3. licet non ita noceat ſucceſſori particulari, qui nempe rem obtinet titulo ſingulari, v. g. emptionis, donationis &c. ut præſcriptionem ordinariam, ſaltem in rebus mobilibus a ſe ipſo incipere nequeat. Pars 1. ſumitur ex §. 12. 13. *Inſt. de uſucap.* Pars 2. ex *l.* 11. *ff. de diverſis tempor. præſcr. l.* 11. *C. de acquir. vel retin. poſſeſſ.* quia hæres immediatus fictione Juris reputatur pro eadem perſona cum defuncto. Quod autem præſcriptionem extraordinariam incipere poſſit, inde habetur, quod in hac Jus civile non requirat bonam fidem, Jus vero canonicum non attendat fidem malam fictam peccato non imbutam, qualis tantum datur in hærede inſcio malæ fidei veri auctoris. Pars 3. ex *l.* 5. *ff. de diverſ. temp. præſcr.* Excipiuntur res immobiles *nov.* 119. *c.* 7. *& Auth. malæ fidei C. de præſcr. longi temp.* De Jure Bav. *titul.* 9. *art.* 2. emens rem immobilem præſcribit intra 5. annos contra hypothecam, cui res fuit obnoxia. Et juxta *art.* 9. etiam hæres poteſt inchoare ex ſua perſona, & complere præſcriptionem ordinariam.

20 Dico 5. Bona fides (etiam in præſcriptione ordinaria, ſi allegatur & probetur titulus) præſumitur, itaut a præſcribente nec allegari, nec allegata probari debeat, ſi debito tempore poſſedit, vel poſſediſſe ſe dicit. Vaſq. Panorm. Covar. contra Fachin. & alios; quia a Jure quilibet præſumitur bonus, conſequenter bonæ fidei, niſi probetur contrarium, *arg. c. fin. de præſumpt. l.* 51. *pr. ff. pro ſocio*, & is, pro quo ſtat

præ-

præſumptio relevatur ab onere probandi, per *l.* 12. *ff. de probat.* Interim tamen poſſunt adeſſe tales circumſtantiæ, ex quibus oritur fortior præſumptio malæ fidei, conſequenter præſumptionem allegans probare debebit bonam fidem: ut ſi emit a prodigo: ſi extrajudicialiter confeſſus eſt, ſe ſcire, rem eſſe alienam: ſi rem occupavit clam: ſi titulum a Jure reprobatum alleget: ſi penes ipſum reperiantur inſtrumenta, rem alienam eſſe perhibentia &c.

21 Dico 6. In omni præſcriptione poſitiva rerum corporalium neceſſarius eſt aliquis titulus. Eſt certum ex claris textibus in *l.* 4. *C. de præſcr. longi temp. & l.* 24. *C. de R. V.* quia in titulo fundatur bona fides. Dixi 1. *poſitiva rerum corporalium*, nam in privativa, & regulariter in poſitiva rerum incorporalium, loco tituli ſufficit patientia domini, modo præſcribens non poſſideat vi, clam, aut precario, *l.* 3. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann. l.* 10. *pr. ff. Si ſervit. vind.* An vero hæc patientia debeat dici *titulus*, vel *aliquo loco tituli*, eſt quæſtio de nomine. *Regulariter*, inquam, *etiam in poſitiva incorporalium;* nam jus paſcendi, venandi, uſusfructus &c. quia per horum jurium acquiſitionem valde grave infertur præjudicium prioribus dominis, opus eſt titulo poſitivo, ut agunt communiter. Dixi 2. *aliquis titulus*, nempe *coloratus:* an vero etiam ſufficiat *exiſtimatus*, & *præſumptus*, videndum.

22 Dico 7. Titulus exiſtimatus ad præſcribendum ſufficit, ſi fundetur in errore facti alieni, ut ſi ab alio fide digno audiveris, rem, quam poſſides, eſſe emptam, vel putas, a tuo procuratore eſſe emptam, cum tamen emptio non præceſſerit, *l.* 11. *ff. pro emptore*, non vero ſufficit, ſi fundetur in errore facti proprii, ut ſi per errorem

rem putes, a te rem fuiſſe emptam, §. 11. *Inſt. & l. 27. ff. de uſucap. l. 11. cit.* Ratio diſparitatis eſt, quod error circa factum alienum ſit probabilis, & in Jure toleretur, *l. 5. ff. pro ſuo, l. 2. ff. de J. & F. J.* non vero circa factum proprium in ordine ad percipiendum inde commodum, per *l. 7. ff. ad SC. Vellejan.*

23 Dico 8. Titulus præſumptus regulariter ſufficit in præſcriptione extraodinaria, ſeu longiſſimi temporis, ut adeo præſcribens nullum determinatum titulum aſſignare, aut, ſi alleget, probare teneatur. Communis ex *l. 4. C. de præſcr. 30. vel 40. ann. c. 6. h t. x. & c. 1. eod. in 6.* Dixi, *regulariter*, niſi nimirum Jus fortiter reſiſtat poſſidenti, poſſeſſionem prohibendo. Arn. Rath *de uſucap. aſſert.* 33. cum Covarr. & alii, aut niſi aliunde Jus præſumat malam fidem; tunc enim etiam in longiſſima (non tamen in immemoriali) præſumptione opus eſſet allegare & probare titulum: ſic ſi Clericus contra Parochum, vel Parochus in aliena Parochia præſcripſiſſe ſe decimas aſſereret, *c. 1. cit.*

24 Quæres, an præſcriptio, titulo præſumpto innixa, etiam immemorialis corruat, ſi poſtea detegatur titulus vitioſus, & invalidus de Jure, ut ſi innoteſcat, poſſeſſionem cœpiſſe titulo locati-conducti? R. cum Fachin. Maſch. & aliis, quos ſæpius noſtra Facultas Juridica in conſulendo ſecuta eſt, affirmative contra Ferd. Vaſq. Ratio, quia, ſi detegatur titulus vitioſus, innoteſcit, unam ex neceſſariis conditionibus defuiſſe, conſequenter præſcriptionem fuiſſe nullam. Favet *c. 31. de Decim.* & commune brocardicum ex *can. 4. ſeqq. d. 8.* deſumptum: *Præſumptio debet cedere veritati.*

Objic. 1. In præſcriptione extraordinaria præ-

ſumitur a Jure titulus abſolute, itaut, ſi unus detegatur falſus & vitioſus, præſumatur alius latens & idoneus. 2. Poſt completam præſcriptionem, etſi conſtiterit, rem fuiſſe alienam, illa non reſciditur: ergo neque, ſi poſtea conſtiterit de titulo vitioſo. Reſp. ad 1. N. *ant.* quia detecto uno vitioſo titulo præſumi alium idoneum, nec ex Jure, nec ex ratione, nec auctoritate DD. ſatis probatur, imo ex hoc ipſo, quod pateat, poſſeſſionem cœptam eſſe ex titulo vitioſo, oritur præſumptio in oppoſitum, quod nullus idoneus lateat; cum poſſeſſio ex pluribus titulis non ſoleat inchoari. Ad 2. N. *conſ.* nam detecto titulo vitioſo conſtat, præſcriptionem non potuiſſe ſubſiſtere, compleri, imo nec incipere, propter defectum juſti tituli, &, quæ in illo fundari debuiſſet, bonæ fidei.

25 Dico 9. Poſſeſſio aliqua ad omnem præſcriptionem eſt neceſſaria. Ita diſerte pronuntiat *l. 25. ff. de uſurp. & uſucap. & c. 3. de R. J. in 6.* ibi: *ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit*. Unde commune DD. Effatum: *tantum præſcribitur, quantum poſſidetur*. In præſcriptione privativa non quidem datur poſſeſſio poſitiva, quæ habetur per actus poſitivos corporis, vel animi, vel utriuſque, datur tamen proportionata, ſcilicet negativa, quæ habetur per negationem & omiſſionem actuum, quibus creditor vel alius poſſet v. g. exigere debitum, cenſus, decimas, &c. vel inſtituere actionem; exercere actum ſui juris, non tamen facit; per quam omiſſionem obtinetur & continuatur poſſeſſio vel quaſi poſſeſſio immunitatis a ſolvendo vel aliud faciendo aut patiendo, ac demum obtinetur completo tempore ipſa immunitas, quæ fuit remiſſa per contractionem debiti,

biti, vel impoſitionem obligationis, v. g. in contractu celebrato, &c.

26 Petes, qualis requiratur poſſeſſio? R. 1. ad inchoandam præſcriptionem rerum corporalium poſſeſſio *naturalis & civilis ſimul*, ſeu quæ fit per apprehenſionem vel veram vel fictam rerum cum animo eas ſibi habendi, & cum opinione dominii, *l. 4. C. de acquir. & retin. poſſeſſ.* ad continuandam vero ſufficit etiam *mere civilis*, per *l. 17. §. ult. ff. de furtis*; cum naturalis continuari toto tempore moraliter nequeat rebus ſemper phyſice & corporaliter inſiſtendo, bene tamen civilis per animum poſſidendi per ſe vel per alium. *Mere* autem *naturalis* non ſufficit ad continuandam vel inchoandam præſcriptionem *l. 55. ff. de O. & A.* quia ſine animo rem habendi ut ſuam non poteſt acquiri ejus dominium, & ſine opinione dominii non habetur bona fides. R. 2. ad præſcribendas res & Jura incorporalia requiritur quaſi poſſeſſio, quæ conſiſtit in uſu & exercitio alicujus juris, facto non vi, clam, aut precario, ſed cum opinione, quod juſte agas, & cum patientia alterius. Communis ex *l. fin. ff. de ſervit. l. 10 ff. ſi ſervit. vindic. l. 1. §. fin. ff. de aq. pluv. arc. l. 2. junct. gl. C. de ſervit. & c. 3. de cauſ. poſſeſſ. & prop.* R. 3. ad præſcriptionem privativam requiritur & ſufficit poſſeſſio negativa, ut paulo ante fuit explicatum. R. 4. Poſſeſſio in omni præſcriptione debet eſſe continua, ſeu moraliter numquam interrupta per totum tempus, quod a Jure determinatum eſt ad complendam præſcriptionem. Ita omnes ex §. 12. 13 *Inſt. de uſucap. & c. 8. h. t.* Quomodo autem interrumpatur poſſeſſio, & præſcriptio, dicetur infra §. 3. Jam de *tempore* ad præſcribendum requiſito.

27 Dico 10. Res mobiles, etiam pretioſæ, cum

titulò præſcribuntur tempore brevi, nempe triennio. 2. Probabilius etiam, licet pertineant ad Eccleſias. Pars 1. habetur *pr. Inſt. de uſucap. & l. un. C. de uſucap. transform.* ubi correctum eſt Jus antiquum, quod determinavit unicum annum. Neque Jura diſtinguunt inter res pretioſas & non pretioſas: licet res fiſcales, & furtivas, ac vi occupatas excipiant, de quibus nos infra. Addidi, *cum titulo;* deficiente enim titulo opus eſt tempore longiſſimo 30. annorum, ut eruitur ex *l. 3. & 4. C. de præſcr. 30. ann.* atque DD. per modum regulæ ſtatuunt, ubi Jura requirunt tempus breve, vel longum, deficiente titulo requiri tempus longiſſimum. Pars 2. quam ſuſtinent civiliſtæ communiter, & canoniſtæ multi contra alios pariter multos, probatur ex communi regula, *c. 1. de N.O.N.* quod nempe Jus canonicum cenſeatur ſequi leges civiles, ubi ſpeciale nihil ſtatuit: ſed leges civiles univerſim res mobiles præſcribi volunt triennio, & Jus canonicum nihil ſpeciale ſtatuit de rebus mobilibus ad Eccleſias pertinentibus, nam in *c. 4. 6. 8. 9. h. t.* ubi requirit 40. annos, intelligendum eſt de rebus immobilibus, vel æquivalentibus: ergo. Confirmatur ex *Auth. quas actiones. C. de SS. Eccl.* ubi, poſtquam Eccleſiis & locis piis conceſſum eſt privilegium, ut contra ea in rebus immobilibus non præſcribatur niſi 40. annis, ſubjungitur: *uſucapione triennii, vel quadriennii* (quæ tantum in rebus mobilibus locum habet) *præſcriptione in ſuo robore durantibus*. Accedit æquitas naturalis; quia Eccleſiæ uſucapiunt res mobiles contra alios inter triennium: ergo æquum eſt, ut & ipſæ patiantur idem ab aliis.

Objic. 1. Jus civile nihil poteſt diſponere circa res Eccleſiarum: ergo, dum requirit triennium

ad

ad præſcriptionem rerum mobilium, non debet extendi ad res Eccleſiarum. 2. Res mobiles Eccleſiarum pretioſæ alienari prohibentur ſine ſolemnitatibus de Jure canonico: ergo ſaltem iſtæ non poterunt præſcribi triennio; nam *alienationis verbum etiam uſucapionem continet*, *l.* 28. *ff. de V.S.* R. ad 1. Etſi Jus civile nihil poſſit de rebus & juribus Eccleſiarum diſponere directe, ejus tamen diſpoſitio poteſt recipi a Jure canonico, ſicut hæc recepta cenſeri debet, partim quia nihil diverſi ſtatuit, partim quia in *can.* 16. *cauſ.* 16. *q.* 3. aperte recepit & approbavit *cit. Auth. quas actiones*. Ad 2. hoc argumentum probat nimium, quia etiam res immobiles Eccleſiarum alienari prohibentur ſine ſolemnitatibus, & tamen præſcribi poſſunt, ut apparet ex *c.* 4. 6. 8. 9. *citt.* Præſcriptio rerum Eccleſiaſticarum non alias requirit ſolemnitates, quam conditiones a Jure requiſitas ad præſcribendum.

28 Dico 11. Res immobiles privatorum cum titulo præſcribuntur tempore longo, nempe 10. annis inter præſentes, & 20. annis inter abſentes. Idem intellige de juribus incorporalibus, quæ immobilibus adhærent, vel æquivalent. Communis ex *pr. Inſt. de uſucap. l. penult.* & *l. ult. C. de præſcr. longi temp.* Deficiente titulo requiritur tempus longiſſimum 30. annorum, per *l.* 3. & 4. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann.* Si is, contra quem præſcribitur, partim abſens, partim præſens fuerit, duo anni abſentiæ reputantur pro uno præſentiæ. *Nov.* 119. *c.* 8. proin ſi quis præſens fuiſſet 9. annis, & abſens uno anno, nondum fuiſſet completa præſcriptio, ſed duo anni abſentiæ primum facerent unum, & decimum annum præſentiæ, conſequenter præſcriptionem complerent. Porro

pro abſente non habetur in hac materia, qui perſonaliter hic & nunc eſt abſens a loco præſcribentis, ſed alibi habet domicilium, nempe extra provinciam præſcribentis, vel ſub alio Duce, Principe, Comite, Præfecto, Judice; item ſi res ſita eſt extra domicilium tam præſcribentis, quam ejus, contra quem præſcribitur, per *l. ult. cit.* D. de Baſſis *in* 50. *deciſ. dec.* 46. *n.* 4. *ſeqq.* Dixi autem *privatorum*, nam res immobiles communitatum ſæcularium, & civitatum, nonniſi 30. annis præſcribuntur, ut habet verior ex *nov.* 111. *c. un.* contra Bartol. Jaſ. Covar. Excipiuntur Civitates Imperiales, & Status Imperii, contra quos nonniſi 40. annis præſcribuntur, ut docet D. Rath *de uſucap. c.* 5. *aſſert.* 44.

29 Dubitabis, intra quod tempus præſcribantur jura & bona immobilia Principum, uti & bona eorum Fiſco debita? R. 1. Bona immobilia ad privatum Principis patrimonium ſpectantia cum vel ſine titulo præſcribuntur 40. annis, *l. fin. C. de fundis patrimonial. lib.* 11. Rath *aſſert.* 43. & alii contra Covar. & Zoeſ. qui rebus & juribus patrimonialibus Principum illam a rebus privatorum prærogativam tribuunt. R. 2. Jura Principi qua tali reſervata *in ſignum præeminentiæ*, quæ vocantur *Jura majeſtatis extrinſeca*, vel ab aliis *Regalia minora*, uti jus imponendi tributa, jus aggratiandi, jus creandi Doctores, legitimandi, cudendi monetam, &c. requirunt præſcriptionem 40. annorum cum titulo, & ſine titulo immemorialem, ut tradunt DD. ex *c.* 1. *h. t. in* 6. quia præſcribenti fortiter reſiſtit Juris prohibitio, per *l.* 3. *ff. ad L. jul. majeſt.* Quæ vero reſervata ſunt Principi in *ſignum ſupremæ poteſtatis*, & vocantur *jura majeſtatis intrinſeca*, vel ab aliis *Regalia majora*, uti jus ferendi leges publicas, jus creandi Duces, jus

ſu-

ſupremæ advocatiæ, &c. omnino a privatis & ſubditis præſcribi nequeunt. R. 3. Vectigalia, jus collectandi, aliaque Regalia & jura, alias non præſcriptibilia, præſcribuntur tempore immemoriali. Lauterbach ad *ff. tit. de uſurp. & uſucap.* §. 45. R. 4. Bona Fiſco debita (uti vacantia) nondum tamen Fiſco (ſeu Cameræ Principis) illata, nec denuntiata, h.e. ſi lis nondum poſſeſſori ſuper iis mota eſt, 4. annis: ſi vero ſint aperta Fiſco propter crimen læſæ majeſtatis, hæreſis, non ſoluti vectigalis &c. adeoque *commiſſa*, necdum tamen Fiſco incorporata aut ab eo vindicata, 5. annis acquiruntur a poſſeſſore, ſive ſint bona mobilia, ſive immobilia, *l.1. & tot. tit. C. de quadrien. præſcr.* juncta *l. 18. ff. h. t.* item *l. 2. C. de vectigal.*

30 Dico 12. Res immobiles, & jura ſpiritualia, & temporalia immobilibus æquivalentia ſeu perpetua, contra Eccleſias cum vel ſine titulo non præſcribuntur, niſi ad minimum 40. annis *c. 4. 6. 8. h. t. Auth. quas actiones C. de SS. Eccl. nov.* 111. & *nov.* 131. *c.* 6. ubi receditur a Jure antiquo, *l. 23. C. de SS. Eccl.* ubi centenaria, & *can. ſeqq. cauſ. 16. q. 3.* ubi ſolum tricennaria contra Eccleſias indulgebatur præſcriptio. Nomine Eccleſiarum veniunt etiam hoſpitalia, loca religioſa omnia, & cauſæ piæ &c. ut habet communis ex *d. Auth.* non vero Clerici ſingulares quoad bona ſua profana & patrimonialia. Dixi 1. *cum vel ſine titulo*; ſi enim præſcribenti reſiſtit jus prohibendo poſſeſſionem (non omnino incapacem poſſidendi reddendo; tunc enim præſcriptio nulla procederet) determinate requiruntur 40. anni cum titulo, vel hoc deficiente tempus immemoriale, *c. 1. h. t. in 6. c. 2. de reſtit. ſpol. in 6.* Sic Clericus contra Parochum, vel Monaſterium, cui incor-

porata eſt pleno jure Parochia, ſine titulo non præſcribit decimas, niſi tempore immemoriali, *c.* 1. *c.* 2. *citt.* uti & jus patronatus contra Eccleſiam liberam, ſeu jure patronatus non affectam. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 9. *de ref.* Dixi 2. *ad minimum*; nam aliquæ Eccleſiæ & Ordines Religioſi habent majoris temporis privilegium: ſic contra Ordinem Benedictinum requiritur præſcriptio 60. annorum ex privilegio Eugenii IV., & Julii II. contra Eccleſiam Romanam 100. annorum, *c.* 13. 14. *h. t.* uti & contra domus Ordinum Mendicantium ex conceſſione Leonis X. & Pii IV. Arnold. Rath. *de uſucap. c.* 5. *aſſert.* 35.

31 Dico 13. Præſtationes annuæ, ſeu penſiones ſingulis annis præſtandæ, acquiruntur præſcriptione 30. & contra Eccleſias 40. annorum. 2. Probabilius etiam omnes, tam præteritæ jam ceſſæ, quam futuræ nondum ceſſæ, extinguuntur unica præſcriptione ejuſdem temporis, quæ incipit a tempore, quo prima vice cum bona fide omiſſa eſt præſtatio vel ſolutio. Pars 1. quam forte nemo inficiatur, ſumitur ex *l.* 3. & 4. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann.* item ex *l.* 6. *pr. ff. de uſur.* & 2. *feud. tit.* 26. §. 4. Pars 2. cui contradicunt Fachin. Mynſ. Gail. Berlich. plurimique alii, maxime civiliſtæ, exiſtimantes, ſolum unam præſtationem extingui per lapſum 30. annorum, non vero alias, a quarum ceſſatione nondum fluxerunt 30. anni, adeoque cenſum primum præſcribi anno 1730. qui ceſſit anno 1700. & ſic deinceps, ut adeo tot requirantur præſcriptiones, quot ſunt præſtationes ſucceſſive ſingulis annis debitæ, & non ſolutæ, nec præſcriptio contra præteritas ſe extendat ad futuras, & nulla penſio extinguatur, niſi a tempore, quo ceſſa & non ſoluta eſt,

fluxe-

fluxerint 30. anni. Pars, inquam, ſecunda, quam cum Bulgaro antiquo Gloſſatore, tenent Abbas, Bald. Beor. Nicol. Everhard. Haun. Rath. *de uſucap. c.* 4. *aſſert.* 8. & alii multi, prob. 1. ex *l.* 3. *&* 4. *cit.* ubi generaliter de omni actione ſtatuitur, quod mediante unica præſcriptione longiſſimi temporis extinguatur, 2. ex *l.* 26. *C. de uſur.* ubi dicitur tolli obligatio ſolvendi uſuras, quæ eſt annua, unica præſcriptione 30. vel 40. annorum, 3. ex *c.* 4. *&* 6. *h. t.* ubi obligatio ſolvendi decimas, quæ itidem eſt annua, totaliter 40. annis extingui perhibetur, 4. ex ratione; quia unica reperitur radix & jus exigendi præſtationes annuas, nimirum vel contractus, & actus inter vivos vel ultima voluntas: ergo etiam unica datur actio exigendi præſtationes annuas, ut non negant adverſarii, qui admittunt jus exigendi præſtationes annuas, licet hæ reſpiciant plures ſucceſſive annos, naſci ex unico actu, imo & ex unica præſcriptione: ergo etiam datur unica obligatio eas ſolvendi (cum jus paſſivum reſpondeat juri activo) atqui unica præſcriptio ſufficit ad extinguendam unicam actionem ex parte creditoris, & ad tollendam unicam obligationem ex parte debitoris: ergo.

Objic. 1. Præſtationes annuæ ſunt obligationes in diem, vel ſub conditione; ſed talibus non præſcribitur, antequam dies advenerit, vel conditio extiterit: ergo, 2. & principaliter. *In l. cum notiſſimi* 7. *ult. C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann.* ſic habetur: *in iis etiam promiſſionibus, vel legatis, vel aliis obligationibus, quæ dationem per ſingulos annos (vel menſes &c.) continent, tempora præſcriptionum non ab exordio talis obligationis, ſed ab initio cujuſque anni, vel menſis &c. computari manifeſtum eſt,* ergo cum quolibet anno,

quo non ſolvitur præſtatio decurſa, incipere debeat juxta textum præſcriptio, debent dari tot præſcriptiones, quot ſunt præſtationes, & anni, quibus debentur, vel deberi incipiunt. R. ad 1. *n. maj.* nec enim ſunt plures obligationes, ſed unica, & quidem abſoluta, plures ſucceſſive annos reſpiciens. Deinde retorquetur in obligatione ſolvendi uſuras, & decimas, quæ ſecundum Jura certo extinguitur totaliter unica præſcriptione. Ad 2. ſenſus eſt, quod non incipiat præſcriptio *ab exordio obligationis*, ſeu a tempore, quo contracta eſt obligatio, & hoc *manifeſtum* eſſe ait Imperator; ſed a quolibet anno, quo bona fide omittitur ſolutio, vel præſtatio penſionis: & hoc pariter manifeſtum eſt ex aliis legibus, v. g. de ſervitute ruſtica, uſufructu &c. extinguendis per præſcriptionem. Adde, quod *d. l.* loquatur de emphyteuta & conductore rerum alienarum, ac velit, eos per omiſſas præſtationes non præſcribere dominium rei emphyteuticæ, vel rei locatæ. Ceterum ſi per præſcriptionem jam eſſet extinctum principale, in quo velut acceſſorium quo fundantur præſtationes annuæ, uti uſuræ in mutuo, hoc ipſo etiam eſſent extinctæ totaliter præſtationes, uti nec adverſarii negant. Conſulatur Brunnem. *ad l. 26. C. de uſuris n. 1.*

32 Dico 14. Servitutes tam reales (ſaltem continuæ) quam perſonales, uti uſusfructus, cum titulo (vel patientia domini, quæ eſt ſaltem loco tituli) præſcribuntur tempore longo, nempe 10. annis inter præſentes, & 20. inter abſentes, 2. eodem tempore amittuntur per non uſum, etiam reales diſcontinuæ, præſcriptione privativa. Communis quoad utramque partem, prior patet ex *l. 10. ff. de ſervit. vind. l. fin. C. de præſcr. longi temp.* Poſterior ex *l. 13. & ult. C. de ſer-*

ſervit. Ut tamen amittatur ſervitus realis urbana, v. g. jus altius tollendi ædificium, requiritur actus poſitivus, quo incipias poſſeſſionem, v. g. prohibitio, qua alterum prohibeas altius tollere volentem, & is acquieſcat prohibitioni per tempus longum; ſi enim, qui jus habet altius tollendi, etiam 100. & amplius annis non utatur jure ſuo, non amittit hoc jus, niſi nempe prohibitus a te acquieverit: ſecus eſt de ſervitute ruſtica viæ, itineris &c. quæ amittitur præciſe per non uſum longo tempore. Dixi in prima parte, *ſaltem continuæ;* nam ad acquirendas diſcontinuas plurimi cum Mol. & Gail. requirunt tempus immemoriale, v. g. ad jus paſcendi in alienis pratis vel ſilvis. Melius tamen etiam diſcontinuas acquiri longo tempore ſuſtinetur cum Fach. Harp. Rath Vinn. Struvio, propter *l. 5. §. penult. ff. de itin. actuque priv.* ubi de ſervitutibus itineris & actus, item *l.* 10. *cit.* ubi de aquæductu, quæ ſunt diſcontinuæ, idem aſſeritur. Lex 10. *ff. de uſurp. & uſucap.* &, ſi forſan aliæ extent, uti *l.* 14. *ff. de ſervit.* ubi contrarium videtur adſtrui, ſunt referendæ ad Jus antiquatum Legis Scriboniæ, per quam fuit ſublata propria præſcriptio ſervitutum, ut notat P. Franc. Schmier. *Objic.* In *l.* 28. *de ff. de ſerv. præd. urb.* redditur ratio, cur ſervitus fluminis tempore longo acquiri nequeat, quia nempe *cauſam perpetuam* v. g. navigandi non habet, ſicut ſervitutes diſcontinuæ. Reſp. per *cauſam perpetuam* ibi non intelligitur uſus perpetuus, ſed jus & facultas perpetuo utendi.

33 Dico 15. Actionibus realibus præſcribitur eo tempore, quo præſcribuntur res mobiles & immobiles ac jus reale, de quibus jam dictum. Schneidevv. ad *tit. de uſucap. rubr. quot ſint ſpecies præſcriptionis*, *nu.* 7. cum Balbo. Excipe

petitionem hæreditatis, quæ durat 30. annis *l.* 7. *C. de petit. hæred.* & querelam inofficioſi teſtamenti, quæ finitur 5. annis ab adita hæreditate, *l.* 34. *in fine C. de inoff. teſtam* Item actionem hypothecariam, quæ, ſi pignus vel hypotheca poſſidetur a debitore, requirit 40. annos, ſi poſſidetur a tertio, requirit cum titulo tempus longum, & abſque titulo longiſſimum, *l.* 7. §. 1. 2. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann. L* 12. *ff. ſi adverſ. cred. præſcriptio.*

34 Dico 16. Actionibus perſonalibus civilibus, ſive ſint perſecutoriæ, ſive pœnales, conſequenter & debitis, quæ per actiones exigi poterant, præſcribitur 30. & contra Eccleſias 40. annis, *l.* 1. *C. de Annali except. l.* 3. *&* 4. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann. c.* 4. *h. t.* ubi correctum eſt Jus antiquum, quod voluit eſſe perpetuas: hodie autem, quæ durant 30. annis, jam dicuntur perpetuæ. Excipe actionem redhibitoriam, quæ 6. menſibus, *l.* 19. §. *fin. ff. de Ædil. Edict.* Item actiones, jam ſemel deductas in Judicium per litis conteſtationem, quæ primum 40. annis finiuntur, *l.* 1. §. 1. *C. de ann. except.*

35 Dico 17. Actiones prætoriæ pœnales, uti & perſecutoriæ, quæ impugnant actum de Jure civili validum, uti eſt actio Pauliana, ſunt annales & extinguuntur lapſu unius anni, *pr. Inſt. de perpet.* & *temporal. act. l.* 35. *ff. de O.* & *A.* Actio doli autem, licet prætoria ſit & pœnalis, lapſu bienii finitur *l. ult. C. de dolo malo*, & actio furti manifeſti ad quadruplum eſt perpetua, ſeu durat 30. annis *pr. Inſt. cit.* uti & actiones prætoriæ rei perſecutoriæ, quæ non impugnant actum de Jure civili validum, uti quæ datur bonorum poſſeſſori; *pr. & l.* 35. *cit.*

36 Di-

36 Dico 18. Actionibus Criminalibus in ordine ad punitionem præſcribitur 20. annis. Communis DD. fundata in *l.12. C. ad L. Cornel. de falſis l. 3. ff. de requirend. vel abſent.* Excipe actionem injuriarum, quæ uno anno *l. 5. C. de injur.* actionem doli, quæ biennio *l.ult. cit.* accuſationem delictorum carnis, uti adulterii, ſtupri, inceſtus, lenocinii &c. item actionem peculatus, quæ quinquennio extinguuntur *l.29. §.5. ſeqq. ff. ad L.Jul. de adult. l. 7. ad L. Jul. peculatus.*

37 Dico 19. Res non aptæ præſcribi, ſeu non præſcribibiles, vel ſunt ex natura ſua, vel de jure poſitivo. Ex natura ſua præſcribi nequeunt, quæ non ſunt in commercio, vel a privatis, aut a certo genere hominum poſſideri ut propriæ non poſſunt *arg. §.1. inſt. de uſuc.* quales ſunt 1. Liber homo, ut fiat ſervus. 2. Res ſanctæ, h.e. quæ ſpeciali ſanctione defenduntur, & eximuntur a violatione hominum, uti Imperium Romano-Germanicum Corona, Sceptrum, Pomum Imperiale, & omnia jura Majeſtatis intrinſeca, uti ſupra dictum: portæ & muri civitatum. 3. Res publicis uſibus ſervientes, uti forum, plateæ, viæ publicæ, pontes, & fontes publici, maria, flumina, littora, ſcholæ, Curiæ &c. 4. Res univerſales, & communes, ab hæredibus & ſociis, quamdiu manent indiviſæ. 5. Jura ſpiritualia a Laicis per privilegium non habilitatis ad poſſidendum, uti jus eligendi Prælatum Eccleſiaſticum, jus decimandi necdum a Pontifice ſeparatum a titulo & officio ſpirituali. 6. Immunitas ab obedientia erga ſummum Pontificem. 7. Matrimonium carnale, ut impedimento dirimente laborantes evadant veri conjuges. 8. Res meræ facultatis, ſeu quando actus *meræ facultatis*, qui ni-

mi-

mirum ex mero arbitrio, vel cauſa amicitiæ, liberalitatis, familiaritatis, aut precario, citra ullam obligationem ponuntur vel omittuntur, interveniunt; ex his jam actibus vel omiſſionibus non poteſt naſci aliquod jus uni, aut obligatio, vel immunitas ab obligatione alteri, ut habet communis ex *l. 2. ff. de via publica & itin. c. Abbate 25. de V.S.* v.g. multis annis invitas alterum certo die ad convivium, vel accedis certam tabernam pro vino aut cereviſia: item multis annis non ædificas tuam domum altius: per hoc tamen alter non acquirit jus adverſus te, ut debeas invitare, vel ejus tabernam frequentare deinceps, nec contrahis obligationem altius non tollendi domum. Aliud foret, ſi aliquando omiſiſſes alterum invitare &c. & iſte prætendiſſet jus, ac tu ejus prætenſioni acquieviſſes; tunc enim alterum in quaſi-poſſeſſione conſtituiſſes, te vero in putatitia obligatione: ſed tunc tua invitatio non amplius foret meræ facultatis, ſed cum opinione obligationis, propter actum poſſeſſorium alterius cum opinione juris exercitum. Præterea ex actibus meræ facultatis, ut ſi diu acceſſiſti ad certam tabernam, molendinum &c. poteſt ſubinde oriri jus ex præſumptione obligationis, & alteri prætenſio juris exigendi: ſed præſumptio non eſt præſcriptio. *Objic.* Si creditor omittat exactionem ſolutionis, vel habens contra te actionem intra debitum tempus eam non intentet, vel habens jus præſentandi intra certum tempus neminem præſentet ad beneficium Eccleſiaſticum, contra hos præſcribitur, non obſtante, quod iſtæ omiſſiones ſint actus negativi meræ facultatis: ergo in rebus & actibus meræ facultatis locum habet præſcriptio. R. Iſta jura ſunt a juribus reſtricta ad certum tem-

pus,

pus, intra quod ſi non exerceantur, amittuntur ex diſpoſitione legum per viam præſcriptionis, & ideo, quamvis liberum & meræ facultatis ſit exigere ſolutionem, agere in judicio, præſentare vel non, ſpectando nudum factum exigendi, agendi, præſentandi, non tamen liberum & meræ facultatis eſt pro omni tempore hos actus exercere.

38 Dico 2o. Præſcribi de jure poſitivo nequeunt 1. limites manifeſti dioeceſium, Parochiarum, regionum. 2. Res Pupillorum durante pupillari ætate. 3. Jus conſecrandi, ubi intervenire debet ſacra unctio: item poteſtas conferendi Sacramenta Confirmationis & Ordinis; quia hæc ſunt reſervata Epiſcopis. 4. Omni viſitationi Eccleſiæ &c. a quocumque Prælato Eccleſiaſtico faciendæ. 5. Poteſtati exigendi procurationes pro tempore actualis viſitationis. 6. Res *vitioſæ*, ut vocantur res furto, vel per rapinam ablatæ. 7. Res alienari prohibitæ. Quæ omnia a DD. confirmantur adductis juribus. Interim de rebus *vitioſis*, & *alienari* prohibitis aliqua notanda ſunt. Res *vitioſæ* præſcribi quidem etiam a bonæ fidei poſſeſſore non poſſunt (niſi vitium prius fuerit purgatum) tempore ordinario §.2. & 3. *inſt. l.* 33. *pr. ff. de uſucap.* poſſunt tamen extraordinario 30. vel 40. annorum per *l.* 3. & 4. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann.* Purgatur autem vitium furti vel rapinæ, ſi res furtiva, vel vi poſſeſſa, in poteſtatem domini reverſa fuerit §.8. *inſt. l.* 4. §.6. *ff. de uſuc.* Unde, quia res mobiles dominis ſubtractæ vitio furti non raro infectæ ſunt, præſcriptio in mobilibus rarior eſt; dantur tamen exempla *in* §.4. *inſt. eod.* ut ſi hæres inveniat res defuncto commodatas, vel locatas, & credens eſſe hæreditarias, vendat; emptor

eas

eas poterit uſucapere. Dein fructus rei furtivæ cadunt etiam ſub præſcriptionem ordinariam triennii. Pariter res *alienari prohibitas* (nimirum ſine certa forma & conditionibus a jure præſcriptis, non abſolute) uti res immobiles Eccleſiarum, feudales, fideicommiſſo ſubjectæ, dotales, minorennium, præſcribi tempore extraordinario 30. vel 40. annorum poſſe verior habet ſententia. Ratio, quia in his rebus ſecundum jura locum abſolute habet præſcriptio *c.4. 6. h.t. 2. feud. 26. §.4. l.penult. §.3. C.commun. de legat. &c.* Sed raro vel nunquam haberet locum, ſi etiam extraordinaria eſſet prohibita; licet enim ſub nomine *alienationis* veniat etiam uſucapio *l.28. ff. de V.S.* Si tamen uſucapio habeat conditiones a jure requiſitas, valebit, ſicut valet alia dictarum rerum alienatio ſub forma & ſolemnitatibus a jure requiſitis. Si autem præſcribantur res fideicommiſſariæ, ſive ſint majoratus ſive primogenituræ, per talem præſcriptionem contra unum completam non præjudicatur remotioribus agnatis. De rebus feudalibus vid. *tit. ult. lib. 5. feud.* Dein præſcriptio rerum dotalium durante matrimonio inchoari nequit *l. 30. C. de jure dot.* *Objic.* Alienatio rerum Eccleſiaſticarum indebite facta *nec jus aliquod tribuit, nec præſcribendi etiam cauſam parat. c. 2. de reb. Eccleſ: non alien. in 6.* Reſp. Ibi eſt ſermo de caſu, quo uterque contrahens ſcienter omittit ſolemnitates juris, conſequenter etiam accipiens eſt in mala fide, propter quam, licet in hoc caſu poſſit eſſe ſine peccato injuſtitiæ, jus tamen noluit præſcriptionem procedere.

§. III.

§. III.

Contraria Præſcriptioni.

39 Hæc vel *præcedunt*, ac faciunt, ut præſcriptio non procedat, vel non inchoetur, uti eſt defectus bonæ fidei, tituli, poſſeſſionis &c. de quibus hucuſque: vel *ſuperveniunt* præſcriptioni jam cœptæ, ac impediunt ejus curſum, uti ſunt, quæ illam interrumpunt, aut dormire faciunt: vel completam *reſcindunt*, uti fere ſola eſt contra illam impetrata reſtitutio in integrum. *Dormire* dicitur præſcriptio, quando ſolum ſuſpenditur ejus curſus, ita ut remoto impedimento tempus præteritum computetur, & connectatur cum ſubſequente, deducto tantum illo tempore tanquam inutili, quo duravit impedimentum. *Interrumpi* autem, quando tempus præteritum nihil valet amplius, & præſcriptio de novo incipi debet: quod fieri poteſt dupliciter, naturaliter, & civiliter: *naturaliter* interrumpitur præſcriptio, quando poſt ejus inchoationem deficere incipit unum ex ejus ſubſtantialibus requiſitis, v. g. bona fides, vel civilis poſſeſſio: *civiliter* vero, quando intervenit actus judicialis, quo interpellatur præſcribens; quales ſunt citatio, litis conteſtatio, ſententia; tunc enim ſubtilitate juris fingitur deficere una ex neceſſariis conditionibus. Inter naturalem & Civilem interruptionem diſcrimen in effectu eſt 1. quod præſcriptio naturaliter interrupta ſtatim remoto impedimento rurſus inchoari poſſit: ſi vero interruptio fiat civiliter per litis conteſtationem, nova præſcriptio non ſtatim inchoari iterum poteſt, ſed primum poſt 40. annos a lite deſerta computandos,

l. ult.

l.ult. C.de præſc. 30 *vel* 40. *ann.* quia per litis conteſtationem actio fuit perpetuata, & huic prius præſcribi debet, antequam altera præſcriptio inchoetur. 2. Quod, ſi poſt litem motam feratur ſententiam in favorem poſſeſſionis ſeu præſcribentis, habeatur præſcriptio pro non interrupta, ac omne tempus, quod etiam intra moram judicii effluxit, computetur. Id quod etiam verum eſſe ajunt, quando partes ex pacto aut tranſactione a lite recedunt.

40 Dico 1. Præſcriptio dormit in ſequentibus contingentiis. 1. Reſpectu pupilli (ſi jam contra partem cœpta eſt) durante pupillari ætate; reſpectu minoris autem ita, ut durante ætate minorenni non currat niſi præſcriptio extraordinaria *l. 3. eod. l.3. C. quib. non objicitur*. 2. Reſpectu Eccleſiæ, quando vel caret Rectore, vel habet quidem Prælatum, ſed ob cenſuram, captivitatem &c. agere in judicio impeditum, vel quando vivit ille Prælatus adhuc, a quo fuit læſa *c.4.15. h.t. can.*10 *cauſ.16. q.*3. denique 3. reſpectu omnium tempore graſſantis belli aut peſtis, quo jus in tribunalibus non dicitur, & homines aufugiunt *c.* 10. *h. t.* & ibi DD.

41 Dico 2. Naturalis interruptio præſcriptionis inducitur ſuperveniente mala fide, reſoluto juſto titulo, & amiſſa poſſeſſione Civili *c.5. 19. eod. l.*44. *ff. de uſurp.*

42 Dico 3. Interruptio Civilis contingit in præſcriptione odioſa (quæ nempe eſt introducta in odium, res & jura ſua longiſſimo tempore negligentium cuſtodire, qualis eſt tantum extraordinaria longiſſimi temporis) ſpectato jure Civili per ſolam citationem. 2. In mixta, ſeu partim favorabili partim odioſa, qualis eſt præſcriptio longi temporis, per litis conteſtationem. 3. In mere favorabili, qualis eſt præſcri-

ſcriptio temporis brevis, nempe triennii, per ſolam ſententiam, eamque validam. Pars 1. ſumitur ex *l. 3. l. 7. pr. C. de præſcr. 30. vel 40. ann. & l. 3. C. de Annali except.* Ratio quia per ſolam conventionem & citationem judicialem jam ceſſat negligentia. Pars 2. ex *can. placuit 15. ff. poteſt. & ſeq. cauſ. 16. q. 3. l. 2. l. 10. C. de præſcript. longi temp.* Gonzal. ad *c. 8. h. t. n. 7.* Berlich. *p. 2. concl. 9. num. 24.* cum aliis. Pars 3. ex *l. 2. §. 21. ff. pro emptore l. 18. ff. de R. V.* quia nec per citationem, nec etiam per litis conteſtationem tollitur titulus & poſſeſſio præſcribentis. Dixi in prima parte, *ſpectato jure Civili*; utpote quod ultra lapſum temporis in præſcriptione extraordinaria nihil aliud requirit, adeoque nec bonam fidem, nec titulum. Si autem velimus, uti debemus, etiam attendere jus Canonicum, quod etiam in hac præſcriptione requirit bonam fidem, probabilius longe eſt, neque hanc extraordinariam, adeoque nullam præſcriptionem, civiliter interrumpi per ſolam citationem, ſed ſaltem opus eſſe litis conteſtationem, uti docent Abb. Ant. de Butr. Felin. Balb. Doctores Ingolſtadienſes & Lovanienſes in *quodam Conſilio n. 23. 24.* quod extat in *tom. 3. Reſponſorum diverſarum Academiarum loco 9.* Rauchbar, Coler. Berlich. *n. 44.* licet Lutherani &c. Probatur ex *can. placuit cit. v. ſi autem* ubi præſcriptionem longiſſimi temporis bona fide inſtructam gaudere dicit præſidio, quo gaudet præſcriptio longi temporis, ac reddit rationem, quia præſcriptiones cum bona fide *introductæ ſunt favore poſſidentis, & odio petentis; quia lex favet his, qui bona fide poſſident, odit autem & punit circa rem ſuam negligentes & deſides*, adeoque non mere ſunt odioſæ, ſed partim

tim etiam favorabiles, uti præſcriptiones longi temporis, & ſic nulla amplius datur præſcriptio mere odioſa poſt SS. Canones.

43 Quæres, an per actum extrajudicialem, v.g. per interpellationem, denuntiationem, inhibitionem, proteſtationem, vel etiam pignorationem, v. g per ablationem rei pro pignore, interrumpatur præſcriptio? R. Nec *naturaliter* interrumpitur; quia per hujuſmodi actum præſcribens non acquirit ſcientiam rei alienæ, vel ſe agere contra jus alterius, adeoque manet bona fides &c. Nec *civiliter l.* 13. *ff. pro emptore*; quia hæc vis nullibi tribuitur a jure actui extrajudiciali DD. communiter cum dicto Concilio Ingolſtad. & Lovan. *n.* 33. imo *l.* 13. *cit.* ei denegatur. Excipe 1. niſi interpellatus acquieſcat prohibitioni, &c. tunc enim admittit poſſeſſionem. 2. Niſi quis ita fuiſſet interpellatus exhibitis inſtrumentis &c. ut clare potuerit intelligere, rem non eſſe ſuam, vel ſibi nullum competere jus; tunc enim deficeret bona fides. 3. Niſi in pignoratione pignus tradatur Judici. 4. Niſi in caſu, quo poſſeſſor præſcribens propter abſentiam, potentiam, infantiam, furorem conveniri judicialiter nequit, denuntiatio fiat Præſidi, vel Epiſcopo, vel defenſori civitatis *l.* 2. *C. de annali except.* Videatur in meis *deciſionibus caſuum dec. LXIX.*

44 Dico 4. Quamquam Eccleſiis, minoribus, & quibuſdam majorennibus alias competat reſtitutio in integrum, ſi ſint notabiliter læſi *c.* 1 *ſeqq. de in integr. reſtit l.* 1. 2. 7. 8. *ff. de minor. l.* 1. 2. *&c. ff de in integr. reſt.* probabilius tamen nec Eccleſiæ, nec minores contra præſcriptionem in rebus immobilibus adverſus ſe completam reſtituuntur. 2. Uti nec majorennes, quibus alias competit in quibuſdam caſibus reſti-

ſtitutio, contra ullam præſcriptionem ex capite ſolius ignorantiæ. Pars 1. quam tenet *gloſ. in c.3. & Clem. un. eod.* P. Franc. Schmier *de Præſc. c.7. n.*43.48. cum aliis contra plurimos, praxim (cui, ubi ſufficienter probatur, nolim me opponere) pro ſe allegantes, probatur ex *l.ult. C. in quib. cauſ. in integr.* ubi exceptio 30. vel 40. annorum, quæ competit præſcriptionem extraordinariam allegantibus, in ſuo ſtatu permanere dicitur etiam contra minores, quibus jura antiqua contra temporales ſeu ordinarias præſcriptiones (tunc autem ſublatas) concedebant reſtitutionem in integrum. Item ex *l.3. & 4. C. de præſcr. 30. vel 40. ann. & c 6. h.t.* ubi muniti præſcriptione extraordinaria *pleniſſime* dicuntur *ſecuri, omni prorſus actione excluſa contra ſe*; quod verum non eſſet, ſi daretur beneficium reſtitutionis contra præſcriptionem extraordinariam: cum igitur contra minores non curat alia præſcriptio, quam extraordinaria *l. ult. cit.* uti & contra Eccleſias in rebus immobilibus *c.4.6.8. h.t.* ſequitur, ipſi nunquam competere reſtitutionem adverſus præſcriptionem in rebus immobilibus. Pars 2. quam defendit Fachin. Rath. Zœſ. & in decidendo ſæpius ſecuta eſt noſtra facultas, contra Felin. Bart. Gail. & alios non paucos, deſumitur inde, quod alias præſcriptio vix non penitus amitteret omnes ſuas vires, quod eſt contra intentionem juris, omnem ſecuritatem præſtantis præſcribentibus; quis enim, niſi ignorans, rem ſuam ab alio poſſideri, vel jus alteri non competens contra ſe exerceri, & ſic præſcribi patitur? ſi ergo ignorantia eſſet ſufficiens cauſa reſcindendi præſcriptionem, iſta fere nunquam eſſet firma, ac jura ſuo fine & intentione fruſtrarentur.

Objic.

Objic. 1. In *l. un. C. ſi adverſ. uſucap.* diſerte conceditur reſtitutio minoribus, ſi ipſorum res uſucapiantur. 2. In *Clem. un. de reſt. in integr.* Eccleſiis indulgetur reſtitutio contra lapſum temporis illimitate: ergo & contra omnem præſcriptionem, neceſſario conſiſtentem in lapſu temporis. 3. Illis, qui non poſſunt agere propter impedimentum; non currit tempus, conſequenter nec currit præſcriptio: ergo nec ignorantibus, ſaltem ita, ut reſtitutio, quam ſuadet æquitas, ipſis non detur. Reſp. ad 1. Illa lex eſt antiquata per *l. ult. cit.* ſeu intelligi debet de præſcriptione longi temporis, quæ in *d. l.* eſt abrogata; nam extraordinaria non venit nomine *uſucapionis*, quam vocem adhibet *l. un. cit.* Ad 2. per lapſum temporis ibi intelliguntur præſcriptiones temporales, quibus Eccleſia læditur vel in mobilibus, vel per actus Judiciales in judiciis. Ad 3. Si datur impedimentum juris ſeu a jure approbatum. *C. Antec.* ſi eſt impedimentum facti, uti ignorantia. *Neg. antec. & conſ.* Nec jura agnoſcunt ignorantiam pro impedimento præſcriptionis, uti late docui in meis *deciſionibus caſuum deciſ. XLI. q.* 3. nec æquitas ſuadet, ut in hac materia ſuccurratur ignorantibus; ſic enim præſcriptiones fere nunquam forent firmæ, conſequenter dominia rerum nunquam eſſent certa & litium non eſſet finis, cum maximo detrimento utilitatis publicæ.

TITULUS XXVII.

De ſententia, & re judicata.

SUMMARIUM.

1 2 *Quid ſit concluſio in cauſa, & quid operetur.*
3 *Quid, & quotuplex ſit ſententia.*
4 *Quæ requirantur ad ejus valorem.*
5 *Contra quem ſit ferenda.*
6 *Quid operetur ſententia.*
7 *Quando & quomodo tranſeat in remjudicatam tam interlocutoria, quam definitiva.*
8 *Quis ſit effectus rei judicatæ.*
9 10 *An habeat locumetiam in foro interno.*
11 *Quid ſit executio: a quo.*
12 13 *Et quomodo facienda.*
14 *Quando & an victus debeat condemnari in expenſas.*

1. POſtquam partes litigantes in judicio propoſuerunt ſuas ultro citroque probationes & exceptiones, *concludere in cauſa* vel ſponte ſolent, vel, ne lis nimium protrahatur, jubentur a Judice, h. e. renuntiare ulterioribus probationibus & allegationibus, & cauſam ſubmittere Judicis deciſioni. Id etiam conditionate & eventualiter, *niſi emerſerit aliquid novi*, fieri poteſt, & ab utraque parte concludi debet, ita tamen, ut Reo, ſi petit, detur copia proferendi ultimam ſcripturam, quia pati debuit, ut actor contra ſe proferret primam. Si una, vel utraque pars nollet concludere, poſt præfixi termini lapſum poſſet Judex cauſam pro concluſa ex officio acceptare per

auth.

auth. jubemus C. de Judic. concluſionem in cauſa ſequitur *ſententia*, qua Judex edicit, quid *ſentiat* de cauſa. Si a ſententia intra debitum tempus neutra pars appellet, cenſetur approbata, ac *tranſit in rem judicatam*, ſeu vocatur *res judicata*, vel *judicatum*: unde differt a ſententia tanquam effectus a cauſa: rem judicatam ſequitur *executio ſententiæ*, quæ eſt finis judicii.

2 Dico 1. Concluſio in cauſa operatur hoc, ut poſt illam nulla amplius a partibus admittatur regulariter probatio vel exceptio. Communis ex *c. 5. de cauſ. poſſeſſ. & propr. c. 9. de fid. inſtr.* Dixi 1. *a partibus*, nam Judex, ſi ei ita videbitur aut dubium oritur, etiam poſt illam poteſt ulterius inquirere, partes interrogare, inſtrumenta admittere: unde Judici nunquam concluditur in cauſa, uti nec Reo in Criminalibus majoribus, ubi agitur de vita & membris. Dixi 2. *regulariter*; niſi nempe aliquid emergat de novo, vel prius non cognitum, v.g. inſtrumentum, vel novi teſtes detegantur, modo allegans juret, id de novo emerſiſſe, vel primum ſibi innotuiſſe: vel niſi producatur Concilium Doctorum, v. g. alicujus juridicæ facultatis, aut allegetur jus; quod multi permittunt.

3 Dico 2. Sententia eſt pronuntiatio Judicis, continens deciſionem cauſæ controverſæ. Arnold. Rath *de ſent. th. 2.* Alia eſt *definitiva*, & proprie dicta, qua deciditur cauſa principalis, totique controverſiæ imponitur finis per condemnationem vel abſolutionem, & ſic terminatur prima inſtantia. Alia eſt *interlocutoria*, qua deciditur tantum aliquis articulus, & quæſtio incidens, ſed ſummarie tantum, ac inter initium & finem cauſæ principalis, quæ manet ſuſpenſa, v. g. quis litigantium probare de-

debeat, an teſtes ſint legales vel admittendi &c. Si interlocutoria non contingit cauſam principalem, eſt *mere talis*: ſi vero indirecte & oblique tangit cauſam principalem, & eam vel finit, vel periclitari facit, vel facit ceſſare officium Judicis: vel parit præjudicium, quod per definitivam, aut appellationem ab ea reparari non poſſit, dicitur *mixta*, vel *interlocutoria habens vim definitivæ*, ut ſi per interlocutoriam partes abſolvuntur ab obſervatione judicii: ſi pronuntiatur, appellationem eſſe deſertam, Judicem eſſe incompetentem &c. ſi defertur juramentum litis deciſorium: ſi admittitur exceptio peremptoria: ſi pars jubetur aliquid dare vel facere: ſi decernitur incarceratio, excommunicatio, vel aliud gravamen partis, quod trahit ſecum executionem. Diſcrimen inter definitivam & interlocutoriam mere talem præter alia eſt, quod illa a Judice ordinario, ſi valide eſt lata, revocari ſeu retractari regulariter non poſſit, bene tamen iſta, etſi ab ea appellatum eſſet *c. cum ceſſante 60. de appell.*

4 Dico 3. Ad valorem ſententiæ requiruntur variæ conditiones tam intrinſecæ quam extrinſecæ. *Intrinſecæ* ſunt 1. Ut ſententia ſit conformis juri *conſtitutionis* claro & certo, ſeu legibus, ut ſi Judex pronuntiaret, alienationem rerum Eccleſiæ immobilium ſine ſolemnitate factam valere, minorem non eſſe reſtituendum &c. non valeret ſententia. Procedit hoc etiam de ſententia conſuetudini, vel ſtatuto, de quo conſtat certo, contraria: ſi vero ſolum eſt contra jus partis, injuſta quidem, at invalida non eſt, & datur locus appellationi, uti ſi pronuntiet Judex, rem Eccleſiaſticam eſſe legitime alienatam, cum tamen non ita ſit. 2. Ut ſit conformis libello, ſeu non ſuper alia re, quam quæ fuit in libello petita, nec ex alia cauſa, quam ex

qua fuit petita: excipe cauſas criminales, in quibus accuſator non concludit ad certam pœnam item caſum, quo alicui committitur a Principe, ut *procedat ſola facti veritate inſpecta*. 3. Ut continuat formaliter vel virtualiter condemnationem aut abſolutionem. 4. Ut non ſit lata ſub conditione extrinſeca de futuro, v. g. condemnans, ſi Navis ex India adveniet; aut ſub conditione ad probationes ſpectante, v. g. ſi Judex ſic pronuntiet, *ego te condemno, ſi actor ſatis probabit per teſtes idoneos &c.* quia videtur eſſe lata ſine prævia cognitione, & contra juris ordinem, vi cujus probationes debent præcedere ſententiam. Interim tamen vi conſuetudinis valet & ſuſtinetur ſententia abſolutoria ſic concepta: *Reum abſolvo, niſi actor intra 2. vel 3. menſes intentionem ſuam melius, quam hucuſque, probaverit*. Ut non ſit notorie injuſta, aut ex inſtrumentis notorie falſis lata. 6. Ut non exprimat cauſam vel rationem motivam, quæ probatur eſſe falſa; quare conſultum non eſt, ut Judex cauſam ſuæ ſententiæ exprimat, ubi non tenetur, uti tenetur in appellatorio ad conſervandum honorem Judicis inferioris.

Conditiones *extrinſecæ* in judicio ordinario ſunt 1. Ut Judex ipſe ferat ſententiam, niſi ſit Epiſcopus, vel vi conſuetudinis Illuſtris, qui per alios recitari faciunt, imo hodie paſſim recitantur ſententiæ per Secretarios vel Syndicos. 2. Ut pronuntiet ſedens, & non ſtans &c. 3. Ut recitet ex ſcripto. 4. Ut promulget de die, non de nocte. 5. Non in die feriato. 6. Ut in loco debito judicii. 7. Ut præſentibus partibus, vel ſaltem legitime citatis ad eam audiendam. Ita DD. paſſim ex variis juribus, qui ſimul notant, conſuetudinem vel ſtatuta in

qui-

quibuſdam locis derogaſſe his conditionibus, ſaltem quibuſdam extrinſecis, item in Camera Imperiali, ac in Curia Romana nullas attendi Proceſſus nullitates, niſi Judex juriſdictione caruerit, vel pars ad ſtandum in judicio inhabilis fuerit, vel de meritis cauſæ non ſatis conſtiterit: quia nimirum ſuprema auctoritas defectum ſupplet ſolemnitatum.

5 Quæres, contra quem ferenda ſit ſententia? R. Contra eum, qui litem eſt conteſtatus. Proin ſi procurator conteſtatus eſt litem, in ipſum, non in principalem ferenda eſt *l. 1. C. de ſent. & interlocut.* De jure tamen Canonico tam in principalem quam in procuratorem ferri poteſt, ut erui putant ex *c. 6. de integr. reſt.* juncta *gl. v. monaſterium.* Excipiuntur cauſæ ſpirituales, & criminales, in quibus regulariter in ſolum principalem ferenda eſt. Vvieſtner *tit. de procur. n 61.*

6 Dico 4. Effectus ſententiæ definitivæ eſt 1. quod terminet officium Judicis, qui per eam deſinit eſſe Judex reſpectu talis cauſæ. 2. Litem finiat, uti & 3. jus faciat inter partes: ſed hæc duo operatur ſolum firmiter, ſi ſententia tranſeat in rem judicatam. 4. Quod condemnato propter delictum publicum, imo & propter privata furti, rapinæ, injuriæ, doli, item in contractibus depoſiti, mandati, tutelæ, & ſocietatis, ſi directe ex dolo actum eſt, irroget infamiam, niſi nempe Judex condemnato ſpecialiter reſervet famam, uti frequenter fieri ſolet.

7 Dico 5. Sententia (tam interlocutoria quam definitiva) tranſit in rem judicatam vel abſolute & irreſcindibiliter, vel conditionate & reſcindibiliter, ſi intra 10. dies a die habitæ de ſententia notitiæ neutra pars appellat *can. 28.*

cauſ. 2. *q.* 6. *c.* 32. *§. fin. de elect. c.* 13 *c.* 15. *h. t. auth. hodie cod. de appel.* quia partes præſumuntur ſua taciturnitate ſententiam approbare & confirmare. Excipitur tamen 1. ſententia invalida. 2. Lata in cauſis matrimonialibus, quando agitur de valore Matrimonii, & ubicumque obſervari ſine peccato non poteſt ſententia. 3. In Criminalibus ſaltem vi conſuetudinis. Et in his caſibus nunquam tranſit in rem judicatam. Si eſt lata ex juramento litis deciſorio neceſſario, aut ex probationibus privilegiatis & præſumptivis, ex concilio DD. vel peritorum in arte ſua, item ex inſtrumentis non notorie falſis, aut mota pretio; in his caſibus tranſit quidem, at non abſolute, in rem judicatam, ſed tantum, conditionate & reſcindibiliter; quia quando poſtmodum afferuntur contra ſententiam probationes certæ & convincentes, vel pars vincens confitetur ſibi jus non competiiſſe, aut detegitur falſitas inſtrumenti, vel Judicis corruptio, reſcindi *R* retractari poteſt ſententia, imo debet. Idem eſt, non quidem de jure *l.* 4. *C. de re jud.* ſed de praxi, ſi poſtmodum reperiantur nova inſtrumenta, modo producens juramento probet, ea ſibi antea fuiſſe incognita. *Retractatur* autem talis ſententia non per appellationem a Judice ſuperiore, ſed per *querelam* inique condemnati a priori Judice, qui cognita ſummarie juſtitia querelæ reſtituere in integrum debet querelantem.

8 Dico 6. Effectus rei judicatæ eſt 1. quod faciat jus inter partes litigantes, ac fundet præſumptionem juris & de jure, ut adeo non admittat probationem in contrarium, & lis, ſaltem via juris ordinaria, per ullum remedium reſuſcitari, aut ſententia retractari non valeat. 2. Quod ſententia pro actore lata producat

actio-

actionem Judicati, ſeu *in factum*, ad conſequendum id, quod ipſi adjudicatum eſt; lata autem pro Reo pariat exceptionem *rei judicatæ* contra actorem ejuſque hæredes, ne denuo conveniatur ſuper illo debito, a quo abſolutus eſt. Pars 1. conſtat ex *c.* 13. 15. 20. *h. t. l.* 25. *ff. de ſtatu hom. l.* 207. *ff. de R. J. l.* 4. *cod. de re jud. l.* 1. *cod. quando provoc. non eſt neceſſe*. Excipe tamen caſus, in quibus *n. præc.* non abſolute in rem judicatam tranſire diximus ſententiam. Retractari quoque poteſt ſententia contra Fiſcum & cauſam publicam lata, ſi reperiantur nova inſtrumenta *l.* 35. *ff. de re jud.* Idem extendunt ad cauſas minorum, pias, & alias favorabiles per *l.* 3. *C. de jur. Reipubl. lib. XI.* Pars 2. ex *l.* 6. *ff. de re jud. l.* 8. *C. de reb. cred. l.* 4. & 6. *ff. de except. rei jud.* Dixi in parte 1. *inter partes litigantes*; nam aliis regulariter nec prodeſt, nec obeſt ſententia vel res judicata *l. penult. ff. de re jud. l.* 1. 2. *C. quib. res jud. rubr. & t. t. C. inter alios acta &c.* Excipe, niſi tertius cauſam habeat a litigante, ut legatarius ab hærede condemnato: vel tertius, cui competebat actio vel defenſio primo loco, paſſus tamen eſt alium agere, cui id competebat tantum ſecundo loco: item niſi cauſæ ſint connexæ: aut ex jure condemnati pendeat jus tertii.

9 Quæres hic appoſite, an res judicata habeat quoque locum in foro conſcientiæ, ita ut per ſententiam, quæ tranſiit in rem judicatam, abſolutus a debito, illud abſque peccato non ſolvat, licet poſtea certo cognoſcat, ſe debitorem fuiſſe, vel, ſi actor fuit, ſibi jus non competiiſſe. R. cum P. Vvieſtner *h. n.* 95. & aliis ab ipſo allegatis contra Panorm. Innoc. Felin. &c. Probabilius affirmative, modo bona fide

litigaverit, putans ſe nihil debere &c. Prob. 1. ex legibus, quæ rei judicatæ tribuunt vim legis *l. 38. ff. de legib.* illam habent pro veritate *l. 207. ff. de R. J.* aſſerunt, quod jus faciat inter partes litigantes *c. 13. h t.* ibi: *quantum ad litigantes ipſos, jus ex ſententia factum eſt, poſtquam in rem tranſiit judicatam, etiamſi contra jus litigatoris lata fuiſſet, cum contractus conſtitutionis expreſſe lata non fuerit.* Sed leges, & veritas, in foro quoque conſcientiæ vim habent, nec jus dici poteſt, quo quis abſque peccato & injuria alterius uti non poteſt: ergo. Prob. 2. Ex paritate cum præſcriptione; nam per hanc ita obtinetur dominium rei alienæ, ut hæc retineri bona conſcientia poſſit, licet poſt completam bona fide præſcriptionem innoteſcat, rem fuiſſe alienam, ut docent communiter, & nos ſupra *tit. de præſcr. n. 7.* ergo etiam ita acquiritur dominium rei alienæ, vel liberatio a debito per rem judicatam; ut nimirum finiantur lites, & dominia rerum evadant certa &c. propter quas cauſas, bonum publicum ſpectantes, potuerunt ac voluerunt jura tantam vim tribuere præſcriptioni.

10 *Obj.* 1. Sententia Judicis fundatur in præſumptione, quod vincens habuerit juſtam cauſam, & meliorem, imo & ipſæ leges, tantam vim tribuentes rei judicatæ; fundatur in præſumptione hujuſmodi, quod ſententia ſit juſte lata *c. 13. cit. in fin.* Sed præſumptio debet cedere veritati, poſtmodum cognitæ *l. 24. 25. ff. de prob.* præſertim in foro conſcientiæ, ubi præciſe attenditur veritas. 2. In *l. 28. & 60. ff. de condit. indeb.* habetur, quod verus debitor, etſi in judicio fuerit abſolutus, repetere nequeat ſolutum, quia *natura debitor permanet:* ſed obligationem naturalem conſcientiæ tollere ne-

nequit ſententia & res judicata. 3. In *l.* 17. §. *ult. ff. commod.* permittitur repetitio ſolutionis, ſi res commodata, quæ credebatur amiſſa, ac propterea pretium pro ea ſolutum eſt; poſtea rurſus fuit inventa: ergo nec res judicata liberat ab obligatione ſolvendi, ſi poſtea deprehenditur, ſententiam fuiſſe injuſtam, quæ prius credebatur juſta. R. ad 1. Quamvis ipſa ſententia fundetur in præſumpta juſtitia & meritis cauſæ, imo & res judicata; firmitas tamen ſententiæ, & leges, tantam rei judicatæ vim tribuentes, non fundantur in præſumptione falſa juſtitiæ in caſu particulari, ſed in bono publico, cujus intereſt, & magis expedit, res judicatas eſſe firmas, quam juſtas. Ad 2. In *l.* 28. *cit.* eſt ſermo de eo, qui abſolutus ſponte ſolvit. In *l.* 60. de illo, qui conſcius debiti mala fide ligavit: & apud hujuſmodi noluerunt leges rei judicatæ tollere obligationem naturalem, ſicut nec leges præſcriptionis volunt malæ fidei poſſeſſores facere ſecuros in conſcientia. Quod autem alios faciant leges rei judicatæ ſecuros in conſcientia, patet etiam ex *l.* 1. *C. de condit. indeb.* ubi a contrario eruitur, repetitionem pecuniæ ex cauſa judicati ſolutæ non dari; quia, ubi ſolutum repeti non poteſt, accipiens non obligatur naturaliter reddere *l.* 10. *ff. de O. & A.* Ad 3. Si veſtis commodata, quæ credebatur amiſſa, iterum venit in poteſtatem commodantis, qui pro ea accepit pretium, utique iſte tenetur naturaliter reddere pretium: cum alias haberet rem & pretium ſimul, quod leges rei judicatę non volunt. Dein argumentum probaret nimium, quia probaret, nec in foro externo rem judicatam habere locum; quia in caſu legis 17. *citat*, datur etiam actio pro foro externo;

nempe *condictio ſine cauſa*, ut commodans reddat pretium.

11 Dico 7. Executio (quæ eſt *actus Judicialis*, *quo vere & realiter præſtatur victori*, *quod ipſi verbaliter adjudicatum eſt per ſententiam*, adeoque eſt complementum judicii) ubi locum habet, facienda eſt a Judice, qui tulit ſententiam, etiam in appellatorio, ſi Judex ſuperior reformavit ſententiam inferioris, & aliam tulit *l.*15.*ff. de re judic.c.*5.7 9. *de offic. Jud. deleg*. Dixi 1. *ubi habet locum*, nam ſententia *abſolutoria* non indiget executione; cum Reus, qui abſolutus eſt, jam habeat, ſuper quo litigatum eſt, & poſthac tutus ſit exceptione rei judicatæ. Dixi 2. *etiam in appellatorio*, *ſi &c.* nam caſu, quo Judex *ad quem*, ſeu ſuperior, directe & expreſſe confirmavit ſententiam Judicis *a quo*, nempe prioris, probabilius quidem pertinet quoque ad eundem Judicem ſuperiorem executio per *auth. ſiquis. C. de Epiſc. aud.* quia juriſdictio per appellationem devoluta eſt a Judice primæ inſtantiæ ad Judicem ſecundæ inſtantiæ: ſi vero ſolum indirecte & tacite confirmavit, v.g. pronuntiando, appellationem eſſe deſertam, fatalia eſſe præterlapſa executio pertinet ad Judicem *a quo* per *l ult.* §.4. *C. de tempor. appel.*

12 Dico 8. ut executio rite fiat, debet attendi, an actio realis ſit inſtituta, vel perſonalis. Si realis, ſtatim eſt facienda, poſtquam ſententia tranſiit in rem judicatam: quia res clamat ad dominum: ſi *perſonalis*, condemnato conceduntur de jure 4. menſes ad ſolvendum *l.*2. *ſeq C. de uſur. rei jud. c.*26. *de offic. deleg.* qui tamen terminus hodie fere ubique *eſt* arbitrarius. Lauterbach. *ad ff. tit. de re jud.* §. 34. *ex l.*2. *ff. eod.* Præterea in *actione reali* (uti & per-

perſonali, qua ſpecies vel certa res petitur) executio facienda eſt in rem ipſam, ſi exiſtat: ſi non extet, vel debitor in actione perſonali ad nullam rem determinate ſit condemnatus, vel non ſit ſolvendo in pecuniis, ordo iſte ſervari debet; primo enim executio fieri debet in bona ejus mobilia, dein in immobilia, demum, ſi nec iſta ſufficient ad expungendum debitum, in jura & nomina ſeu jura incorporalia, ſemper tamen prius in minus pretioſa & viliora per *l.15. §2. ff. de re jud.* relictis quoque debitori valde neceſſariis, uti ſunt veſtes, & ſuppellex ad uſum quotidianum neceſſaria, inſtrumenta agriculturæ & boves aratorii, ſtipendia & arma militum, libri ſtudioſorum *arg. l.7. C. quæ res pignor. & l.4. C. de execut. rei jud.* niſi hæc ſint ſpecialiter debita, aut alia bona deficiant. Roſbach *in proceſſ. civ. tit. ult. n.11.* Si Reus nihil omnino habeat in bonis, & ex culpa non ſit ſolvendo, mancipatur carceri, vel condemnatur ad labores publicos, juxta illud: *qui non habet in ære, luat in cute.* Quodſi debitus hic ordo, & modus, in executione non obſervetur, ab eodem appellatio conceditur, alias non permiſſa in executione *l.5. cod. quorum appell. non recip.*

13 Quæres, quid faciendum, ſi Judex, cujus eſt exequi, vel propter impotentiam cogere condemnatum nequeat, & executionem facere? vel ſi res aut perſona, in quam facienda eſt executio, ſit extra territorium Judicis, qui ſententiam tulit? R. in utroque caſu requiri poſſe alium Judicem: in *poſteriori* quidem per litteras *ſubſidiales*, vel *mutui compaſſus*, ut vocant, ut Judex illius loci faciat executionem per *c.1. de for. comp. & l.13. §.3. cod. de Judic.* quod quidem facile impetrabitur, ſi Judex requiſitus ſub eodem ſit

Principe vel ditione; difficilius autem, ſi ſub diverſo ſit Principe; unde actori melius eſt, ſi actionem inſtituat, caſu quo cauſa realis agitur, in loco rei ſitæ, quia in hoc eſt expedita & parata executio; *in priori* autem caſu requiri poteſt ab alio Judice, ut vel *familiam* accommodet, nempe lictores, vel milites, quibus ille, qui ſententiam tulit, caret, per quos dein ipſe exequatur: vel ut *brachium* præſtet, & Judex requiſitus exequatur: ſic Judex Eccleſiaſticus implorare poteſt brachium ſæculare a Sæculari, qui illud omnino præſtare, & ſine nova cauſæ cognitione exequi tenetur *l. 8. C. de Epiſc. aud. & c. 1. de offic. ordin.* atque ad id cogi per cenſuras poteſt ab Eccleſiaſtico *c. 1. cit.* & ibi Panormit. *n. 10. ſeqq.*

14 Petes, an Judex ferens ſententiam debeat victum victori condemnare in expenſas? R. Si victus temere litigavit, h. e. cauſam litigandi probabilem non habuit (de qua arbitrari ſpectat ad Judicem) tenetur, ita ut alias litem faciat ſuam, ſeu expenſas de ſuo debeat reſarcire §. 1 *inſt. de pœn. temp. litig. l. 13. §. 6. C. de Judic. c. 4. de pœnis* ſi tamen victor in libello vel poſtea petiit expenſas (idem eſt de fructibus rei litigioſæ, intereſſe, ac damnis propter rem deſtructam aut deterioratam) vel expreſſis verbis vel per clauſulam generalem, v. g. dicendo, *ſuper his omnibus peto mihi jus dici, & Juſtitiam adminiſtrari omni meliori modo, quo de jure fieri poteſt, implorando deſuper nobile officium Judicis.* Si hoc non petiit, poteſt quidem Judex, at non tenetur, ad expenſas & fructus condemnare exceptis fructibus poſt litem conteſtatam provenientibus; hos enim victori adjudicare debet etiam non requiſitus, quia videntur una cum re litigioſa in judicium

de-

deducti *t. t. C. de fructib. & lit. expenſ.* Poſtquam vero Judex condemnavit in expenſis, earum deſignationem exhibet victor, a Judice communicandam victo ad excipiendum, tum Judex eas moderatur, victor autem jurat, quod tanti ſua interſit, quanti Judex per moderationem æſtimavit. Sermo autem eſt de expenſis *neceſſariis* propter litem factis, v.g. in Advocatos, Procuratores, Notarios, Teſtes, Apparitores &c. Item de expenſis *contumaciæ* ob litem male retardatam cauſatis: non de *voluntariis*, quæ fiunt in litem non neceſſario, uti ſumptus itineris ſolito majores, honoraria in Advocatos, &c.

TITULUS XXVIII.

De appellationibus, recuſationibus, & relationibus.

SUMMARIUM.

1 5 *Quid ſit appellatio. Judex a quo &c.*
2 *Quid recuſatio: quando & ubi proponenda.*
3 *Quid relatio: & quis ejus uſus.*
4 *Quid remedium nullitatis: quomodo & quando proponendum.*
6 *Quando, ubi, quomodo, & ad quem interponenda appellatio.*
7 8 *Quis, a quo, in qua cauſa, & a qua ſententia appellare poſſit.*
9 *Effectus appellationis eſt duplex.*
10 *Fatalia appellationis interponendæ, petendi Apoſtolos, introducendæ & proſequendæ appellationis.*
11 12 *Quid ſit ſupplicatio, & reverſio: quid circa eas notandum.*

1 Contra prolatam ſententiam dantur varia juris vel conſuetudinis remedia. Si ſententia eſt invalida, datur *remedium nullitatis*: ſi injuſta, *appellatio*, qua provocatur ad Judicem ſuperiorem, & inchoatur ſecunda inſtantia: Judex primæ inſtantiæ vocatur *Judex a quo*, Superior autem & ſecundæ inſtantiæ *Judex ad quem*, vel Judex *appellationis*, *aut appellatus*. Loco appellationis deficientis conceditur *ſupplicatio* ad Superiorem, vel *reviſio* Actorum. Quia vero aliquid appellationi ſimile habent *recuſatio* & *relatio*, cum utraque juriſdictionem Judicis ſuſpendat, etiam ſub hac rubrica ponuntur: ſed quia locum habent jam ante cœptam litem, vel ſaltem ante ſententiam, prius de his breviter diſſeremus. Proin

2 Dico 1. *Recuſatio* eſt declinatio Judicis tanquam ſuſpecti quæſita ex juſta cauſa, v. g. quod recuſanti ſit inimicus, vel adverſario ſpecialiter familiaris, addictus, conſanguineus, affinis vel in cauſa habeat intereſſe, &c. Sumitur ex *l. 16. C. de Judic. c. 39. de offic. deleg.* Proponenda eſt intra 20. dies ab oblato libello; & ante litis conteſtationem vel alium actum judicialem, recuſari de jure Canonico poteſt tam ordinarius Judex, quam delegatus *c. 4. de for. comp. & c. 39. cit.* De jure Civili autem ſolum delegatus *l. 16. & fin. C. de Judic.* Si vero Judex ordinarius ſit ſuſpectus, juxta multos non omnino recuſari poteſt de jure civili, ſed Epiſcopus juxta *auth. Si vero C. eod.* vel vi conſuetudinis alius Judex ipſi adjungendus eſt: juxta alios autem etiam de jure Civili non improbabiliter recuſatio ordinarii habet locum per *d. l. 16. & l. 4. C. de juriſdict.* In praxi forum Civile ſequitur jus Canonicum. D. a Vvidmont *ad ff. tit. de Judic. n. 103.* Totum vero

ro Collegium vel integer Senatus ordinarie recuſari nequit, cum cauſa ſuſpicionis contra omnes de Senatu haud facile præſumi aut probari poſſit. Si cauſa ſuſpicionis eſt dubia, ſpectato Jure cognoſcunt arbitri ab utraque parte eligendi, *c.* 39. & *l. fin. citt. c.* 61. *x.* & *c.* 2 *in* 6. *h. t.* vel delegans, ſi recuſetur Judex Delegatus, vel Epiſcopus, ſi recuſetur ejus Vicarius, *c.* 4. *de off. deleg. in* 6. Si recuſetur Judex Laicus de cauſa pleriſque in locis ſolet cognoſcere Judex ſuperior teſte D. Herz *de Magiſtrat. l.* 2. *c.* 1. *tit.* 2. *n.* 22.

3 Dico 2. *Relatio*, prout hic ſumitur, eſt conſultatio inferioris Judicis, in cauſa dubitantis de Jure, cum conſenſu utriuſque partis ad Summum Principem miſſa, quem interrogat, quid in ea judicandum, & per ſententiam decidendum ſit, *l.* 1. *C. de relat. c.* 68. *h. t.* Relationum uſus olim fuit frequens, & utriuſque Juris corpus plenum eſt reſcriptis ad hujuſmodi conſultationes datis. De Jure civili autem hodie eſt abrogatus, *nov.* 125. de Jure canonico autem adhuc eſt permiſſus, licet ſit rariſſimus. Interim in utroque foro relationum loco frequentiſſime in cauſis dubiis interrogantur Juriſperiti, & Facultates Juridicæ, a quibus dum expectatur reſponſum vel conſilium, ſuſpenſa manet juriſdictio Judicis, & nihil innovari poteſt.

4 Dico 3. *Remedium*, vel *querela nullitatis*, eſt imploratio ſuper vitio, ex quo quis petit ſententiam pronuntiari vel declarari ut ipſo Jure nullam, per *l.* 1. *C. de execut. rei jud.* proponi poteſt vel coram Judice ſuperiore, per *l.* 1. *C. de ſent. ex brevic. recit.* quod conſultius & frequentius eſt teſte Lauterbach: vel coram Judice, qui ſententiam tulit, ſi ordinarius ſit; ſi

enim

enim eſſet delegatus non ſupremi Judicis ad cauſam particularem, deſineret eſſe Judex in tali cauſa, utpote per ſententiam, etiam nullam, functus officio ſuo, proin delegans adeundus foret. Dein proponi poteſt vel *principaliter* & abſque alio remedio: vel *incidenter & cumulatim* cum appellatione, nimirum disjunctive, v. g. dicendo, ſententiam eſſe nullam, vel ſaltem injuſtam; quod poſterius eſt magis conſultum; quia arguens ſententiam nullitatis incidenter ſeu cumulatim, ſi in probatione nullitatis deficiat, habet recurſum ad appellationem; item ſuſpendit ſemper executionem ſententiæ propter conjunctam appellationem: principaliter vero & unice ſententiam arguens nullitatis non habet amplius recurſum ad appellationem neque ſuſpendit executionem. *Clem.* 1. *de ſent. & re jud.* niſi nullitas ſit notoria, aut manifeſte probata. *Clem. cit.* Demum adverte, quod querela nullitatis, ſi principaliter & ſine appellatione accipiatur, duret 30. annis, ut habet communis ex *l.* 3. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann.* In Camera tamen Imperiali juxta *Receſſ. Imper. de anno* 1654. §. 121. *ſeq.* debet proponi intra 10. dies, ſicut appellatio, niſi nullitas ſit *inſanabilis*, ut appellant, quæ nimirum provenit ex perſona Judicis, vel ex illegalitate litigantium, vel ex defectu ſubſtantialium proceſſus.

5 Dico 4. *Appellatio* Judicialis eſt provocatio ab inferiori ad ſuperiorem Judicem ratione gravaminis per ſententiam, vel actum judicialem illati vel inferendi, rite facta. Text. & DD. in *l.* 21. *&c. ff l.* 1. *ſeqq. l.* 32. *C. c.* 17. *ſeqq. h. t.* Finis ergo appellationis eſt, ut Judex ſuperior, qui proin juriſdictione in cauſa, & in ipſum Judicem inferiorem, præditus eſſe debet, trutinatis cauſæ meritis gravamen tollat. Dixi 1.

Judi-

Judicialis; ſi enim provocetur ad ſuperiorem ab actibus extrajudicialibus, quibus aliquis ſe gravatum queritur vel gravandum timet ſeu a parte, ſeu a Judice, extra Judicium, v. g. ſi quis electionem aut collationem beneficii factam vel faciendam indigno impugnat, ſi quis ſuſpicatur ſibi imminere incarcerationem, excommunicationem &c. vocatur *Extrajudicialis*, & eſt impropria, ac potius eſt *provocatio ad cauſam* Superiori deferendam *c. 5. eod.* Dixi 2. *rite facta*, ſi nempe ſervetur tempus, locus, forma, ſubordinatio. Unde

6 Dico 5. Appellatio hodie interponi debet intra decendium (ſeu 10. dies) quod initio eſt utile, in decurſu continuum. In Bavaria conceduntur 90. dies juxta decretum Electorale de 28. Novemb. 1647. 2. coram Judice a quo, 3. viva voce, vel ſcripto, 4. gradatim, h. e. ad immediatum ſuperiorem Judicem in eodem foro, eccleſiaſtico aut ſæculari, in quo litigatum in prima inſtantia. Pars 1. habetur in *Auth. hodie C. h. t.* igitur ignoranti gravamen non incipit currere decendium; habita vero ſcientia currit etiam diebus feriatis, *l. 1. §. 7. & ult. ff. quando appell. l. 1. C. de feriis*, ſi autem gravamen foret permanens, & tractum haberet ſucceſſivum, ut v. g. incarceratio, ſuſpenſio &c. non inciperet currere decendium, antequam Judex pronuntiaverit, gravamen eſſe juſtum. Pars 2. in *c. 59. & fin. h. t. l. 1. §. 10. ff. quando appell.* (In Bavaria debet appellatio proponi coram Judice *ad quem* deductis gravaminibus &c. D. a Vvidmont *tit. ff. quando appell. n. 8.*) non tamen eſt neceſſe, ut tum Judex *a quo* ſedeat pro tribunali. Si tamen copia Judicis *a quo* haberi non poſſet, Judex *ad quem* adeundus foret, & ibi proponenda appellatio, *l. 1. §. 10.*

cit.

cit. & l. 19. C. h. t. modo id poſtea intimetur Judici *a quo*, ne porro ſe immiſceat tali cauſæ. Si vero neutrius Judicis copia haberi poſſit, ſufficit appellare, in ſcriptis tamen, coram Notario, aut aliis viris honeſtis, *c. fin. cit. l. 7. ff. h. t.* Idem eſſe ajunt, ſi appellare volens non audet ob gravem metum adire alterutrum Judicem. Pars 3. in l. 2. *& 5. ff. l. 6. §. 5. l. 14. C. h. t.* Viva voce fieri poteſt, ſi appellatio in continenti, h. e. Judice adhuc pro tribunali ſedente, vel ad alios extraneos actus nondum digreſſo, vel, ut ajunt, *ſtante pede* interponatur, v. g. per verbum *appello*, vel per alia: in ſcripto autem, quod vocant *libellum appellatorium*, appellari debet, quando poſt aliquod a prolata ſententia intervallum interponitur, *l. 5. cit. c. 34. h. t.* uti & quoties appellatur a ſententia interlocutoria ſimplici, aut extrajudiciali gravamine, *c. 1. eod. in 6.* Pariter in appellatione ab interlocutoria ſimplici (quæ tamen ſpectato Jure ſcripto vix hodie locum habet) neceſſe eſt exprimere in ſcripto cauſam gravaminis ſpecificam, propter quam ſe gravatum credit appellans, niſi procedatur ſummarie, uti & in appellatione extrajudiciali. Maranta *tit. de appell. a n. 153.* In appellatione autem a definitiva, vel interlocutoria vim definitivæ habente, etſi fiat in ſcriptis, non eſt neceſſe exprimere cauſam gravaminis, ſed ſufficit dicere, ſe eſſe gravatum, vel ſe appellare, *c. 1. & l. 2. & 5. cit.*

Pars 4. in *c. 66. X. & c. 3. §. 1. in 6. h. t. l. 21. ff. l. 32. C. eod.* Si in foro eccleſiaſtico debet ab inferiori Judice appellari ad Epiſcopum, ab hoc ad Archiepiſcopum, ab iſto ad Patriarcham, vel Legatum Papæ, ac denique ad ipſum Papam. Excipe 1. cauſas ſpirituales & eccleſiaſticas, in quibus licet immediate appellare ad Pa-

pam vel ad Nuntium Apoſtolicum, *c.7.c.52.h.t.* *c.1. de off. Legati*, 2. caſum, quo ille, contra quem appellatur, eſt exemptus, vel immediate ſubjectus Pontifici, 3. caſum, quo immediatus Superior eſt aperte inhabilis, v.g. excommunicatns, notorie ſuſpectus &c. 4. caſum, quo ille, contra quem appellatur, non excipit contra appellationem ad Superiorem mediatum factam, 5. caſum, quo fit appellatio a Judice delegato; tunc enim appellandum eſt ad delegantem.

7 Dico 6. Appellare regulariter poteſt quilibet gravamen paſſus, 2. a quolibet Judice. 3. In qualibet cauſa, 4. a qualibet ſententia valida. *Regulariter*, inquam, omnia enim membra patiuntur ſuas limitationes. *Primum* probatur ex *l.1.4.5. ff. h.t.* & ex ratione, quia appellatio habet rationem defenſionis, quæ omnibus debet eſſe permiſſa. Excipiuntur, qui tacite vel expreſſe renuntiarunt appellationi, aut ſententiam permiſerunt tranſire in rem judicatam: formaliter contumaces, h. e. qui peremptorie citati aperte dixerunt, ſe nolle venire, & ſic formaliter contempſerunt Judicem, ac ut contumaces condemnati ſunt: qui in eadem cauſa tres conformes contra ſe ſententias tulit: judicialiter confeſſus, vel convictus; quia in notoriis non poteſt eſſe juſta defenſio: quia ſpecialiter prohibitus eſt appellare. Addidi, *gravamen paſſus*, adeoque non tantum appellare permittitur pars litigans, & ejus Procurator, ſed etiam alii, quorum intereſt, uti conſortes litis, ſucceſſor in lite, parentes pro liberis, dominus pro ſubditis, maritus pro uxore, cohæres pro cohærede, tutor pro pupillo, fideiceſſor pro eo, qui fidejuſſit &c. *Secundum* patet ex priore. Appellatio tamen non procedit a vel contra Principem ſupremum, ejuſque Summum Dicaſterium, nempe

con-

contra Papam aut Concilium Generale unitum Papæ, a Papa ad Concilium Generale, a Vicario ad Epiſcopum, ab Imperatore, vel Rege, aut a Camera Imperiali ad Cæſarem, a Præfectis Comitum ad ipſos Comites; quia eſt idem tribunal: ab iis, a quibus propter ſpeciale privilegium non permittitur appellatio; quales ſunt electores juxta Bullam Auream. *Tertium* ex *c. 5. 12. h. t. & Clem. 3. eod. l. 6. & 20. C. eod.* Excipiuntur cauſæ criminales, præſertim capitales, cauſæ civiles valde modicæ vi praxis; & ſecundum Receſſ. Imper. in Camera, niſi agatur ſaltem de ſumma 15. florenorum Rhenenſium, ac a Judicio Statuum Imperii ad Cameram, niſi ſumma aſcendat ad 400. thaleros: cauſæ & delicta notoria, vel in quibus Judex pronuntiavit ſecundum Jus manifeſtum, vel dictavit pęnam clare in Jure determinatam: cauſæ dilationem non patientes in ordine ad effectum ſuſpenſionis: cauſa poſſeſſionis momentaneæ: cauſæ per juramentum voluntarium deciſæ: atque cauſa appellationis jam declaratæ pro deſerta: cauſa correctionis, quam Prælatus eccleſiaſticus ſecundum SS. Canones, vel Regulas Ordinis, decrevit in ſubditos Clericos vel Religioſos; executio ſententiæ, niſi excedatur modus: cauſa, quæ alicui committitur cum clauſula, ut procedatur *remota appellatione:* demum cauſa cenſuræ jam latæ in ordine ad effectum ſuſpenſionis. *Quartum* membrum ex *c. 5. 11. 12. & c. h. t.* ubi permittitur appellatio tam ſententia definitiva quam interlocutoria. Interim hodie juxta Trident. *ſeſſ.* 13. *c.* 1. & *ſeſſ.* 24. *c.* 20. *de reformat.* appellare non amplius licet ab interlocutoria ſimplici, niſi nempe vim definitivæ habeat, vel præjudicium inferat non reparabile per appellationem a definitiva. Concor-

cordare videtur Jus civile in *l. 7. C. quorum appell. non recip.* Unde, quotieſcumque juxta dicta non datur appellatio a definitiva, toties appellare licet ab interlocutoria. Addidi in quarto membro, *a ſententia valida*; nam ſi ſententia eſt nulla, non appellatio, ſed remedium nullitatis locum habet: Sed juxta *Receſſum Imperii de anno* 1654. §. 115. appellari quoque poteſt a ſententia invalida, niſi nullitas ſit inſanabilis.

8 *Objic.* 1. Appellatio, cum ſit defenſio, eſt Juris naturalis: ergo negari in caſibus prædictis non poteſt. 2. Si appellare non liceat, ubi reperitur clauſula de procedendo *remota appellatione*, quam quidem ſolus Summus Princeps ſuæ delegationi apponere poteſt, vel prohibetur appellatio juſta, & hoc eſt iniquum & contra jus naturalis defenſionis: vel frivola & fruſtratoria, ſine juſta cauſa & præciſe ad vexandam alteram partem, & ad protelandam cauſam interpoſita, & hæc aliunde jam eſt prohibita Jure poſitivo & naturali: ergo per dictam clauſulam nulla prohibetur appellatio. R. ad 1. *diſt. ant.* ſumpta materialiter & quoad ſubſtantiam eſt Juris naturalis, *c. ant.* formaliter ſumpta, & quatenus eſt remedium ſe defendendi certo modo, & juxta præſcriptum legum humanarum, *n. ant. & conſ.* quamvis enim iſte modus ſe defendendi negetur ſubinde, non tamen hoc ipſo negatur omnis defenſio Jure naturali permiſſa; dantur enim adhuc alia media ſe defendendi, v. g. remedium nullitatis, ſupplicatio, reviſio, recuſatio, &c. Ad 2. probabilius prohibetur appellatio alias juſta, ſed tantum formaliter ſumpta, relictis interim aliis remediis, querela nullitatis, querela protractæ vel denegatæ juſtitiæ, petitione reviſionis &c. quarum aliqua ſem-

per

per manet ſalva, ubi reperitur injuſtum gravamen. Dein per dictam clauſulam non removetur appellatio, cui adjicitur probabilis cauſæ gravaminis in ſcripto, aut quando gravamen eſt notorium: neque negatur appellatio quoad effectum devolutivum, ſed ſolum quoad ſuſpenſivum, uti DD. notant. Siquidem.

9 Dico 7. Effectus appellationis rite factæ a definitiva eſt duplex, *ſuſpenſivus*, dum ſuſpendit executionem ſententiæ, & juriſdictionem Judicis *a quo c.* 39. 55. *h. t. l.* 3. *C. eod.* itaut circa cauſam nihil amplius attentari ab ipſo vel a parte poſſit, & ſiquid attentatum, innovatum, vel factum fuerit, tanquam nulliter actum *remedio attentatum* revocari poſſit, & caſſari debeat: dein *devolutivus*, conſiſtens in eo, quod tota cauſa, ejuſque cognitio devolvatur ad Judicem ſuperiorem, cui tribuitur poteſtas priorem ſententiam vel confirmandi, vel reformandi, vel novam ferendi, *c.* 55. 59. *l.* 6. §. 1. *C. eod.* Effectum *devolutivum* parit omnis appellatio non frivola, *c.* 55. *cit.* non tamen ſemper *ſuſpenſivum*, uti in cauſis, in quibus Jura concedunt *paratam executionem*, quales ſunt cauſa dotis, mercedis, alimentorum, cauſæ piæ, & aliæ, quæ celeritatem exigunt, item cauſa cenſurarum jam latarum, item caſus, in quibus de Jure (vel propter clauſulam *appellatione remota*) appellare non licet, conceſſum tamen eſt ex ſpeciali gratia Principis, ac demum cauſæ notoriæ.

10 Quæres, quænam ſint fatalia appellationum? R. 1. *Fatalia* (quæ nihil ſunt aliud, quam tempora a Jure determinata, intra quæ inchoari & finiri debet cauſa appellationis; quod, ſi non contingat ceſſante impedimento, appellatio fit *deſerta*, & quaſi *fato* extincta). ſunt in quadru-

druplici claſſe, nempe 1. fatalia *interponendæ* appellationis, quæ 10. diebus abſolvuntur, intra quos appellandum eſſe jam diximus, 2. petendi & concedendi *Apoſtolos*, 3. *introducendæ* appellationis, ſeu præſentandi Apoſtolos Judici *ad quem*, 4. *proſequendæ* & *finiendæ* appellationis. R. 2. Tempus petendi Apoſtolos de Jure ſunt 30. dies a lata ſententia & cognita, *l.* 24. *C. h. t. c.* 6. *eod. in* 6. debent peti a Judice *a quo*, & quidem inſtanter, inſtantius, inſtantiſſime (quibus vocibus uti ſolent appellantes) per *l. un.* §. *ult. ff. de libellis dimiſſor.* Sunt autem *Apoſtoli* nihil aliud, quam litteræ, quibus Judex primæ inſtantiæ ſignificat Judici *ad quem*, an & qualiter appellationi detulerit: ſi judicet ſe appellationi ut probabili detuliſſe, vocantur *dimiſſorii* in ſpecie: ſi deferat appellationi non ob cauſæ juſtitiam, ſed ſolum ex reverentia erga Judicem ſuperiorem, dicuntur *reverentiales*: ſi teſtetur, ſe appellationem habere pro frivola, & non admiſiſſe propter hanc vel illam cauſam; quam debet exprimere, appellantur *refutatorii*: ſi appellatio eſt interpoſita non apud Judicem, ſed apud Notarium, vel alium virum idoneum, & is teſtetur, coram ſe eſſe appellatum, nuncupantur *teſtimoniales*. Petitos Apoſtolos tenetur dare Judex, a quo petuntur, & iſte poteſt petenti præſcribere terminum, intra quem eos præſentet ſuperiori: ſi deferat appellationi frivolæ, vel non deferat legitimæ, puniri arbitrarie poteſt a ſuperiore, qui etiam cognoſcit de juſtitia appellationis, ſi dati ſunt refutatorii, executione interim ſuſpenſa. Ceterum in Camera, & multis aliis tribunalibus, Apoſtoli, & eorum tempora, non adeo ſunt in uſu; ſed condemnatus proponit Judici *a quo* appellationem per li-

bel-

bellum, & Judex per Notarium curat ſcribi, appellationem admitti, vel non: ſi admittat, petuntur acta, ad ſuperiorem Judicem traſmittenda cum ſcripto Judicis, in quo teſtatur appellationem eſſe admiſſam: ſi non admittat, poteſt pars, ſe gravatam exiſtimans, ſimpliciter adire ſuperiorem, eidemque proponere, appellationem non eſſe admiſſam; qui ſuperior poſtea petit rationem, quare non fuerit admiſſa. R. 3. Tempus *introducendæ* appellationis; & præſentandi Apoſtolos, non eſt ſatis in Jure determinatum, ac inſuper praxis locorum variat, ſed de Jure canonico *c.* 4. 33. *h.t.* & quorumdam locorum praxi Judex *a quo* præfigit terminum, quem ſi non obſervet pars, per ſententiam Judex *ad quem* declarat, appellationem eſſe deſertam. Reſp. 4. Tempus *proſequendæ & finiendæ* appellationis de Jure eſt annus, & ex juſta cauſa biennium, a die interpoſitæ appellationis, *c.* 12. *de reſcr. Clem.* 3. *h. t. Auth. Ei, qui C. de tempor. appell.* Sed in praxi paſſim non obſervatur; cum ob multitudinem cauſarum per multos interdum annos protrahi videamus lites.

11 Dico 8. *Supplicatio* eſt remedium extraordinarium, quo per ſententiam gravatus, cui remedium ordinarium appellationis non competit, allegato gravamine humiliter petit a Principe, ut ex gratia & benignitate cauſa denuo cognita retractet ſententiam, & adverſus illam reſtituat ſupplicantem. Text. & DD. *in l.* 5. *& auth. quæ ſupplicatio, C. de Precib. Imp. off.* Fieri poteſt apud eumdem etiam Judicem, qui ſententiam tulit, licet Princeps non ſit; nec intra 10. dies, ut appellatio interponi debet, ſed per integrum biennium poteſt. Non ſuſpendit executionem: ſi tamen intra decendium interponatur, debet is, in cujus favorem fit executio, cautionem

præ-

præſtare de facienda reſtitutione, ſi ſupplicans obtineat cauſam. Rarior eſt hujus remedii uſus, ſed fere ſucceſſit reviſio, de qua

12 Dico 9. *Reviſio* eſt remedium extraordinarium, quo gravatus, cui non competit appellatio, petit a ſuperiore, ut ſententiam una cum actis revideat vel per ſe vel per conſtitutos *Reviſores*, ac, ſi compererit, injuſtam eſſe, reformet. DD. paſſim, & *Receſſ. Imper. de anno 1654. a §. 125.* Peti debet intra 4 menſes, cauſæque gravaminis unico exprimi ſcripto, in quo nihil novi, v. g. nova probatio prius omiſſa, ponendum, item certa pecunia deponi a petente, quam amittit, ſi cauſam apud reviſores perdat, recipit, ſi ibidem obtineat: ſufficit tamen cautio de illa ſumma. Nec per petitionem reviſionis ſuſpenditur executio ſententiæ, ut contra Gail vult Gilhauſen & Kaut, licet de reſtituendo judicato cautionem præſtare debeat pars, in cujus favorem fit executio. In quibuſdam locis hunc in finem inſtituta ſunt *conſilia reviſoria*, ad quæ per modum appellationis recurritur ſuſpenſa executione: ſic in Bavaria, ſi litigatum ſit in ordinario, & intra 90. dies recurratur ad conſilium reviſorium, ſuſpenditur executio; non tamen, ſi in Summario, *Decret. electoral. de anno 1625. & 1627.*

TITULUS XXIX.

De clericis peregrinantibus.

SUMMARIUM.

1 *Quid hic intelligatur per peregrinantes.*
2 *Quando peregrinatio habeat effectum appellationis.*

1 Per

1 PEr iſtos hoc loco intelliguntur Romipetæ, qui devotionis vel alia de cauſa Romam vel ad Sedem Apoſtolicam proficiſcuntur, maxime autem, qui poſt latam in ſe ſententiam iter Romanum ſeu ad Sedem Apoſtolicam arripiunt, ac propterea ipſo facto appellare cenſentur: de quibus in hoc *Titulo*, qui propterea eſt appendix prioris, *c. un.* diſponitur, ut ab inferiori Judice, cujus juriſdictio per tale iter ſuſpenditur, vel a privato, nihil innovetur vel attentetur circa cauſam: ſecus ſi fiat, id omne tanquam attentatum & irritum non minus retractetur & revocetur, ac attentatum appellatione verbali interpoſita: quare talis peregrinatio Romana (idem dicunt de alio itinere ad Judicem ſuperiorem arrepto, & de Nuntio ad Papam vel alium Judicem ſuperiorem miſſo) habet vim appellationis. Et quamvis Rubrica loquatur de *Clericis*, textus tamen ſubjunctus loquitur generaliter, & DD. communiter idem intelligunt de Laicis.

2 Dico. Ut peregrinatio Romana &c. habeat vim & effectum appellationis, debet arripi intra 10. dies a lata ſententia, vel illato gravamine: item intimari Judici, vel parti adverſæ: & iter meditans non debet eſſe præventus citatione. Text. & DD. *in d. c. un. & c. 9. de appellat.*

TITULUS XXX.

De Confirmatione utili vel inutili.

SUMMARIUM.

1 2 *Quid, & quotuplex ſit confirmatio.*
3 4 *Quis ejus effectus.*

1 Cum

1 CUm ſæpius contingat, prioris judicis ſententiam a ſuperiore confirmari, pronutiante, bene judicatum, & male appellatum eſſe, idcirco agitur modo de hac confirmatione, & hujus occaſione etiam aliorum actuum, v. g. privilegiorum, electionum inſtrumentorum, ſtatutorum &c.

2 Dico 1. Confirmatio eſt juris prius quocumque modo habiti per legitimum ſuperiorem facta corroboratio, *c. 6. de fid. inſtr.* Si impetrans omnia bene expoſuit ſubſecuta confirmatio valet, & jus tribuit, ac propterea vocatur *utilis:* ſi per ob vel ſubreptionem, aut per falſa narrata ſit impetrata, non valet, & dicitur *inutilis*. Alia datur in *forma communi*, quando nempe nulla vel non perfecta cognitione prævia ſuperior confirmat actum in eo ſtatu, in quo erat prius. Et alia in *forma ſpeciali*, quando ſuperior cauſa plene cognita confirmat actum vel negotium, id quod colligitur ex adjectis clauſulis, v. g. ſi confirmans dicat, *ex certa ſcientia:* vel, *cognita cauſa:* vel *ex plenitudine poteſtatis:* vel, *ſupplendo omnes defectus:* vel, *non obſtante quacumque lege vel conſuetudine in contrarium:* vel ſi totus tenor ſententiæ, privilegii &c. inſeritur confirmationi.

3 Dico 2. Confirmatio in *forma communi* (idem eſt de ſimplici *innovatione*, quo nomine appellatur, ſi confirmans non eſt ſuperior reſpectu illius, qui actum priorem exercuit, ut ſi Pontifex confirmet vel prius innovet privilegium alicui conceſſum ab anteceſſore) non tribuit jus novum, nec valorem actui, ſi forte fuit invalidus, ſed tantum conſervat jus vetus, ſi quod fuit obtentum, *c.* 1. 2. 4. *h. t. c.* 29. *de privil.* Econtra confirmatio in *forma ſpeciali* tribuit jus novum, & actum, cui accedit, validum reddit, ſi forte prius fuiſſet in-

validus, modo defectus, quo laborat actus, a confirmante ſit diſpenſabilis, vel in eo diſpenſari ſoleat. Text. & DD. in *c. 5. h.t. & c. 11 de tranſact.* quia eſt nova conceſſio. Addidi, *vel in eo diſpenſari ſoleat:* ſic Papa, quibuſcumque utatur clauſulis, non cenſetur diſpenſare aut confirmare electionem intruſi ad prælaturam aut ſimoniaci poſſeſſionem violente acquiſitam, actum juri alterius quæſito repugnantem, aut contrarium particulari ſtatuto vel conſuetudini locorum, niſi huic ſpecifice deroget.

4 Dico 3. Confirmatio etiam in forma communi data facit, ut nemo, niſi confirmans, vel ejus delegatus, de actu taliter confirmato, ſi lis ſuper illo oriatur, directe cognoſcere valeat. Nec inferior de confirmatione Pontificis. Text. & DD. *in c. 1. 2. h. t. c. 20. de reſcr.* incidenter tamen & indirecte poteſt, v.g. cognoſcendo an privilegiatus a Papa ſit capax privilegii, an privilegium non ſit vitioſum vel ſubreptitium &c. Abb. *in c. 12. de Judic. n. 3.* Pirhing. *h. n. 15.*

DE-

DECRETALIUM GREGORII PAPÆ IX.

LIBER III.

1 SIcut Liber I. Eccleſiaſticos Judices conſtituit & Liber II. Judicia ſeu Proceſſum judiciarium adornat, ita tres Libri ſequentes ſuppeditant res & cauſas in judiciis tractandas, & quidem Liber III. ac IV. *Civiles*, Liber V. vero *Criminales*. Itaque præſens Liber III. agit initio de vita, functionibus, juribus, & rebus Clericorum *Sæcularium*; tum de variis contractibus, ultimiſque voluntatibus, quæ etiam Laicis ſunt communes materiæ, ac in Praxi frequentiſſimæ; poſtea de ſtatu, locis, juribus, & obligationibus Clericorum *Regularium*, ſeu Religioſorum: demum de Sacramentis, Sacrificio Miſſæ, aliiſque rebus ſpiritualibus, atque de ipſis Eccleſiis & locis ſacris.

TITULUS I.

De vita & honeſtate Clericorum.

SUMMARIUM.

1 *Ingreſſus.*
2 *Quinam clerici; & quæ eorum vitæ honeſtas.*
3 *A quibus abſtinere debeant Clerici.*
4 *In quo conſiſtat decentia habitus clericalis.*
5 *Quinam obligentur ad habitum & tonſuram clericalem.*

2 PEr *Clericos* intelliguntur perſonæ ad Dei ſervitium in Eccleſia Chriſti debite ac ſpecialiter deputatæ. Si deputentur per collatio-

nem ordinis eccleſiaſtici, etiam primæ tantum tonſuræ, ſunt clerici proprie dicti: ſi tantum per certa vota, aut profeſſionem religioſam, ſicut Religioſi nullum habentes Ordinem, uti fratres laici ſeu *converſi*, & moniales quoque, ſunt improprie dicti: in favorabilibus tamen veniunt & iſti nomine clericorum, non in odioſis; ſicut in his nec Epiſcopi aut in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, imo nec canonici veniunt nomine clericorum: quia *odia reſtringi*, *favores ampliari convenit*, *c.* 15. *de R. J. in* 6. Interim tamen in hoc & ſimilibus Titulis, ubi agitur de vita ac honeſtate clericorum, comprehenduntur vel maxime prælati, & in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, atque Sacerdotes; imo & religioſi utriuſque ſexus. Conſiderari autem poteſt duplex illorum *vitæ honeſtas*, nimirum *interna*, quæ conſiſtit in puritate conſcientiæ, recta intentione, & variarum virtutum exercitio interno, de quibus aſcetæ; & *externa*, quæ tria requirit 1. *abſtinentiam* non modo a peccatis in actum externum prodeuntibus, a quibus & laici abhorrere debent, ſed etiam a quibuſdam actibus alias licitis. 2. *integritatem vitæ*, quæ maxime elucere debet in ſtudio caſtitatis, ſobrietate, manſuetudine, & ſedula ſacri officii adminiſtratione, 3. *decentiam habitus*, & veſtitus clericalis juxta SS. Canonum & Epiſcoporum ordinationes: quo etiam refertur tonſura clericalis in vertice, ſeu corona abraſis per modum circuli capillis juxta modernum Eccleſiæ morem. Et de hac externa clericalis vitæ honeſtate Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 1. *de ref.* ſic ordinat: *quapropter ſic decet omnino clericos, in ſortem Domini vocatos, vitam moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus nil, niſi grave, mode-*

dera-

deratum, ac religione plenum præſeferant, levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.

3 Dico 1. Clerici abſtinere ſpecialiter jubentur 1. a negotiis ſæcularibus, quæ vel multum impediunt a functionibus eccleſiaſticis, uti negotiatio, *c. 3. & fin. h. t.* vel avaritiæ ſpeciem habent, uti cambium, confectio auri chimici *c. 10. eod. Extrav. un. de crim. falſ. int. comm.* vel ob vilitatem ſuam ſtatum clericalem reddunt contemptibilem, uti officium mimi, joculatoris, hiſtrionis, carnificis, lanionis, tabernarii &c. *c. un. in 6. & Clem. 1. h. t.* imo juxta *c. 12. & 15. eod.* nec licet ipſis auſcultare hiſtrionibus, aut larvis multum tegere &c. 2. ab omni actu, ex quo oriri poſſet ſuſpicio Veneris aut incontinentiæ, *c. 13. eod.* 3. a luſu alearum, & alio, in quo mera fortuna, & nulla induſtria vel ars intervenit, item a choreis, *c. 15. cit.* Trid. *l. c.* præſertim ſi id fiat publice, & frequenter, ac lucri ſtudio, 4. a crapula & ebrietate, provocatione ad æquales potus, imo & a tabernarum & hoſpitiorum frequentatione, *c. 14. ſeq. h. t.* Qui in his deliquerint, puniantur ab Epiſcopo vel arbitrarie. Trid. *l. c.* vel pœnis paſſim in *h. t.* ſtatutis. Si vero negotiatores, aut officium mimi, &c. exercentes ter moniti ſe non emendaverint, privilegio Fori ipſo Jure excidunt, *c. fin. & Clem. 1. h. t.* Vide Conſtit. 13. Benedicti XIV. tom. 1. incip. *Apoſtolicæ ſervitutis*, qua interdicitur clericis quælibet negotiatio.

4 Dico 2. Ad decentiam habitus clericalis requiritur 1. veſtis congruens conſuetudini loci, & SS. Canonum & Epiſcoporum præſcripto, nimirum nigri coloris apud non Canonicos Cathedrales & in dignitate eccleſiaſtica non conſtitutos,

non virgata vel partita aut variegata, h. e. diverſos habens colores, aut ad luxum compoſita, non tamen debet eſſe ſordida aut lacera, nec nimis longa vel brevis, *c.* 15. *cit.* talarem ſeu uſque ad talos protenſam voluit Sixt. V. *in Conſt. Cum ſacroſancta* . 2. Corona in capite, apud Sacerdotes hoſtiam majorem magnitudine fere adæquans, apud inferiores minor juxta uſum regionum, *can.* 7. *cauſ.* 12. *q.* 1. Econtra 3. non licet clericis geſtare arma militaria extra caſum juſtæ defenſionis, *c.* 2. *h. t. Clem.* 2. *eod. Clem.* 1. *de ſtat. mon.* ſicut 4. uſurpare frœnum, calcaria, ſellam deauratam *c.* 15. *cit.* item annulum, niſi competat ratione dignitatis aut Doctoratus, vel niſi conſuetudo aliud obtineat, 4. nutrire barbam, vel relaxare comam, *c.* 4. 5. 7. *h. t.* licet relaxatio comæ hodie, ubi corona non amplius formatur ritu antiquo, quem modo retinent Franciſcani & Dominicani, non videatur amplius procedere. Turpe tamen eſt criſpare comam inſtar mulierum, aut cyprio conſpergere pulvere. *Berucca*, ſeu coma fictitia, ſi non geſtetur ex vanitate, tolerari poteſt vi conſuetudinis, ſaltem extra Sacrificium, quo durante geſtari prohibuit Innoc. XII. & extra illud quoque nuper Benedictus XIII. quæ tamen ultima prohibitio in noſtris partibus ad uſum non pervenit. Pœnas in hos delinquentes videre eſt in *citt.* Juribus, quibus tamen derogatum eſſe videtur conſuetudine.

5 Dico 3. Habitum & tonſuram in publico geſtare tenentur, niſi juſta cauſa excuſet, clerici omnes in majoribus (in minoribus vero ordinibus infra ſubdiaconatum conſtituti, ſi habeant beneficium eccleſiaſticum) ſub pœna ſuſpenſionis, &, ſi ſemel correpti denuo in hoc deliquerint, privationis officiorum & beneficiorum per-

ſen-

ſententiam infligendæ. 2. Minoriſtæ non habentes beneficium, licet, non teneantur, ſi tamen non geſtent habitum, privati exiſtunt privilegio *Fori*. 3. Probabilius tamen privilegium *Canonis*, vi cujus citra excommunicationem percuti injurioſe nequeunt, nón amittunt ſecluſa conſuetudine contraria, qualis apud nos vigere videtur. Pars 1. conſtat ex *citt. c. 15. & Clem. 2.* atque ex Trid. *ſeſſ. 14. c. 6. de ref.* Pars 2. ex Trid. *ſeſſ. 23. c. 6. de ref. & Clem. 1. h. t.* per privilegium *Fori* intelligitur exemptio a foro & juriſdictione Laicorum. Pars 3. quam tenent multi cum Nav. Molina &c. apud P. Schmalzgruber *h. t. n. 39.* allegantes declarationem Cardd. contra Suar. Laym. Engel, probatur partim; quia Trident. exprimit ſolum privilegium *Fori*, conſequenter non extendendum ad privilegium *Canonis*, in *can. ſi quis ſuadente cauſ. 17. q. 4.* omnibus clericis illimitate conceſſum, ne admittenda ſit correctio juris, utpote odioſa; partim quia per injurioſam clericorum percuſſionem major irrogatur irreverentia ſtatui clericali, quam ſi trahantur ad judicem ſæcularem.

TITULUS II.

De cohabitatione clericorum & mulierum.

SUMMARIUM.

1 2 Clericis non licet cohabitare cum mulieribus.
3 Pœnæ Clericorum cum ſuſpectis mulieribus cohabitantium, fornicantium, & concubinariorum.

1 HOneſtati vitæ clericalis vel maxime repugnat, concubinatus, imo & ſuſpicio

de incontinentia, quæ facile oritur ex cohabitione cum certis mulieribus in iiſdem ædibus, ex qua facile oritur flamma vel periculum, aut omnino fornicatio, aut concubinatus. Unde

2 Dico 1. Clerici, ob Ordinem Sacrum ad continentiam adſtricti, vel qui ratione beneficii Eccleſiæ deſerviunt, jure eccleſiaſtico prohibentur cohabitare in eadem domo cum feminis ſuſpectis, vel extra domum propriam cum talibus converſari, *can.* 20. 27. 31. 32. *d.* 81. *c.* 1. *&* 9. *h. t.* licet forte per accidens non eſſet periculum incontinentiæ; ubi enim hoc datur, etiam jus naturale & divinum prohibet. *Suſpectæ* autem cenſentur juvenes, cultæ, procaces, malæ famæ; non autem, quæ in primo vel ſecundo conſanguinitatis, aut in primo affinitatis gradu ſunt conjunctæ, uti mater, ſoror, avia, amita, matertera, filia fratris, noverca, &c. quia, ut loquitur *c.* 9. *cit. in his naturale fœdus nihil permittit ſævi criminis ſuſpicari;* niſi & iſtæ aliunde reddantur ſuſpectæ, *c.* 1. *cit.* Nec pro ſuſpectis per ſe habentur dictarum mulierum famulæ, nec aliæ provectioris ætatis 40. annorum & honeſtæ famæ, nec vi conſuetudinis coquæ, vel ancillæ, etiam juniores, ad rem œconomicam curandam neceſſariæ, modo abſit familiarior cum ipſis converſatio, ex qua vel periculum caſtitatis in clerico, vel ſcandalum, quod ex familiari conſortio facile oritur, naſcatur in populo.

3 Dico 2. Pœnæ clericorum dictorum cum ſuſpectis feminis cohabitantium, vel extra domum male converſantium, aut ſimplicem fornicationem committentium, ſi hujuſmodi delictum eſt notorium, quamvis veteri jure variæ fuerint ſtatutæ, hodie tamen vi conſuetudinis ſunt poſitæ in arbitrio Epiſcopi, v. g. mulcta pecuniaria, incar-

carceratio &c. pro qualitate & circumſtantiis delicti, & conſuetudine cujuslibet diœceſis. 2. Spectato tamen recentiori Jure Tridentini probabilius puniendi eſſent, ſicut concubinarii, qui ſunt notorie tales, & beneficium obtinent. 3. Hoc quidem ordine. 1. Notorie reus impoſita conveniente pœna pro arbitrio Epiſcopi ſpecialiter monendus eſt, 2. ſi monitus ſe non emendet, ipſe facto (opus tamen eſt ſententia declaratoria criminis) privatur tertia parte fructuum beneficii, applicandorum Eccleſiæ vel alteri loco pio, 3. ſi neque tunc reſipiſcat, ipſo facto, ut prius dictum de parte, amittit omnes fructus, inſuper ſuſpendendus eſt ab adminiſtratione beneficii, 4. ſi ſuſpenſus necdum deſiſtat, omnibus beneficiis, officiis, penſionibus eccleſiaſticis perpetuo privandus, & ad ea inhabilis reddendus eſt, 5. ſi nec ita punitus carere velit ſcorto vel concubina, quam expelli totis viribus laboret Superior vel Epiſcopus, excommunicandus eſt.

Pars 1. Quam communiter ſuſtinent Doctores, probatur tum ex *c.* 2. 3. 4. 6. 7. *h. t.* tum ex ratione, quod, quando Jura variant in pœna, relinquere determinationem pœnæ oporteat arbitrio Judicis. Pars 2. quam tenent Navar. Engel, & alii contra Ricc. & Garc. ſatis clare habetur in Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 14. *de ref.* ibi: ***Prohibet ſancta Synodus quibuſcumque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo vel extra, detinere, aut cum iis ullam conſuetudinem habere audeant; alioquin pœnis,*** *&c.* quibus verbis præter *concubinarios*, qui ſtricte loquendo ſunt illi, qui concubinam ſeu feminam ſolutam inſtar uxoris domi ſuæ, non extra, detinent & cum ea carnale commercium frequentant, etiam alios incontinentes disjuncti-

ve exprimi manifeſtum eſt. Pars 3. patet ex eodem Trid. *l. c.* quod utpote Jus recentius obſervandum potius eſt, quam antiqui Canones juxta Bullam Pii V. 1566. editam. Addidi, *beneficium obtineat*, qui vero non habent, carcere, ſuſpenſione ab Ordine, & inhabilitate ad beneficia, aliiſque modis juxta Canones puniendi ſunt & coercendi.

TITULUS III.

De Clericis conjugatis.

SUMMARIUM.

1 *Clerici conjugati ſunt in duplici claſſe.*
2. 3 *Quid. Juris, ſi clerici minoriſtæ contrahant matrimonium:*
4 *Vel in Sacris conſtituti.*
5 *An conjugati poſſint promoveri ad ordines.*

1 Clerici *conjugati* ſunt in duplici claſſe. 1. Qui poſt ſuſceptos ordines minores validum contraxerunt matrimonium. 2. Qui poſt matrimonium valide initum ſuſceperunt ordines etiam majores. Addi poteſt tertia claſſis eorum, qui poſt ordines majores invalide & illicite attentant matrimonium contrahere; ſed hi non ſunt proprie *conjugati*; quia matrimonium non valet. Nihilominus tamen & de his agitur in hoc Titulo.

2 Dico 1. Clerici minoriſtæ non ſolum valide ſed etiam licite contrahunt matrimonium, 2. ipſo tamen facto amittunt beneficia prius habita, 3. & privilegia clericalia, v. g. competentiæ, immunitatis a tributis, collectis, &c. 4. privilegia tamen *canonis*, & *fori* in criminalibus, & pro-

probabilius etiam in civilibus cauſis retinent, ſi obſervent certas conditiones, nimirum ſi contraxerint cum una, eaque virgine: ſi deſerant habitum clericalem cum tonſura: & ſi ab Epiſcopo deputati actu ſerviant alicui Eccleſiæ. Pars 1. eſt certa ex *c.* 1. *h. t.* & ex communi DD. ac ratione, quia nec votum nec lex eccleſiaſtica obligat hos clericos ad ſtatum cælibem. Pars 2. ex *d. c.* 1. ubi dicuntur compellendi *ad relinquenda beneficia*, *&* *retinendas uxores*: nemo autem compellendus eſt ad relinquendam rem ſuam, cujus habet dominium & juſtam poſſeſſionem: ergo ſupponit textus, quod beneficiorum quaſi dominium ipſo facto amittant ducendo conjugem. Ratio eſt, quia tacite cenſentur renuntiare beneficiis per aſſumptionem ſtatus incompatibilis, qualis eſt matrimonialis cum divinis & eccleſiaſticis obſequiis, *c.* 3. *&* 5. *eod.* Unde ſequitur, quod caſu, quo matrimonium propter impedimentum dirimens, v. gr. conſanguinitatis, affinitatis &c. invalide contrahunt ſcienter, non ipſo facto amittant beneficia; quia ſcienter contrahens invalide efficaciter non vult contrahere, aut aſſumere ſtatum incompatibilem. Imola, Decius &c. apud Sanch. *l. de matrim. d.* 43. *n.* 2. aliud eſt, ſi ignoranter cum impedimento dirimente contrahunt, teſte Sanch. *n.* 5. cum communi contra Laym. & Pirhing. quia, quantum eſt ex ſe, volunt efficaciter eligere ſtatum incompatibilem cum beneficiis, adeoque his renuntiare. Et iſtud ego quoque olim verius eſſe cenſui: ſed nunc mutavi mentem; quia Jura noſtra, quando privatos volunt beneficiis clericos, loquuntur de matrimonio valido, uti in *citt. c.* 1. 3. 5. ergo per invalidum non privantur, ſive ſcienter ſive ignoranter contraxerint invalide; cum jura

non faciant inter hæc diſcrimen, & odioſa ſint alias reſtringenda. Accedit regula generalis *c.52. de R.J. in 6.* ibi: *non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum*. Nec verum eſt, quod matrimonium invalidum re ipſa ſit ſtatus incompatibilis cum beneficiis, cum revera nullum inducat ſtatum. Pars 3. patet ex *c.un. h.t. in 6.* ubi poſtquam his Clericis conjugatis, ſi ſervent certas conditiones, conſervatur privilegium fori & canonis, ſubjungitur: *in ceteris autem gaudere nolumus privilegio clericali*, adeoque habentur pro laicis. Pars 4. tum ex *c.un. cit.* ubi requiruntur duæ priores conditiones, tum ex Trid. *ſeſſ. 23. c. 6. de refor.* ubi requiritur tertia. Quod autem retineant etiam privilegium fori *in civilibus*, deſumitur ex *d. c.un.* ibi: *cum (juxta Pariſienſe Concilium) nullus clericus diſtringi, aut condemnari debeat a Judice ſæculari: præſenti declaramus edicto, hujuſmodi clericos conjugatos pro commiſſis ab eis exceſſibus, vel delictis, trahi non poſſe criminaliter aut civiliter ad Judicium ſæculare: nec ab ipſis ſæcularibus Judicibus eos debere perſonaliter vel etiam pecuniariter ullatenus condemnari*. Accedit, quod non ſit aſſerendus receſſus a Jure antiquiori, ſi clare non exprimatur in recentiori: ſed de Jure antiquiori clerici omnes gaudebant privilegio fori tam in civilibus quam in criminalibus, per *can.* 3. 11. 13. *d.* 32. *c.* 2. *de for. comp.* &c. in *d. c. un.* autem non clare exprimitur exceptio in civilibus: ergo.

Objic. 1. Privatio beneficii eſt pœna: ſed pœna non incurritur ante ſententiam, & ipſo facto. 2. In *c.* 3. & 5. *citt.* dicuntur hujuſmodi clerici ſuis beneficiis *privandi*: ergo non ipſo facto *privati* exiſtunt. 3. In *can.* 8. *cauſ.* 12. *q.* 1. ſta-

ſtatuitur, ut Clericis conjugatis provideatur de ſtipendiis. Et in *c.* 7. *h. t.* ſupponitur, eos poſſe habere beneficia. 4. Ignoranter contrahentes Matrimonium invalidum efficaciter intendunt ſtatum incompatibilem cum beneficio: ergo tacite illi renuntiant ex præſumptione juris per *c.*3. *&* 5. *citt.* non minus, ac qui validum contrahunt; ſicut bigamiam contrahit, qui tranſit ad ſecundum Matrimonium, licet iſtud ex ignorato impedimento fuerit invalidum, ſcil. *propter affectum intentionis cum opere ſecuto c.*4. *de bigam.* R. ad 1. N. *ma.* quia pœna non habet locum, ubi culpa non eſt: ſed Clerici Minoriſtæ ducunt conjuges ſine culpa: igitur non in pœnam, ſed ex ſola juris diſpoſitione, & tacita renuntiatione a jure præſumpta, privantur beneficiis. Ad 2. *diſt. ant.* dicuntur *privandi* &c. poſſeſſione, ſi illa *detinere præſumant*, vel de facto. C. *ant.* dicuntur privandi titulo beneficiorum, vel de jure N. *ant. & conſ.* qui enim renuntiaſſe præſumitur a jure beneficio, vel conditionem cœlibatus a jure in beneficiatis requiſitam non implet, titulum & jus in beneficio jam amiſit. Ad 3. ibi per *ſtipendia* intelliguntur ſalaria, quæ debentur ratione laboris vel miniſterii temporalis in Eccleſia obiti, v. g. æditius, cantoribus &c. ſi forte ſint Clerici conjugati. In *c.*7 ſupponitur quidem, Clericos conjugatos poſſe beneficia habere, at ex diſpenſatione Pontificis; nam Epiſcopus contra jus commune diſpenſare nequit, nec ipſi hoc in *d. c.* conceditur. Ad 4. Cum de jure errantis nullus ſit conſenſus, illa intentio nullum ſortitur effectum. Dein *diſt conſ.* ergo tacite renuntiat per errorem, qui facit renuntiationem nullam (cum ignorans impedimentum intendat frui Matrimonio vero.)

Conc.

Conc. conſ. abſque errore *Neg. conſ.* vel renuntiat ſub tacita conditione, ſi Matrimonium valeat. *C. conſ.* abſolute. *N. conſ.* quia Matrimonium nullum (ſicut Sponſalia de futuro tantum) non inducit ſtatum incompatibilem cum beneficio. Paritas cum bigamia eſt nulla, partim quia in *d. c.*4. eſt ſermo de Clericis, qui in majoribus conſtituti attentant contrahere Matrimonium ſecundum, adeoque ſcienter invalide, partim quia ibi bigamia ſtatuitur in pœnam delicti, Clericus autem Minoriſta ad nuptias convolans non in pœnam delicti privatur beneficio, partim quia in pœnalibus non eſt facienda extenſio a caſu expreſſo ad non expreſſum; imo ipſum *c.cit.* vult non extendi, quia expreſſe addit reſtrictionem per verba, *in hac quæſtione*.

4 Dico 2. Clerici conſtituti in Sacris ſeu Majoribus Ordinibus, inter quos hodie recenſetur etiam Subdiaconatus *can.*10.11. *diſt.*32. *c.*1. *h.t.* ſicut illicite, ita invalide contrahunt Matrimonium, propter votum ſolemne caſtitatis *c.*1. *cit. c.*1. *qui Clerici, vel vov.* Trid. *ſect.*24. *can* 9. *de Sacr. Matrim.* Si tamen attentent, incurrunt irregularitatem, & excommunicationem ipſo facto, non tamen reſervatam *c.*1. *&* 2. *eod. Clem. un. de conſang. & affinit.* ac inſuper in pœnam poſſunt privari beneficiis, non tamen ipſo facto privati iis exiſtunt *c.*1. *h t.* ibi: *ſed ſi in ſubdiaconatu & aliis ſuperioribus ordinibus uxores accepiſſe noſcuntur, eos uxores dimittere -- compellere procuretis* en! ſolas uxores, non beneficia, dimittere cogendi ſunt: ergo privatio ipſo jure non eſt ſtatuta. *Objic.* Minoriſtæ contrahentes Matrimonium ipſo jure privantur beneficiis, uti dictum: ergo & in Sacris conſtituti; quia hi inſuper illicite ducunt conjuges,

con-

conſequenter non debent eſſe melioris conditionis propter ſuum delictum. R. N. *conſ.* quia apud illos privatio eſt in jure expreſſa, non apud hos; notum eſt autem, quod in odioſis nec propter majoritatem rationis facienda ſit extenſio. Dein etiam ratio eſt diſpar, quia Minoriſtæ privantur beneficiis propter aſſumptum ſtatum incompatibilem, & inde præſumptam renuntiationem, majoribus autem initiati non aſſumunt ſtatum incompatibilem, cum Matrimonium non valeat.

5 Dico 3. Conjugatus non poteſt licite promoveri ad ordines Clericales, etiam minores, vel primam tonſuram, & ſic fieri *clericus conjugatus*, niſi ipſe prius voveat caſtitatem, & uxor conſentiat, ac inſuper iſta ingrediatur Religionem, vel, ſi propter provectam ætatem non eſt ſuſpecta de incontinentia, ſaltem votum caſtitatis emittat. De *prima tonſura & minoribus* colligitur ex *can. 6. d. 77. c. ult. de temp. ordin. in 6.* Trid. *ſ. 23. c. 4. de ref.* quia juxta *c. ult. & Trid. citt.* nullus licite promovetur ad tonſuram vel minores ordines, niſi probabilis extet conjectura de intentione ad majores ordines progrediendi, quæ dari vel præſumi nequit in conjugato, qui ſine voto continentiæ, & conſenſu uxoris &c. vult ordinari. *De majoribus ordinibus*, ſi conjugatus jam ſit Clericus, ſeu in minoribus conſtitutus, ulterius ſuſcipiendis conſtat ex *can. ſeriatim* 14 *d. 32. c. 2. h. t c. 5. & 8. de converſ. conjug.* ubi dictæ conditiones requiruntur in conjugato ad Sacros Ordines promovendo. *Objic.* In Eccleſia Græca, licet jam ſacris initiati non permittuntur ducere uxores, Clericis tamen Minoriſtis conjugatis, qui cum virgine contraxerunt, licitum eſt ſine dictis conditionibus recipere ordines majores, imo & uti

Ma-

Matrimonio: ergo & Clericis conjugatis in Eccleſia Latina. R. N. *conſ.* quia in Eccleſia Latina prohibitum ideſt in SS. Canonibus *citt.* in Græca autem expreſſe permiſſum in *c.6. h.t.* Ex quo apparet, cœlibatum Clericorum & Sacerdotum non jure naturali aut Divino, ſed Eccleſiaſtico tantum eſſe introductum; alias enim Græcis ab Eccleſia permitti non potuiſſet conjugium.

TITULUS IV.

De Clericis non reſidentibus in Eccleſia vel præbenda.

SUMMARIUM.

1 *In quo conſiſtat reſidentia beneficiatorum.*
2 *Regulariter tenentur reſidere omnes.*
3 4 5 *Et quidem curati Jure Divino, & naturali: & quomodo.*
6 *Canonici autem jure poſitivo humano.*
7 *Quinam fructus debeantur reſidentibus.*
8 *An ſufficiat præſentia ficta ad illos lucrandos.*
9 10 *Quæ ſit pœna non reſidentium.*

1 AD vitæ honeſtatem Clericorum Præbendas, ſeu beneficia Eccleſiaſtica, obtinentium vel maxime pertinet officium, ſeu functiones exercere in Eccleſia & loco, ubi beneficia exiſtunt, ad quod opus eſt, ut in tali loco reſideant, nam *reſidere* eſt continuo (moraliter ſaltem) eſſe præſentem in loco beneficii, ac inſervire Eccleſiæ. Unde *reſidentia* beneficiatorum definitur eſſe *commoratio aſſidua perſonæ in loco beneficii, ſeu apud Eccleſiam, ad præſtandum* ibi *perſonaliter ſervitium eccleſiaſticum.* Leurent. *in foro beneficiali p.1. ſ.3. qu.* 363.

363. & alii quoad ſenſum. Unde non ſufficit materialis & otioſa manſio in loco, ſi totum ſervitium Eccleſiaſticum alteri v.g. vicario relinquatur *c.4. h.t.* Trid. *ſ.23.c.1. de ref.* Locus reſidentiæ apud Epiſcopos eſt Civitas, in qua eſt Cathedralis Eccleſia, vel ſaltem Diœceſis, præſertim ſi cura Paſtoralis ipſum evocat ad alias ſuæ diœceſeos partes: apud Parochum domus Parochialis, vel alia inter limites parochiæ, & Eccleſiæ vicina, ut commode per ſe ipſum ei deſervire valeat explendo ſuum munus: apud alios ille locus, in quo exiſtit beneficium. De tempore, quo reſidere oportet, dicemus infra.

2. Dico 1. Reſidere tenentur regulariter omnes beneficiati, nimirum non ſolum obtinentes Prælaturam, Dignitatem, Perſonatum, Officium, Canonicatum, præbendam vel portionem in Eccleſia Cathedrali vel Collegiata, aut beneficium Curatum, ſeu curam animarum annexam habens *c.1. ſeqq. c.6.10. h.t. c.13 30.35 de præb.* Trid. *ſ.23. c.1.& ſ.24. c.10.12. de ref.* ſed etiam obtinentes beneficium ſimplex, cui cura animarum non eſt annexa *c. un. fin. d.92. c.6. 10. & c.35. citt.* Ratio univerſalis redditur *in c.fin. de reſcr. in 6.* ibi: *beneficium datur propter officium*. Interim tamen teſtantur pleríque Doctores cum Garcia. Vall. Barb. in beneficiis ſimplicibus (exceptis tamen Canonicatibus ac præbendis Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum) conſuetudine fere communiter ſublatam eſſe obligationem reſidendi, aut perſonale officium præſtandi, ut adeo pro beneficiato hujuſmodi præſumptio ſit, eum non obligari perſonaliter reſidere, & per ipſum functiones obire, v g. Miſſas legere, quando aliud non exigit aperta & ſpecialis fundatio, aut contraria obſervantia. Et hæc ſatis ſunt certa, ſolemnis

nis tamen controverſia eſt, an obligatio reſidendi in loco beneficii jure Eccleſiaſtico tantum, an vero etiam Divino & naturali ſit introducta, non quidem in Canonicatibus & beneficiis ſimplicibus, ſeu curam animarum non habentibus annexam; quia hujuſmodi Beneficiatos non niſi jure Eccleſiaſtico, voluntatem Fundatorum approbante, obligari ad reſidendum, & ad munia per ſe ipſos obeunda, ſatis convenit inter DD. De reliquis.

3 Dico 1. Epiſcopi, Parochi, eorumque Vicarii, & alii beneficia Curata obtinentes, obligantur jure etiam Divino & naturali reſidere perſonaliter, ſaltem in theſi (ſeu in genere, & abſtrahendo a certis circumſtantiis) & conditionate, niſi nimirum juſta cauſa excuſet, privilegium aut diſpenſatio vel declaratio Pontificis, vel rationabilis conſuetudo ſaltem immemorialis (modo beneficia ab aliis æque bene aut melius adminiſtrentur, ut nullum moraliter periculum immineat animabus) det licentiam non reſidendi. Communis contra paucos, ſatis manifeſte deciſa in Trid. *ſ.6.c.1. de ref.* explicans verba Scripturæ, *attendentes ſibi & univerſo gregi act.* 20. & alia, *tu vero vigila, in omnibus labora, miniſterium imple.* 2.*Tim.*4. docet; hæc fieri non poſſe a non reſidentibus perſonaliter. Et *ſ.*23.*c.*1.*de ref.* declarat *præcepto Divino mandatum eſſe omnibus, quibus cura animarum commiſſa eſt*, nempe Patriarchis, Primatibus, Archi-Epiſcopis, & Curatis inferioribus, uti ſunt Abbates, Præpoſiti, Priores, Parochi, Vicarii, &c. *& aliis quibuſcumque, qui beneficium aliquod Eccleſiaſticum, curam animarum habens, obtinent*, ut reſideant, ſeu eos *obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia, vel diœceſi reſidentiam, ubi injuncto ſibi officio defun-*

fungi teneantur, neque abeſſe poſſe, niſi ex cauſis & modis infra ſcriptis. Neque Paſtor animarum dici poteſt, qui eas deſerit, & per alios paſcit, nec vivere de altari debet, qui non ſervit altari; & conjugium ſpirituale, quale eſt inter Prælatos & beneficiatos curatos cum ſuis Eccleſiis, exigit cohabitationem ſponſi cum ſponſa.

4 Indulget tamen Trid. *ſ.23.c.1.cit.* Epiſcopis, ut ex cauſa, non admodum gravi, v. g. viſitationis amicorum, remiſſionis animi &c. ſingulis annis abeſſe poſſint per duos vel tres menſes ſive continuos ſive interpolatos (modo illos menſes unius anni non connectant & continuent cum menſibus alterius anni juxta declarationem Cardinalium, quia talis abſentia *brevis*, ut eſſe vult Trid. non eſſet) ſic tamen, ut non abſint tempore Quadrageſimæ, Paſchatis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Adventus, Nativitatis. Id quod extendendum quoque videtur ad Abbates & alios Prælatos inferiores at exemptos. Si diutius abeſſe vellent Epiſcopi, Tridentinum requirit cauſam gravem, & licentiam vel a Sum. Pontifice, vel ab Epiſcopo Suffraganeo antiquiore reſidente in ſcriptis dandam. Inferioribus autem Prælatis, uti ſunt Abbates & Præpoſiti non exempti, item Parochis &c. concedit quidem abeſſe ad breve tempus, at ſemper cum licentia Epiſcopi, quam ex cauſa minus etiam gravi dare poteſt Epiſcopus ad duos uſque menſes, ſed ultra bimeſtre nonniſi ex gravi cauſa, & in ſcriptis, ſemper tamen conſtituto idoneo Vicario. Conſuetudo autem habet paſſim, ut Parochi ad modicum tempus, v. g. ad aliquot dies, diſcedant ſine petita licentia Epiſcopi, ſubſtituentes interea vicarium, vel Parocho vicino curam ovium committentes, imo etiam non ſubſtituentes alium, ſi per unum vel alterum

dum-

dumtaxat diem abſint, & morale animarum periculum non appareat; quia parum pro nihilo reputatur. Porro pro cauſis gravibus, ob quas licentia ultra 3. menſes Epiſcopis, & ultra duos inferioribus Curatis dari poteſt, a Trid. habentur & ſpecificantur hæ quatuor. 1. *Chriſtiana charitas*, ut ſi abſint ad componendam pacem, convertendos peccatores &c. 2. *Urgens neceſſitas*, v.g. ut mutata aura curetur morbus. 3. *Debita obedientia*, ut ſi Superior Eccleſiaſticus avocet curatum ad peragendum negotium pro bono Eccleſiæ vel Reipublicæ. 4. *Evidens Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitas*, ut ſi quis alibi defendat jura ſuæ Eccleſiæ vel beneficii, negotium in utilitatem Regni expediat &c. ſemper tamen opus eſt interea ſubſtitui alium æque aptum vel aptiorem, qui curam animarum adminiſtret.

5 *Obj.* 1. Si obligatio reſidendi in beneficiis Curatis, & perſonale obſequium præſtandi, eſt juris Divini & naturalis, tunc Papa nec per privilegium, nec per diſpenſationem poterit concedere abſentiam, v. g. uni plures Epiſcopatus vel Parochias conferendo, beneficium Curatum uniendo Collegio, vel Monaſterio, ut per Vicarium adminiſtretur: neque conſuetudo ſufficiet ad excuſandum a reſidentia perſonali &c. Sed hæc omnia fiunt: ergo. 2. Conſuetudo repugnans reſidentiæ in beneficiis curatis ſpecialiter reprobatur a Trid. *l. c.* tanquam irrationabilis, & *corruptela*: ergo ſaltem iſta nihil poteſt circa dictam reſidentiam. 3. Diœceſes & Parochiæ ſunt inſtitutæ ab Eccleſia: ergo obligatio in iis reſidendi deſcendit tantum ab Eccleſia, non ex jure Divino & naturali. R. ad 1. *diſt. ma.* ſi eſſet juris Divini & naturalis abſoluti, & in qualibet hypotheſi. *C. ma.* ſi

ſo-

ſolum eſt conditionati, niſi nempe juſta cauſa aliud poſtulet, & per Vicarium æque vel magis idoneum adminiſtretur cura animarum, vel ſi ſolum in theſi, uti revera hoc modo eſt. *N.ma.* Ad 2. Reprobatur ut corruptela ſolum illa conſuetudo, quando per alium non ſatis providetur ſaluti animarum, vel aliunde repugnat juri naturali. Ad 3. *N.conſ.* Præſuppoſito enim, quod pro certo diſtrictu, nimirum Dioeceſi vel Parochia, conſtitutus ab Eccleſia ſit Epiſcopus vel rector animarum, Chriſtus & natura illos obligat ad reſidendum, cum alias non poſſent debite ſuum munus obire.

6 Dico 3. Canonici Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum, uti & obtinentes inibi dignitatem, præbendam, vel portionem, tenentur vi Tridentini & juris ſcripti reſidere per 9. menſes, & ſolum per tres menſes, nempe per 90. dies, quolibet anno, continuos vel interpolatos, ſine omni cauſa & licentia, nec alio ſubſtituto, poſſunt abeſſe Trid. *ſ.24. c. 12. de ref.* DD. communiter, cum hac tamen moderatione, ut non omnes aut plerique ſimul abſint, ne præſertim in principalioribus anni feſtis cultus Divinus detrimentum patiatur. Conſuetudo tamen in multis Canonicatibus plures abſentiæ menſes concedit: ſic alicubi per 3. alibi 4. alibi 6. menſes &c. dumtaxat præſentes eſſe debent Canonici, itaut nihilominus fructus præbendales totius anni percipiant: quia nempe Tridentinum vel nunquam receptum, vel iterum per conſuetudinem abrogatum eſt. Sicut etiam vi conſuetudinis ſufficit, ſi Canonici de die tantum ſemel compareant in Choro, vel ſi pſallant non per ſe, ſed per Vicarios.

7 Dico 4. Emolumentum, quod debito tempore

& mo-

& modo reſidentes percipiunt, ſunt fructus; qui ſunt in duplici claſſe. 1. *Fructus præbendæ*, ſeu *anni*, vel *groſſi*, & hi ſunt reditus fixi, qui reſidentibus dantur annuatim abſque reſpectu ad ſingulas intereſſentias ſeu præſentias in Choro, vel Officio Divino. 2. *Diſtributiones quotidianæ*, ſeu *præſentiæ*, ſive conſiſtant in pecuniis, ſive in frumento, vino &c. (& tunc vocantur etiam fructus groſſi, aut victualia) & ſunt illi fructus, qui dantur intuitu cujuslibet perſonalis præſentiæ in Choro vel Officio Divino; ſive dein a fidelibus ſint fundati, ut portiones funebres in anniverſariis, ſive ex menſa communi ſeu maſſa & collectione omnium fructuum Eccleſiæ, quotannis obvenientium deſignati, ut dividantur inter præſentes perſonaliter in Officiis Divinis. *Ut fructus annuos* conſequatur Canonicus, requiritur & ſufficit, ut vel 9 menſibus juxta Trident. vel tanto tempore, quod ſtatuta vel conſuetudo ſuæ Eccleſiæ exigit, reſideat in loco Canonicatus cum effectu. Trid *l. c.* & DD. communiter. Excipe 1. ſiquis abſit cauſa ſtudiorum in aliqua univerſitate vel generali ſtudio, modo ſtudeat Theologiæ vel juri Canonico *c.12. h. t. & c ult. de Magiſt.* vel ex alia ex dictis quatuor, aut quæ Epiſcopo juſta videbitur, cum licentia tamen Epiſcopi vel Prælati. 2. Si Canonici duo, ſive Cathedralis ſive Collegiatæ Eccleſiæ, quos aſſumit Epiſcopus ad ſe juvandum in ſuo munere, abſint in ſervitio Epiſcopi, v. g. in viſitatione Diœceſis *c.7. & 51. h.t.* hi enim fictione juris habebuntur pro præſentibus in ordine ad lucrandos fructus annuos, non ad diſtributiones quotidianas, adeoque in his caſibus ſufficit reſidentia *ficta*. Ut autem lucrentur Canonici *diſtributiones quotidianas*, requiritur præſentia

in

in choro & ſervitio actuali vel vera, vel ficta. Trid. *l.c. & c.un. h.t. in 6.* ut adeo abſentibus concedi nequeant per remiſſionem præſentiæ in choro, non obſtante ſtatuto vel conſuetudine contraria *d. c.un.* Trid. *ſ. 22. c.3. de ref. & ſ.24.c.12. de ref.* Sed pars, quam amittunt abſentes, accreſcit præſentibus, ſi certa portio eſt aſſignata *omnibus*, qui præſentes ſunt v.g. 10. vel 20. floreni Trid. *ſ.21. c.3. de ref.* ſi vero *ſingulis* præſentibus ſit determinata certa portio, v. gr. cuilibet præſenti 1. florenus, vel 30. crucigeri, remanet reſiduum in menſe communi, vel penes Eccleſiam, aut arbitrio Epiſcopi applicandum eſt alteri pio loco Trid. *ſ.22. c.3. cit.* hoc enim modo conciliatur diſpoſitio Tridentini, in dictis duobus locis facta. Attendatur tamen conſuetudo quoad hoc.

8 Quæres, quando ſufficiat præſentia ficta in Choro in ordine ad lucrandas diſtributiones? R. Siquis abſit ex cauſa a jure ſpecialiter approbata ad hunc effectum, & ſic fingitur eſſe præſens in Choro: tales juxta *c. un. h. t. in 6.* ſunt tres. 1. *Infirmitas*, ſive jam præſens, ſive quæ Medici judicio timetur ex acceſſu ad Eccleſiam, ut eſt podagra, febris, &c. licet orta ex culpa & intemperantia infirmi, requirunt tamen DD. ut talis ſit præſens in civitate, vel urbe, aut loco, ubi Eccleſia exiſtit per *c. un. cit. & c. 30. de elect. in 6.* item ut ſanus conſueverit alias intereſſe Divinis in Choro. 2. *Juſta & rationabilis corporalis neceſſitas*, cui nempe quis cauſam non dedit ex ſua culpa, ut ſiquis injuſte ſit incarceratus, mittit ſanguinem &c. 3. *Evidens utilitas Eccleſiæ*, nimirum ejus in particulari, de cujus diſtributionibus quæritur, non alterius, vel particularis vel univerſalis Eccleſiæ: ut ſiquis Romæ agit negotia Eccle-

cleſiæ, aut alibi defendit jura Capituli, vel ſui beneficii, qui nomine Epiſcopi vel Capituli mittitur ad viſitanda limina Apoſtolorum, Concilium aliquod &c. His adde 1. *privilegium* a Pontifice obtentum: ſic Pœnitentiarius durante re Divina audiens Confeſſiones, & obtinens præbendam Theologalem vel magiſtralem pro toto die, quo legit vel concionatur in propria Eccleſia, lucratur diſtributiones. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.*8. *&* 12. *de ref.* item Canonicus habens incorporatam parochiam pro toto tempore, quo exercet curam. Trid. *ſeſſ.*22. *c.*3. *de ref.* Adde 2. *conſuetudinem* primum introductam poſt Tridentinum, nam iſtud antegreſſæ ab eodem ſunt ſublatæ *c.*12. *cit.* ſic alicubi lucrantur diſtributiones, licet abſentes ſint, qui 40. annis inſervierunt Eccleſiæ intereſſendo Divinis. *Obj.* Diſtributiones quotidianæ non minus deputantur in ſuſtentationem Canonicorum, quam fructus groſſi: ergo quotieſcumque aliquis abeſt ex tali cauſa, propter quam fingitur eſſe præſens ad percipiendos fructus groſſos ſeu annuos, ex eadem fingitur eſſe præſens ad percipiendas diſtributiones. Reſp. *diſt. ant.* deputantur ad ſuſtentationem, ex alio tamen titulo, nempe propter ſingulas intereſſentias in Choro, *C. antec.* ex eodem titulo, ex quo fructus groſſi. *N. ant. & conſ.*

9 Dico 5. Pœna non reſidentium in beneficiis curatis eſt, quod ultra tempus a jure permiſſum & abſque juſta cauſa & licentia abſentes pro rata abſentiæ fructus non faciant ſuos, eoſque ante omnem ſententiam teneantur erogare in fabricam Eccleſiæ vel in pauperes Trid. *ſ.*23. *c.*1. *de ref.* ubi exaſperavit pœnam *in ſ.*6. *c.*1. *de ref.* ſtatutam. Epiſcopi inſuper, ſi privatione fructuum non moveantur, denuntiandi

ſunt

ſunt Summo Pontifici, ut is remedium afferat Trid. *ſeſſ.6. cit.* Inferiores autem Curati ſunt vel perſonaliter citandi, vel per edictum, & quidem ter, & non nimis feſtinanter, atque monendi ſub comminatione, ut reſideant *c.* 8. 10. 11. *& fin. h.t.* Trid. *ſeſſ.*23. *c.*1. *citat*: ſi expectatis 6. menſibus neque tunc pareant, vel contumaciter non compareant citati, in arbitrio Epiſcopi eſt vel ſtatim privare beneficiis, vel prius per ſequeſtrationem fructuum vel per cenſuras adigere ad reſidendum, & poſtmodum refractarios privare iiſdem *c.* 2. *ſeqq. & c.*11. *h. t.* Contra Regulares procedendum eſt ſecundum conſtitutiones ordinum.

10 Dico 6. Pœna Canonicorum, & aliorum, qui in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis dignitatem, præbendam, vel portionem obtinent, debito tempore &c. non reſidentium eſt hæc: primo anno privandi ſunt dimidia parte fructuum, computatis etiam illis, quos forte eo anno ratione præbendæ & reſidentiæ, at non ſufficientis, fecerunt ſuos; ſecundo anno omnibus fructibus, quos illo anno lucrati ſunt: tertio anno, ſi contumaciter abſint, contra eos procedendum eſt juxta Sacrorum Canonum conſtitutiones Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 12. *de ref.* h. e. citandi ſunt, & contumaces vel per Cenſuras &c. ad reſidendum cogendi, vel ſtatim privandi ſunt Canonicatibus &c. juxta *c.* 4. 8. 11. *h. t.* expectatis tamen poſt ultimam citationem 6. menſibus.

TITULUS V.

De præbendis & dignitatibus.

SUMMARIUM.

1 2 3 *Quid ſit præbenda & dignitas, quid & quotuplex beneficium.*
4 5 6 *Beneficia compatibilia, & incompatibilia.*
7 8 *An quoad incompatibilia obtinenda poſſit aliquid diſpenſatio, vel conſuetudo.*
9 *Quid & quotuplex ſit unio beneficiorum.*
10 *A quo & qualiter fieri poſſit.*
11 12 13 *Diſmembratio: diviſio: & ſuppreſſio beneficii.*
14 *Quotuplex ſit collatio beneficiorum.*
15 16 *Quibus ſint conferenda.*
17 *Quotuplici modo Papa conferre poſſit.*
18 *Reſervatio & affectio beneficiorum.*
19 20 *Quænam ſint perpetuo reſervata Pontifici.*
21 22 *Quænam alternis menſibus, & quomodo.*
23 *Quid ſentiendum de annatis.*
24 *Quænam beneficia conferat Epiſcopus, vel alii.*
25 *An aliqua conferri valeant Laicis.*
26 *An aliquando obtineri præſcriptionem.*
27 *Quid ſtatuat* regula de viginti.

1 QUam hucuſque ſuppoſuimus, hic explanatur natura beneficiorum Eccleſiaſticorum; quamvis enim *præbenda* ſtricte loquendo dicat vel Canonicam portionem proventuum Eccleſiaſticorum, ſeu fructus annuos propter reſidentiam in Canonicatibus; vel jus illos percipiendi ratione *canoniæ*, quæ eſt jus habendi ſedem in Choro, vel etiam vocem in Ca-

Capitulo, donec præbenda, ſeu perceptio fructuum acceſſerit, reſultans ex eo, quod aliquis inter Canonicos adlectus ſit; in quo utroque ſenſu reſtringitur ad Canonicos; hic autem accipitur pro omni *beneficio* Eccleſiaſtico, ſive ſit Canonia ſive non. *Dignitas* autem ſumitur pro beneficio Eccleſiaſtico majore.

§. I.

De natura, varietate, pluralitate, & unione &c. beneficiorum Eccleſiaſticorum.

2 Dico 1. Beneficium eſt jus perpetuum percipiendi reditus ex bonis Eccleſiaſticis ratione ſpiritualis officii auctoritate Eccleſiaſtica conſtitutum. Communis ex *can.* 2. *d.* 70. *& c.* 16. *h. tit.* Unde quatuor requiruntur ad eſſentiam beneficii. 1. *Officium ſpirituale*, vel potius obligatio præſtandi functionem ſpiritualem, qualis eſt recitatio vel decantatio Breviarii, prædicatio Verbi Divini, legere Miſſas, adminiſtrare Sacramenta &c. & hoc officium ſpirituale eſt quaſi fundamentum beneficii; cum beneficium detur propter officium. 2. *Jus percipiendi fructus* temporales, quod eſt jus reale, in bonis Eccleſiæ radicatum, ex quibus proveniunt reditus, atque in ſe eſt temporale, ſit tamen ſpirituale propter officium vel miniſterium ſacrum, cui eſt annexum, & ideo *jus ſpirituali annexum dicitur*. Ipſi autem fructus & proventus ſunt & manent aliquid mere temporale. 3. *Auctoritas Eccleſiæ*, vel Prælati Eccleſiaſtici, dictum jus officio ſpirituali annectentis, & ſic beneficium erigentis vel conſtituentis. 4. *Perpetuitas*, quæ duplex conſiderari poteſt, una reſpectu ipſius beneficii,

quod exigit durare perpetuo, ita ut non extinguatur cum morte beneficiati, ſed ut vacans alteri conferri debeat, altera reſpectu beneficiati, cui beneficium confertur in titulum perpetuum, atque ita ſtabiliter, ut pro libitu & abſque cauſa in jure expreſſa ei auferri nequeat. Prior perpetuitas eſt neceſſaria juxta pleroſque, poſterior juxta communem, exceptis paucis, propter *c.ex parte 5.de Cler. ægrot.* Et propter defectum hujus perpetuitatis proprie & ſtricte beneficia non ſunt. 1. *Manualia*, quæ nimirum ita conferuntur, ut ad nutum conferentis, vel alterius Papa inferioris, auferri valeant: quibus opponuntur *Titularia*, quæ conferuntur in titulum perpetuum. 2. *Commenda temporalis*, quando adminiſtratio beneficii committitur alicui ad tempus, non in perpetuum. 3. *Vicaria temporalis*, quando ad tempus alicui committitur adminiſtratio Eccleſiæ Parochialis & cura animarum; per quam differt a commenda temporali. 4. *Capellania ſimplex*, h.e. obligatio dicendi certas Miſſas, quæ vel non eſt erecta auctoritate Epiſcopi, vel in titulum perpetuum non confertur: quæ autem auctoritate Epiſcopi eſt erecta, & in titulum perpetuum confertur, vocatur Capellania collativa. 5. *Penſio Clericalis*, quæ eſt jus percipiendi certos fructus ex alieno beneficio conceſſum alicui Clerico ad tempus, vel etiam ad vitam penſionarii, quo mortuo expirat. In materia tamen favorabili etiam iſta veniunt nomine beneficiorum. Ceterum ſolus Papa inſtituit beneficia majora & dignitates, item Canonicatus Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum: Minora autem, etiam curata, modo non habeant juriſdictionem in foro interno, Epiſcopus *can.* 3. *d.* 80.

3 Dico

3 Dico 2. Beneficium dividitur 1. in ſimplex, & duplex. *Duplicia* dicuntur, quæ peculiarem juris prærogativam habent adjunctam, puta juriſdictionem, adminiſtrationem, eminentiam, curam animarum: ex quibus aliqua vocantur *majora*, uti ſunt primæ dignitates, Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, Patriarchatus, & Cardinalatus, & in odioſis non veniunt nomine beneficiorum; alia *media*, quæ ſunt dignitates inferiores, uti Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Præpoſituræ, Decanatus, Vicariatus Generalis, Abbatiæ Sæculares & Regulares; Provincialatus &c. *Dignitas* proprie & ſpecifice accepta eſt beneficium, quod præeminentiam una cum juriſdictione fori externi habet annexam, uti Vicariatus Generalis, Abbatiæ &c. *Officium* vero dicitur, quod habet annexam rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem ſine præeminentia & juriſdictione, quale habent cuſtos, Sacriſta. *Perſonatus* autem appellatur, qui competit præeminentia ſeu præcedentia, v. g. in Choro, & Proceſſionibus, ſine juriſdictione, & adminiſtratione, uti Senioratus, Præpoſitura, & Scholaſteria in Eccleſiis Germaniæ multis tam Cathedralibus quam Collegiatis. Alia demum ſunt *infima*, quibus nimirum annexa eſt juriſdictio in foro tantum interno, ſeu cura animarum, conſiſtens in obligatione adminiſtrandi Sacramenta, & Verbum Divinum, atque hinc appellantur *Curata*, uti Parochiæ, Plebanatus, Vicariæ perpetuæ. Proin *Simplicia* erunt, quæ hujuſmodi juris qualitate non ſunt affecta, uti Capellaniæ collativæ, & Canonicatus, qui tamen Canonicatus, præſertim in Eccleſiis Cathedralibus, vocantur *Simplicia majora*.

Dividitur 2. In *Sæculare*, quod Clericis Sæcularibus, h. e, nullius Religioſi Ordinis Regulam

profeſſis; & in *regulare*, quod regularibus conferri debet vel ex fundatione, vel conſuetudine, vel 40. annorum præſcriptione. In dubio, an ſit Sæculare, ſpectandus eſt ultimus ſtatus per *c* 24. *de elect. c.*19. *de jur.patr.* ſi neque de hoc ſatis conſtet, præſumitur eſſe ſæculare, conſequenter titulare & perpetuum; nam regularia per ſe ſunt tantum manualia. Dividitur 3. in *collativum*, ſeu liberæ collationis, ad quod collator pro libitu aſſumit Clericum: in *electivum*, quod prævia electione a majori parte ſuffragantium obtinetur per confirmationem vel admiſſionem Superioris: & in *Patronatum*, ſeu *Mixtum*, quod prævia præſentatione Clerici a Patrono facta acquiritur per inſtitutionem præſentati. 4. Denique aliqua beneficia dicuntur *compatibilia*, alia *incompatibilia*. Illa ſe compatiuntur in eadem perſona, iſta non.

4 Dico 3. Plura beneficia compatibilia ab eodem Clerico obtineri & retineri ſimul poſſunt. Quia nec jus nec ratio obſtat.

5 Dico 4. Plura incompatibilia ab uno eodemque Clerico obtineri, vel ſaltem retineri ſimul nequeunt. Textus clari in *c.* 5. 7. 14. 17. 28. *b.t. Clem.*3. *& extrav.execrabilis Jo: XXII. eod. c.*9 *de conceſſ. præb. c.*1. *de conſuet.in* 6. *Trid. ſ.*7. *c.*4. *& ſ.*24. *c.*17. *de ref.* Pro majori declaratione notandum, aliqua beneficia eſſe *ſuapte natura*, nimirum vel ratione reſidentiæ, vel ſervitii incompoſſibilis, incompatibilia, uti duo beneficia curata, duæ dignitates, duo perſonatus, duo Canonicatus, in quibus viget Tridentini diſpoſitio, reſidentiam 9. menſium exigentis; quia ſingula hæc beneficia requirunt reſidentiam moraliter perpetuam, adeoque incompoſſibilem; ſic quoque duo beneficia uniformia ſub eodem tecto, ſeu idem officium eodem tem-

po-

pore & in eodem loco requirentia, uti duo Canonicatus in eadem Eccleſia, quæ capellaniæ ejuſdem obligationis eodem altari (cum nemo poſſit ſimul bis pſallere, vel idem ſervitium eodem tempore & loco bis præſtare) ſunt incompatibilia ex natura ſua. Alia autem ſunt tantum incompatibilia *ex accidenti*, & *diſpoſitione juris*, nimirum illa, quorum quodlibet præbet congruam ſuſtentationem. Trid. *ſ.* 24. *c.*17. *cit.* ubi prohibet eidem Clerico plura hujuſmodi beneficia conferri, quamvis permittat habenti unum non ſufficiens ad congruam aliud ſimplex ſufficiens conferri. Rurſus alia dicuntur incompatibilia primi generis, alia ſecundi generis. *Primi generis* ſunt, quæ ex juris diſpoſitione inter ſe pugnant, ut plene obtento ſecundo (h. e. etiam quoad poſſeſſionem, eamque pacificam & frugiferam *c.* 26. *h. t. in* 6. *Clem. & extrav. cit.*) ipſo jure amittatur, & vacet primum, & ſiquis non dimittat ſtatim in manibus Superioris primum, ipſo jure amittat etiam ſecundum quoad titulum, non vero quoad poſſeſſionem; quia amiſſio ſecundi eſt pœna retentionis indebitæ primi, quæ non incurritur ante ſententiam Judicis; talia ſunt duo beneficia curata, duæ dignitates, duo perſonatus, duo officia, & juxta pleroſque etiam duo beneficia uniformia ſub eodem tecto, quæ diximus eſſe incompatibilia per ſe & ex natura ſua. Atque de his ita diſpoſuit. *Extrav. cit.* & Trid. *l. c.* Econtra *ſecundi generis* incompatibilia ſunt, quæ quidem obtineri & ſimul retineri non poſſunt, ex nulla tamen juris diſpoſitione obtento ſecundo vacat ipſo jure primum, licet, ſiquis utrumque pergeret retinere, per ſententiam cogendus eſſet, ut alterutrum dimittat *c.*1. *de conſuet. in* 6. *c.* 7. *c.* 14. & *c. de multa* 28.

Trid. *ſ.*24. *c.*17. *cit.* qualia ſunt, quorum quodlibet præbet congruam ſuſtentationem, ſive ſint duo beneficia ſimplicia: ſive beneficium ſimplex & dignitas, perſonatus, beneficium curatum: ſive duo Canonicatus: imo & duo Canonicatus, incompoſſibilem reſidentiam exigentes, licet ſinguli non ſufficerent ad congruam.

6 *Objic.*1. In *c.*1.7. 14.28. *cit.* etiam obtento altero beneficio curato, dignitate, perſonatu &c. non ipſo jure dicitur vacare primum, ſed eo, vel alterutro privandum eſſe obtinentem, qui utrumque volebat retinere: ergo. 2. Trid. *ſeſſ.*7. *c.*4. *de ref.* generaliter ſtatuit de omnibus beneficiis incompatibilibus, Clericum, qui ea recipere & ſimul retinere præſumpſerit, ipſo jure privatum eſſe his beneficiis, dum ait, *quicumque de cetero plura curata, aut* NB. *alias incompatibilia &c.* ergo omnia ſunt incompatibilia *primi generis*. 3. In *d. extrav.* §. *ſtatuimus* conceditur menſis ad dimittendum alterutrum beneficium, & in Trid. *ſ.* 24. *c.* 17. *cit.* ad id conceduntur 6. menſes: ergo primum non ſtatim vacat obtento ſecundo. R. ad 1. Jus illud antiquum fuit exaſperatum a recentiore *in cit. extrav. & Trid.* Ad 2. pro to *alias incompatibilia* intelliguntur ea, quæ de jure antiquo, præſertim *c.*28. *h.t.* ad quod ſe refert Trident. Synodus, ita fuerunt incompatibilia, ut per ſententiam debuerit alterutrum auferri, qualia non ſolum fuerunt duo beneficia curata, ſed etiam duæ dignitates, perſonatus, officia, non vero quorum ſingula ſolum præbebant honeſtam ſuſtentationem &c. Deinde per to *alias incompatibilia* poſſunt intelligi alia æque aut magis incompatibilia, nempe ratione ſervitii incompoſſibilis, uti ſunt uniformia ſub eodem tecto. Ad 3. *extrav.* §. *ſtatuimus cit.* loquitur de

de illo tempore, quo fuit edita: ait in §. *ſi vero deinceps* ſubſequenti pro futuris temporibus præcipit primum dimitti *abſque moræ diſpendio*. Pariter Trid. addidit, *in præſenti*, adeoque loquitur de tempore, quo habitum eſt Conc. *in ſ. 7. c. 4. de ref.* autem illimitate in futurum decernit privationem ipſo jure, conſequenter dimiſſionem primi ſtatim faciendam; cum nemo poſſit retinere rem non ſuam.

7 Quæres an ad plura beneficia incompatibilia ſimul obtinenda & retinenda aliquid poſſit diſpenſatio Pontificis, vel conſuetudo. R. 1. Diſpenſatio Pontificis habet locum, ſi juſta adfuerit cauſa *c. 1. & c. 28. citt.* cauſæ juſtæ autem ſunt 1. neceſſitas Eccleſiæ, ſi pro ſingulis beneficiis non reperiantur idonei Miniſtri. 2. Utilitas Eccleſiæ (non beneficiati) ſi nempe unus plus credatur prodeſſe fidelibus ſua prudentia, induſtria, potentia, quam plures alii, ex quo capite plures in Germania Epiſcopatus conceduntur Principum filiis, quia Eccleſias efficacius poſſunt defendere contra inſolentiam Hæreticorum. 3. Singularia alicujus merita in Eccleſiam; *qui enim præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina* 1. *Tim. 5.* quo etiam referri poteſt eminens alicujus doctrina, vel generis nobilitas. Sic etiam Fundator poteſt velle, ut uni conferantur plura beneficia a ſe fundata. Leurenr. *p. 3. q. 73. n. 1.* R. 2. Forte etiam conſuetudo ſufficiet, ut Papa inferior poſſit eidem conferre plura beneficia, præſentim incompatibilia propter reſidentiam, quia hanc tollere vel reſtringere eſt in poteſtate Eccleſiæ, & incompatibilia ratione ſuſtentationis, quam præbent ſingula ſufficientem; ubi nimirum intervenit juſta cauſa. Procedit hoc maxime, ubi conſuetudo immemorialis

invaluiſſet; quia juxta *c. 26. de V. S. c. 9. de off. ord. in 6.* & ibi DD. quidquid per privilegium eſt obtinibile, etiam eſt obtinibile per conſuetudinem immemorialem.

8 *Obj.* 1. Pluralitas beneficiorum eſt contra jus naturale, non modo incompatibilium ex natura ſua, videlicet ob reſidentiam vel ſervitium incompoſſibile in una eademque perſona, ſed etiam eorum, quæ præciſe ſunt incompatibilia ratione ſuſtentationis; quia procedit ex radice ambitionis & avaritiæ *c. 1. de conſuet. in 6.* & per eam imminuitur cultus Divinus, læditur charitas, & juſtitia diſtributiva, dum unus abundat, alter eget, unus ebrius eſt, & alter eſurit. Sed contra jus naturale nihil valet diſpenſatio etiam Pontificis, vel conſuetudo: ergo. 2. In *dicto c. primo* conſuetudo etiam immemorialis, vi cujus plura ab eodem beneficia obtinentur & retinentur, reprobatur *ut corruptela*: ergo ſaltem conſuetudo non poteſt tribuere inferioribus Papa facultatem diſpenſandi vel uni plura beneficia concedendi. R. ad 1. *diſt. ma.* eſt contra jus naturale abſolutum, & pro qualibet hypotheſi, & omnibus circumſtantiis. N. *ma.* contra jus naturale in theſi tantum, & conditionatum, niſi juſta cauſa aliud exigat, vel ſaltem permittat, evacuando turpitudinem. *C. ma.* ſi talis adſit cauſa, Papa diſpenſat, vel declarat, uti & conſuetudo jus naturale non dari; ſicut de obligatione reſidendi in beneficiis curatis diximus *tit. præc.* Ad 2. In *d. c. 1.* reprobatur conſuetudo tanquam corruptela ſolum tunc, quando juſta cauſa eam non honeſtat vel reddit rationabilem, & quæ *de ambitionis radice proceſſerit*, ut loquitur textus: alias nec Summus Pontifex diſpenſare poſſet quod tamen ibi ipſi conceditur, in plura-

ralitate beneficiorum. Dein textus loquitur tantum de certa pluralitate, nempe duorum perſonatuum, dignitatum, officiorum, non de omni, v. gr. duorum ſimplicium, congruam ſuſtentationem præbentium, & Canonicatuum, ratione reſidentiæ jure poſitivo requiſitæ, & incompoſſibilis, in quibus maxime conſuetudini vim tribuimus. Ceterum conſuetudini hac in re graviter ſe opponunt multi Doctores propter pericula abuſuum, & alias cauſas, ideo in reſponſione addidi *forte*; cum difficulter reddatur rationabilis.

9 Dico 5. Unio beneficiorum (vel Eccleſiarum) eſt duorum vel plurium beneficiorum a legitimo Superiore facta annexio. Fieri poteſt tribus modis. 1. *æque principaliter*, quando ex duobus beneficiis fit unum, ſed ita, ut neutrum beneficium (vel Eccleſia) amittat ſuam naturam, titulum, qualitates, & prærogativas, ac neutrum ſubjiciatur alteri, unum tamen acquirant Rectorem, in quo communicantur, non inter ſe. 2. Et frequentius, *acceſſorie*, & ita ut beneficium minus dignum annectatur & adhæreat digniori tanquam acceſſorium principali, v. g. ſi Parochia uniatur Canonicatui, Præpoſituræ, Abbatiæ &c. & hoc caſu beneficium acceſſorie unitum quaſi extinguitur quoad titulum, aſſumit qualitates & prærogativas beneficii principalis, proinde nunquam vacat in ſe & per ſe, ceſſatque in eo jus patronatus & jus conferendi: taliter unitæ Eccleſiæ vocantur *filiales*, & altera, cui uniuntur *mater*. Atque hæc unio propriiſſime eſt unio beneficialis. Leuren. *p.3. q.*879. *n.*1. & in dubio præſumitur iſta. 3. *Quoad temporalia* tantum h. e. quoad reditus, decimas &c. ad aliquam Eccleſiam pertinentes, quæ tribuuntur Monaſterio, vel Collegio &c. Et hæc unio nec extinguit benefi-

cium, nec illud ſubjicit Prælato vel Rectori Monaſterii vel Collegii ita ut unus ſit Rector beneficii taliter uniti, & Collegii. Si tamen, ut ſæpe contingit, beneficium, v.g. Parochiale, uniatur Monaſterio, Collegio, Capitulo Eccleſiæ Cathedralis vel Collegiatæ, &c. quoad *temporalia & ſpiritualia* ſimul, dicitur beneficium vel Eccleſia pleno jure incorporata, & Prælatus Monaſterii fit beneficiatus vel Parochus principalis, curam tamen animarum & adminiſtrationem beneficii incorporati non exercet per ſe, ſed per Vicarium a ſe præſentatum, at ab Epiſcopo approbandum & inſtituendum. Si vero incorporaretur beneficium vel Eccleſia non tantum quoad temporalia & ſpiritualia ſimul, ſed etiam populus in ſpiritualibus eximeretur a juriſdictione Epiſcopi, & Prælato Monaſterii, &c. ſubjiceretur, vocatur talis Eccleſia *pleniſſimo jure incorporata*, Prælatus verò habet in tali diſtrictu, tanquam in parvula diœceſi, *juriſdictionem quaſi-Epiſcopalem*. Et hæc unio vel incorporatio eſt rara; qualem tamen habere dicitur Monaſterium & Abbas Princeps Sangallenſis in Helvetia.

10 Dico. 6. Unire perpetuo (non ad tempus, quæ unio ſpectat præciſe favorem beneficiati, & eſt quaſi diſpenſatio. Trid. *ſ.7. c.4. de ref.*) Beneficia & Eccleſias ſibi ſubjectas regulariter poteſt Epiſcopus. 2. Et ſuo modo Capitulum Sede vacante. 3. At non menſæ Epiſcopali aut Capituli. 4. Nec ſine juſta cauſa prius cognita, qualis eſt evidens Eccleſiæ vel neceſſitas vel utilitas, ut ſi beneficia ſint adeo tenuia, ut inde duo ſuſtentari nequeunt, vel alias tam idonei Miniſtri non habeantur demum 5. nec ſine conſenſu eorum, quorum intereſt. Pars 1. ſumitur ex *c.8. de exceſſ. Præl.* Pars 2. ex *c.un. de major. in 6.* modo Capitulum non uniat in

præ-

præjudicium juris Epiſcopalis. Pars 3. ex *Clem.* 2. & ibi gl. *de rebus eccl. alien.* quia præſtarent auctoritatem in facto proprio, & quaſi in propria cauſa jus dicerent. Pars 4. ex Trid. *ſeſſ.* 7. *c.* 6. *de ref.* & *c.* 33. *h.t.* Pars 5. partim ex illis Juribus, quæ prohibent alienationem rerum & jurium eccleſiaſticorum ſine conſenſu Capituli; proin, quia unio beneficiorum eſt quædam alienatio, ad eam opus habet Epiſcopus conſenſu Capituli: partim ex ratione, quia in præjudicium tertii non debet fieri unio; proin, ſi unire vellet Epiſcopus beneficium patronatum, vel collativum, deberet requirere conſenſum patroni, vel collatoris, item, ſi vacat, defenſoris, ſi non vacat beneficium uniendum, poſſeſſoris. *Clem. & Trident. citt.* Si tamen adeſſet evidens unionis neceſſitas, defenſor & poſſeſſor ſolum audiendi eſſent, licet non conſentirent. Adde, quod poſſeſſori non fieret præjudicium, quia ante ejus obitum unio non habet effectum. Interim hodie prohibetur Epiſcopus unire beneficia unius diœceſis cum beneficiis alterius; beneficia curata & Eccleſias Parochiales Monaſteriis, Dignitatibus, Hoſpitalibus, Præbendis Eccleſiæ Cathedralis vel Collegiatæ, aut beneficiis ſimplicibus: item collativa patronatis. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 9. *ſeſſ.* 24. *c.* 13. *ſeſſ.* 25. *c.* 9. *de ref.*

11 Dico 7. Diſmembratio beneficii eſt ejus diminutio, dum ſalva unius unitate & titulo pars fructuum, quibus abundat, applicatur alteri. Fieri itidem poteſt ab Epiſcopo, at non ſine juſta cauſa neceſſitatis vel utilitatis, & ſine conſenſu Capituli. Communis ex *c.*10. *h.t. c un.* §. *fin. ut benef. Eccl. ſine diminut.* quia eſt vera alienatio rei vel Juris eccleſiaſtici.

12 Dico 8. Diviſio ſeu ſectio beneficii, quæ oppo-

ponitur unioni, eſt, quando ex uno fiunt duo vel plura, itaut diviſis fructibus impoſterum duo vel plures inſtituantur beneficiati. Eſt rurſus permiſſa Epiſcopo ex juſta cauſa & cum conſenſu eorum, quorum conſenſum requiri ad unionem diximus. Conſtat ex *c.* 8. 26. *h. t. c.* 3. *de Eccleſ. ædif.* & Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 4. *de ref.* Imo ubi neceſſitas urget, v. g. ſi parochiani ſine magna difficultate adire nequeant ſuam Eccleſiam Parochialem, & ſimul illa abundet ita reditibus, ut inde duo ſuſtentari poſſint, præcepta eſt Epiſcopo diviſio, *c.* 3. *cit.*

13 Dico 9. Suppreſſio beneficii eſt totalis extinctio illius. Conceditur iterum Epiſcopo ex juſta cauſa, quæ fere eſt ſola tenuitas & inſufficientia redituum, & cum conſenſu Capituli, *c.* 12. *de Conſtit.* Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 15. *de ref.*

§. II.

De collatione, ſeu reſervatione beneficiorum. Ubi de concordatis Germaniæ, & Annatis.

14 Videndum nunc, quibus, a quo, & quomodo conferenda ſint beneficia, cum regula ſit, *beneficium eccleſiaſticum non poſſe obtineri ſine inſtitutione Canonica*, *c.* 1. *de R. J. in* 6. hæc *Inſtitutio* vocatur quoque *Proviſio*, &, ſi fiat ſecundum ſacros Canones, *Canonica*; quæ triplex eſt. 1 *Inſtitutio* ſpecifice talis, quam præcedere debet præſentatio cleri idonei facta ab habente jus patronatus, de qua ad *tit.* 7. infra. 2. *Confirmatio* vel *Admiſſio* legitimi ſuperioris prævia electione vel poſtulatione, de qua in *lib.* 1. *tit.* 5. & 6. egimus. 3. *Libera Collatio*, ſeu *Collatio* ſpecifice acceptata, nullam præſuppονens præſentationem vel electionem, de qua hic,

hic. Interim a dicta regula ponemus in fine exceptionem, ubi dicemus, quod beneficium obtineri valeat etiam per præſcriptionem, adeoque ſine canonica inſtitutione. Cum vero Pontifex alia beneficia reſervet ſuæ collationi non ſolum in jure communi, ſed etiam in Regulis Cancellariæ, & in concordatis Germaniæ, etiam de his, quantum neceſſe eſt, tractabimus.

15 Dico 1. Beneficia ſunt conferenda dignis; alias collatio non valet. Conſtat hæc aſſertio, quæ complectitur omnes tres ſpecies inſtitutionis Canonicæ, ex *c. 7. 22. X. & c. 14. de elect. in 6. c. 1. de inſtitut. in 6. c. 7. de Cleric. excomm.* Dignus autem cenſetur eſſe, qui habet qualitates a Jure præſcriptas, nempe debitam ætatem, ordinem, legitimos natales, competentem morum probitatem, & ſcientiam, caretque cenſura excommunicationis &c. vel alio impedimento, de quibus vid. *tit. de electione: & de ætate & qualit. &c. in lib. I.* Religioſi hodie probabilius ſunt incapaces obtinendi beneficium ſæculare, etiam Parochiale, niſi pleno jure ſit ipſorum Monaſteriis incorporatum. Vincent. Petra *to. 2. Comment. ad Conſtit. Apoſtol. ſect.* 1. teſtans de communi. Sumitur ex *c. 9. de regular.* & Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 11. *de ref.* ut explicato per declarationem S. Congreg. approbatam a Gregor. XIII. & 8. Julii 1581. editam, atque ex hac communi beneficialiſtarum Regula: *Beneficia ſæcularia ſæcularibus, regularia regularibus conferenda ſunt.*

16 Dico 2. Beneficia, ſaltem curata, *dignioribus* conferenda ſunt, alias collatio vel proviſio, licet valida ſit, tamen illicita eſt, ſaltem ſi unus certo & notabiliter ſit dignior ex Candidatis. Trid. *ſeſſ. 6. c.* 1. *& ſeſſ* 24. *c.* 1. *&* 18. *de reform.* & oppoſitum damnavit In-

noc. XI. propoſitione 47. inter confixas. Ratio, quia beneficia curata ſunt inſtituta pro ſavore Eccleſiæ & animarum, quibus, quantum fieri poteſt, maxime conſulendum. Et quamvis Trid. *c.* 18. *cit.* ubi id decernit de inferioribus Curatis, loquatur de promovendis ad beneficia parochialia per *Concurſum*, ſeu ſpeciale examen, ad quod vocandi ſunt vel admittendi, qui beneficium prenſant, recte tamen communiter extenditur ad alias quoque collationes, quæ non prævio Concurſu, quia forte in uſu non eſt, fiunt. Dignior autem cenſendus eſt, qui in requiſitis qualitatibus competitores ſuperat, vel potius, uti Trid. declarat, qui penſatis omnibus *utilior* futurus creditur Eccleſiæ & animarum bono, ac aptior ad miniſterium ratione Prælaturæ vel beneficii peragendum.

17 Dico 3. Papa de Jure communi habet ampliſſimam poteſtatem conferendi beneficia eccleſiaſtica, & quidem omnia per totum mundum, licet hac plenitudine poteſtatis uti non ſemper ſoleat, *c.* 2. *h. t. in 6. Clem.* 1. *in fin. Ut lite pend.* quia eſt Ordinarius Ordinariorum, & univerſali juriſdictione potitur. Conferre autem poteſt quadruplici jure. 1. *Jure præventionis*, dum nempe præveniendo vacationem beneficii vel in *forma pauperum*, vel in *forma dignum*, vel in forma *commiſſoria* mandat illud conferri a collatore ordinario, aut ipſe ex tunc jam confert, poſtquam vacaverit, aut dat *gratiam expectativam* ad beneficium vacaturum. 2. *Jure concurſus*, vi cujus tanquam Epiſcopus univerſalis concurrit cum omnibus collatoribus inferioribus quoad beneficia actu vacantia, & tunc datur locus præventioni, ac illius collatio valet, qui prior contulit. Et talis concurſus de Jure communi competit etiam Legatis

Apo-

Apoſtolicis, *c. 6. x. & c. 1. & 3. de Legat. in 6.* Verum ſicut ipſe Pontifex ob ſpecialia concordata non amplius utitur hoc jure in Germania, ita nec Legati ipſius poſſunt, ſed relinquitur ordinariis collatoribus libera poteſtas privative conferendi beneficia, Papæ non reſervata in prædictis concordatis Germaniæ. 3. *Jure devolutionis*, vi cujus confert illa beneficia, quæ propter aliquam cauſam, ut ſi inferiores debito tempore non contulerint, vel indignis, devolvuntur ad Pontificem, de qua devolutione differemus ad *tit. 8. de conceſſ. præb.* infra. 4. *Jure reſervationis*, vi cujus confert certa beneficia, quæ ſuæ collationi privative reſervavit, de qua hic maxime agemus. Jure *Præventionis* & jure *Concurſus* in Germania fere non utitur Pontifex, ne inferiores collatores, quibus vel ex privilegio vel ex concordatis competit jus conferendi, occaſionem ſumant conquerendi, vel ne diffidia & alia incommoda oriantur.

18 Dico 4. Reſervatio beneficiorum Papalis eſt avocatio beneficii vacaturi a collatore ordinario ad Pontificem. Dividitur in *continuam* ſeu *fixam*, quando collationem ſibi reſervat Papa pro omni loco & tempore, ac in *diſcontinuam* ſeu *eventualem*, quando ſibi reſervat tantum pro caſu, quo beneficium vacare incipit in certo loco, v. g. in Curia Romana, vel certo tempore, v. g. certis menſibus. Alia quoque dicitur *clauſa in corpore Juris*, qualis reperitur unica in *c. 2. 3. 34. h. t. in 6.* ubi reſervantur vacantia *apud Sedem Apoſtolicam*, ſeu *in Curia Romana*, quæ nimirum vacare incipiunt ibi, ubi vel exiſtit Pontifex cum ſua curia, vel Pontifex ſine curia, vel ſine Pontifice curia illius, ſeu Cancellaria, tribunalia, & ordinarii conſiliarii ac officia-

officiales Pontificii. Afficit hæc reſervatio non ſolum Curiales, ſeu qui ſunt de curia Pontificis, ſed etiam alios ibi decedentes, imo extenditur etiam ad locum Papæ vel curiæ vicinum, h. e. non diſtantem ultra duas diætas, quarum quælibet complectitur 20. leucas, quarum ſingulæ habent 1000. paſſus, & conficiunt 4. plena milliaria Germanica: ſi igitur in tali vicinia moriatur beneficiatus, accedens vel recedens a Sede Apoſtolica vel Curia Romana, beneficium illius reſervatur Pontifici: durat hæc reſervatio non ultra menſem a die vacationis inductæ. Aliæ autem omnes dicuntur *non clauſæ in corpore juris*, ut quæ extant in *Extrav. Execrabilis* 4. *Jo: XXII. & extrav. Ad regimen.* 13. *int. com. h. t.* Item quæ produntur in *Regulis Cancellariæ*, & in *Concordatis Germaniæ*. Vicina reſervationi eſt *Affectio* beneficii, quæ fit per appoſitionem manus a Pontifice factam, de qua in *extrav. ult. eod.* quando nimirum Papa aliquando cœpit diſponere de aliquo beneficio in ordine ad illud conferendum, & ſic tacite ac ipſo facto ſuæ collationi reſervare cenſetur; per quod differt a reſervatione, quod hæc fiat verbis, illa facto, item quod affectio ceſſet, ſi Pontificis collatio ſemel conſecuta eſt effectum, reſervatio autem duret, quotieſcumque vacaverit beneficium. Ex quibus apparet, quid ſit beneficium *Reſervatum*, & quidem beneficium *Affectum*. Porro *effectus* tam reſervationis quam affectionis eſt, quod beneficium reſervatum vel affectum ab inferiori collatore conferatur invalide, atque omnia reduci debeant ad ſtatum priorem; cum inferiori ligatæ ſint manus, *c.* 2. 13. *h. t. in* 6. *arg. c.* 1. *&* 2. *de Confirm. ut.* Quod verum eſt, etſi reſervationi non ſit appoſitum decretum irritans: licet non afficiat ignorantem, ſed valeat

valeat collatio inferioris, qui ignorat reſervationem, ſine clauſula irritante factam; econtra ſi reſervationi appoſitum ſit decretum irritans, etiam afficit ignorantem collatorem, inficit titulum, & vitiat poſſeſſionem ita ut, ſi proviſus ſpoliatur poſſeſſione, non poſſit agere de ſpolio. Chokier *in reg.* 1. *Cancell. n.* 18.

19 Dico 5. Beneficia Pontifici reſervata in Germania non ſunt alia, quam quæ in concordatis Germaniæ ſpecificantur. Chokier *ad reg. Cancell.* 1. *n.* 22. eo quod in iiſdem Papa diſerte promiſerit, quod *per quamcumque aliam reſervationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam diſpoſitionem, ſub quacumque verborum forma factam vel faciendam* impedire nolit liberam collationem Ordinariorum. Quare non eſt neceſſe reſervationes alias, vel ante concordata in *extravagantibus Jo: XXII. & communibus* aut in *Regulis Cancellariæ*, vel poſt illa in *aliis Bullis* factas aut faciendas, in quibus non expreſſe derogatur dictis concordatis, operoſe & fruſtra adducere in Germania. *Concordata Germaniæ* autem de quibus hic, ſunt pacta a Nicolao V. Summo Pontifice cum Friderico III. Imperatore, aliiſque Principibus Germaniæ tum eccleſiaſticis tum ſæcularibus inita, & per ſpecialem Bullam, quæ incipit, *Ad Sacram Petri Sedem*, anno 1448 confirmata, ad tollendas difficultates & controverſias plurimas, ratione collationis beneficiorum ortas. In his Papa permittit liberas electiones prælatorum in Archiepiſcopalibus, Epiſcopalibus, & Regularibus Eccleſiis, ita tamen, ut electorum confirmatio (niſi ſint Prælati Regulares non exempti) petatur a Papa, ac inſuper liberam indulget collationem omnium beneficiorum ordinariis collatoribus, quæ in Concordatis ſibi

non

non reſervat vel perpetuo, vel alternative in certis menſibus vacantia: ac inſuper a quibuſdam beneficiis exigit annatas.

20 Quæres, quæ ergo beneficia in concordatis ſunt reſervata; R. Multa. 1. Quæ vacant apud Sedem, de quibus paulo ante. 2. Quæ vacant per acquiſitionem dignitatis, perſonatus, vel alterius beneficii, aut officii ita incompatibilis, ut obtento ſecundo vacet ipſo Jure primum. Et hæc reſervatio ſtatuitur etiam in *Extrav. Execrabilis* 4. *Jo: XXII.* an vero utrumque ſit reſervatum, diſputatur; probabile eſt, quod ſolum ſecundo obtentum, quod quis nititur retinere cum primo. 3. Prælaturæ & Epiſcopatus vacantes per obitum Cardinalis. 4. Prælaturæ, dignitates, & omnia beneficia, quæ vacant per depoſitionem, privationem (interveniente ſententia Pontificis) vel translationem auctoritate Apoſtolica factam. 5. Epiſcopatus vacans per renuntiationem liberam, a Papa acceptatam. 6. Prælaturæ, dignitates, & beneficia, ad quæ quis electus vel poſtulatus eſt, ſi electio vel poſtulatio fuit rejecta a Pontifice, vel renuntiatio talis Prælaturæ &c. a Pontifice admiſſa. 7. Dignitates & beneficia eorum, qui auctoritate Apoſtolica immediate promoti ſunt ad Epiſcopatus, dignitates; ubi tamen excipiuntur Epiſcopatus Titulares: quatuor Epiſcopatus, quos confert Archiepiſcopus Salisburgenſis, nempe Gurcenſis, Chiemenſis, Seccovienſis, & Lavantinus. Item excipiuntur beneficia per gratiam expectativam Papalem obtenta: & obtenta per preces primarias Imperatoris imo probabiliter etiam beneficia, quæ electus in Epiſcopum ante obtentam Confirmationem a Sede Apoſtolica reſignat in manus ordinarii collatoris; quia concordata loquun-

quuntur *de promotis*; complete autem promotus non eſt, qui necdum confirmatus. Eodem modo excipiuntur beneficia, quæ promotus ad Epiſcopatum retinuit ex diſpenſatione Pontificis, & poſtea vacant per ejus mortem; quia concordata loquuntur de beneficiis vacantibus per *promotionem*; quo modo non vacant hæc beneficia, ſed per mortem. 8. Beneficia, quæ vacant per obitum certorum Officialium Papæ, nimirum, Vice-Cancellarii, Camerarii, ſeptem Notariorum, Auditoris litterarum contradictarum, Auditorum cauſarum Palatii, 24. Pœnitentiariorum Apoſtolicæ Sedis, Abbreviatorum 25. Capellanorum ejuſdem Sedis, qui in Albo Curialium deſcripti ſunt, & commenſalium verorum Papæ, ſi moriantur, dum actu habent prædicta officia. 9. Beneficia auctoritate Litterarum Apoſtolicarum immediate collata. Atque hæ reſervationes *a num.* 3. allatæ comprehenduntur omnes etiam in *Extravag. Ad Regimen*. 13. *int. Comm.* ultimæ tamen duæ modificantur, & reſtringuntur aliquo modo a concordatis. 10. Dignitates majores poſt Pontificales in Eccleſiis Cathedralibus: & principales ſeu primæ in Collegiatis; ſive dein pro majori vel prima habeatur Præpoſitura, ut in plerisque Germaniæ locis, ſive Decanatus. Et hanc reſervationem etiam ſtatuunt *Regulæ Cancellariæ regul.* 4. Hinc, quia concordatis eſt inſerta, omnes Præpoſituræ tam Cathedralium quam Collegiatarum Eccleſiarum in Germania ſunt reſervatæ Pontifici. Excipiuntur Præpoſituræ Salisburgenſis & Auguſtana Cathedrales, etiam Elvacenſis principalis, quæ ex privilegio ſunt Electivæ, electus tamen a Pontifice eſt confirmandus: item Præpoſituræ Eccleſiarum

Col-

Collegiatarum in Bavaria, ad quas itidem ex privilegio nominat Sereniſſima Domus Bavarica. 11. Demum reliquæ dignitates & beneficia pro alternis menſibus, nempe Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri, Novembri, ſi vacent in his menſibus, libera autem collatione relicta ordinariis collatoribus pro reliquis 6. menſibus, Februario, Aprili, Junio, Auguſto, Octobri, & Decembri. Quamvis autem hæc alternativa collatio etiam reſervetur in *Regulis Cancellariæ reg. IX.* quæ olim fuit *VIII.* plus tamen conceditur in *Concordatis*; nam in illis ſolum indulgebatur Epiſcopis, iiſque actu reſidentibus, alternare cum Pontifice, in iſtis vero omnibus collatoribus ordinariis, licet Epiſcopi non ſint, vel actu non reſideant. Porro Papa ſuos menſes ſubinde etiam aliis concedit: ſic Sereniſſimæ Domui Bavaricæ competit jus præſentandi ad Parochias alternativas, in menſibus Papalibus vacantes, ſive ex privilegio ſpeciali Pontificis, ſive, ut loquuntur ſpecialia *Concordata Bavariæ*, ex præſcriptione. Sed circa hanc reſervationem.

21 Dico 6. Alternativæ collationi ſubjacent dignitates omnes, & beneficia quæcumque, curata & non curata, conſequenter & officia ac adminiſtrationes, cum vere ſint beneficia. Communis ex Concordatis citatis. Excipiuntur tamen 1. omnia beneficia & dignitates perpetuo reſervatæ Pontifici in dictis concordatis, & jam ſunt recenſitæ. 2. Beneficia manualia, & quæ ſupra diximus eſſe improprie beneficia. 3. Regularia, quæ ad nutum prælati regularis ſunt auferibilia. 4. Electiva, quia hæc pro ſemper relicta ſunt liberæ electioni capitularium. 5. Patronata, modo ſint juris patronatus laici, & quidem obtenti non per privilegium &c. ſed ex

fun-

fundatione, dotatione, vel conſtructione Eccleſiæ; cum Pontifex patronatui laico non cenſeatur derogare, niſi clare exprimat. Procedit, etſi eccleſiaſticus ſimul cum tali laico ſit patronus, itaut nec eccleſiaſtico ſuum jus præſentandi auferatur, eo quod æquius ſit, ut privilegiatus trahat ſecum non privilegiatum, quam ut privilegiatus propter ſocietatem alterius amittat ſuum privilegium. *6.* Beneficia, quæ conferuntur per concurſum, uti parochialia deberent per ſe juxta Trident. *7.* Acceſſorie unita, v. g. menſæ Epiſcopali, Capitulari, Monaſterio &c. quia quoad titulum ſunt extincta, & proprie non vacant. 8. Vicariæ perpetuæ (quando nimirum Eccleſiæ Parochiales non acceſſorie, ſed æque principaliter ſunt unitæ Monaſteriis, Collegiis &c.) juxta *Conſtitut. Ad exequendum* S. Pii V. *9.* quæ vacant per reſignationem puram & expreſſam quocumque menſe factam in manibus Ordinarii, quia in regulis Cancellariæ permiſſum eſt Ordinariis talia conferre beneficia, in concordatis autem abſtrahitur: ergo cum nationis Germanicæ conditionem per concordata non duriorem facere voluerit Pontifex, ſed favorabiliorem, quam ſit aliarum nationum, alternativæ non cenſendus eſt ſubjeciſſe beneficia taliter reſignata: & concordata, cum aliud non exprimant, debent intelligi ſecundum regulas Cancellariæ tanquam Jus commune. Demum *11.* Beneficia parochialia & curata, quæ quidem vacant in menſe, qui pertinet ad collationem Papæ, at Sede Papali vacante, vel quando a Papa, cum adhuc viveret, collatio non eſt facta; tum quia reſervatio horum beneficiorum, caſu quo vacant apud Sedem, Sede vacante, vel a vivente Papa non ſunt collata, non videtur ſtatuta, ex ratione,

ne

ne ex longiori vacatione ſalus animarum periclitetur, *c. 3. 35. h. t. in 6.* quæ ratio etiam pugnat pro caſu, quo vacant extra Curiam, & non apud Sedem, Sede vacante &c. tum quia hæc beneficia (uti & non curata, ad quæ proin probabilius fit extenſio) menſe quidem Papali, at Sede Papali vacante, vacantia, in Regulis Cancellariæ ratione menſium non ſunt reſervata, ut docent communiter: ergo nec ſunt reſervata vi concordatorum; quia, ut jam inſinuatam Papa in concordatis non voluit duriorem facere conditionem Germanis, nec augere, ſed mitigare reſervationes Regularum Cancellariæ. Id quod in multis Epiſcopatibus confirmat praxis, præſertim quoad beneficia Curata, vi cujus indifferenter conferri ſolent ab Epiſcopis, in quocumque menſe, Sede Papali plena vel vacua, vacantia.

Objic. Pacta & concordata non extinguuntur morte paciſcentium: ergo reſervationes in concordatis durant etiam vacante Sede, præſertim cum non ſit paritas cum Regulis Cancellariæ; nam illa ſunt perpetua, iſtæ autem ſolum durant, quamdiu vivit Papa, & electo novo iterum reſtaurari debent. R. *diſt. conſ.* durant Sede vacante, quas voluit Pontifex durare. C. *conſ.* quas durare noluit, uti ſunt reſervationes menſium pro caſu Sedis vacantis propter allatam rationem. N. *conſ.* quod non impedit, quo minus perpetua ſint concordata, eo quod non indigeant nova reſtauratione, ſicut Regulæ Cancellariæ indigent.

22 Dico 7. Quando beneficium alternativum vacat in menſe Papali (qui incipit ad primum pulſum horæ duodecimæ noctis, ubi incipit v.g. Januarius, & finitur ad primum pulſum horæ 12. noctis ultimæ Januarii) debet collator ordi-

ordinarius in noſtra Germania expectare proviſionem Papæ per tres menſes. Text. & DD. in *Concordat.* §. *de Ceteris*, ibi: *quoties non apparuerit infra tres menſes, a die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de Apoſtolica auctoritate proviſum fuerit*. Sed notandum, quod juxta declarationem Greg. XIII. *in Conſt. Quæ in Eccleſiam*, 41. illa verba *non apparuerit* non ſint reducenda ad verba *in loco beneficii*, ſed iſta ad immediate præcedentia *notæ vacationis*. Unde DD. duo inferunt. 1. Trimeſtre Pontificis incipere currere non a tempore, quo innoteſcit vacatio Romæ, ſed quamprimum non ante, innoteſcit in loco beneficii. 2. Ordinarium collatorem non ſtatim poſſe (ſaltem abſolute) beneficium conferre, ſi poſt elapſum trimeſtre proviſus a Papa non appareat in loco beneficii; præfertur enim, ſi poſtea appareat proviſus a Papa, modo intra trimeſtre ſit facta proviſio. Quæ tamen Conſtitutio Gregoriana teſte Chokier & Zypæo apud La Croix *l.* 4. *n.* 517. minus obſervatur, utpote emanata non conſulta prius natione Germanica; nam Pontifex in dictis concordatis ſubnectit conceſſionem alternorum menſium deinceps perpetuo duraturam, *niſi in futuro Concilio NB. de conſenſu dictæ nationis* (Germanicæ) *aliter fuerit ordinatum*.

Ceterum quatuor adhuc notanda ſunt 1. Trimeſtre Pontificium non incipere ipſa die, qua innoteſcit vacatio in loco beneficii, ſed poſtera die, quia juxta *l.* 41. *ff. de V. O.* præpoſitio *a* excludit terminum *a quo* gl. in *c.* 3. *h. t. in* 6. *V. numerandum*, Chokier, & alii, 2. Si dubium ſit, an beneficium vacare cœperit in menſe Papæ vel Ordinarii, ut ſi prima Februarii reperiatur mane mortuus beneficiatus, ſtandum eſſe pro

Ordinario; quia habet intentionem fundatam in Jure, quamdiu non conſtat ipſi per reſervationem (quæ eſt odioſa) ligatas eſſe manus. 3. Prædictum trimeſtre Pontifici currere etiam Sede Papali vacante, & probabilius. 4. Licet proviſio Papæ non ſortita ſit effectum propter impedimentum proviſi, ob vel ſubreptionis &c. quia concordata ordinariis collatoribus tribuunt jus conferendi abſolute poſt lapſum trimeſtre; & paria cenſentur, *non providere*, ac *invalide providere l. quoties 6. ff. qui ſatisdare cog.* Contra hoc ultimum *Objic.* Beneficium, cui Pontifex aliquando manum appoſuit per invalidam collationem, fit *affectum*, & ſic tacite reſervatum ipſius collationi perpetuo, donec collatio ſortiatur effectum. *Extrav.* 14. §. *Romani h.t. int. comm.* ergo invalida collatio Pontifici non tollit vel ſiſtit curſum trimeſtris. Reſp. Verum quidem eſt *antec.* generaliter, ſed per ſpecialem diſpoſitionem concordatorum pro hoc caſu aliter ordinatum eſt; quia in his Pontifex promiſit, quod per *quamcumque aliam diſpoſitionem aut reſervationem* nolit impedire liberam collationem inferiorum: ergo nec per reſervationem *tacitam*, qualis eſt affectio beneficii; nam & hæc eſſet aliqua reſervatio, vel diſpoſitio, impediens collationem inferiorum, atque præjudicaret concordatis. Ajunt quidem, ſtylum Curiæ Romanæ contrarium eſſe; ſed exinde non evincitur, noſtram ſententiam in puncto Juris non eſſe veriorem.

23 Quæres, quid ſint annatæ, de quibus mentionem etiam faciunt & reſervant concordata Germaniæ *in* §. 5. 2. A quibus ſolvendæ? 3. Et an licite exigantur. Reſp. ad 1. Sunt penſiones ſeu certæ quantitates pecuniæ, quæ de Epiſcopatuum aliarumque dignitatum, & beneficiorum

vacan-

vacantium fructibus primi anni exiguntur a Papa pro Camera Apoſtolica: aliæ ſunt integræ, & vocantur *communia ſervitia*, atque denotant omnes fructus primi anni: aliæ non integræ, & ſunt dimidia tantum pars fructuum primi anni, ac proprie & ſpecifice dicuntur *annatæ*. R. ad 2. Promoti ad prælaturas majores, ſeu *Conſiſtoriales* ut vocant, quas nimirum Papa confert in Conſiſtorio Cardinalium, rogatis eorum ſuffragiis, quales in Germania ſunt Epiſcopatus, & prælaturæ principales, ſæculares aut regulares, uti Elvacenſis, Campidunenſis, Fuldenſis &c. obligantur per ſe ad integros fructus primi anni pendendos Cameræ Apoſtolicæ, licet taxa ex liberalitate Pontificis in libris Cameræ Apoſtolicæ annotata vix quintam fructuum partem excedat, ac inſuper ad eamdem ſolvendam concedantur duo anni, &, ſi contingat uno eodemque anno plures Epiſcopos vel Præſules in eadem Eccleſia mori, nonniſi ſemel ſolvenda ſit, nec illam teneatur ſolvere ſucceſſor, ſi forte anteceſſor non ſolviſſet. Promoti autem auctoritate Papæ ad dignitates & beneficia minora, & non conſiſtorialia, quorum valor ſeu reditus annui 24. ducatos juxta taxam Cameræ Apoſtolicæ non excedunt, ſolum ad dimidiam fructuum partem primi anni per ſe obligantur: quamvis & hæc portio ſoleat valde moderata & mitigata eſſe, imo omnes Canonicatus Germaniæ taxentur in Camera tantum ad valorem 24. aureorum, licet annui reditus aſcendant reipſa ad mille & amplius ducatos, ut adeo ex iis nullæ annatæ ſolvendæ ſint. R. ad 3. Exactio annatarum rationabilis & omnino licita eſt, partim quia exiguntur in ſignum ſubjectionis ad Sedem Apoſtolicam, partim ut Papa habeat, unde Cardinales

 alioſ-

alioſque officiales, quibus indiget plurimis ad regendam univerſalem Eccleſiam, ſuſtentet, bene meritos de Eccleſia præmietur, egentibus ſuccurrat, Eccleſiam contra hoſtes defendat, fidem inter infideles propagare poſſit &c. *Objic.* Exactio & ſolutio annatarum eſt ſimoniaca, quia temporale exigitur & ſolvitur pro confirmationibus electionum, & collationibus beneficiorum, quæ ſunt aliquid ſpirituali annexum: ergo eſt illicita. Reſp. N. *ant.* quia ex aliis, & jam inſinuatis cauſis exiguntur, non tanquam pretium pro rebus ſpirituali annexis. Adde, quod annatæ non exigantur ex pacto, ſed ex lege, jam antecedenter exiſtente; imo ſunt debitæ ex natura rei velut onus reale, h. e. ipſis fructibus primi anni impoſitum, ac ſubrogatæ ſunt decimis, quæ olim ex toto Orbe Chriſtiano debebantur & ſolvebantur Papæ juxta Veteris Eccleſiæ inſtitutum. Leuren. *p.* 3. *qu.* 190. *num.* 2.

24 Dico 8. Dignitates & beneficia omnia, quæ Pontificis collationi non ſunt reſervata, de Jure communi conferri poſſunt a quolibet Epiſcopo confirmato in ſua Diœceſi, ut adeo ad hoc habeat intentionem in Jure fundatam, ſive dein ſermo ſit de collatione libera, ſive de neceſſaria, ſupponente electionem, vel præſentationem clerici præviam. Text. & DD. *in can.* 10. 11 *cauſ.* 16. *q.* 7. *c.* 10. *de off. Ordin. c.* 3. *inſtit. c.* 12. §. *fin. de hæret.* ibi: *ad Epiſcopi officium tam inſtitutio, quam deſtitutio Sacerdotem noſcitur pertinere.* Excipiuntur tamen beneficia, quæ alius ex jure ſpeciali, nempe privilegii, conſuetudinis, præſcriptionis, conventionis &c. conferendi obtinuit. *Canonicatus* dignitates & præbendas Cathedralium Eccleſiarum de Jure probabilius conferendi eſſent ab

Epi-

Epiſcopo & capitulo ſimul; itaut Epiſcopus unam, & capitulum alteram vocem conſtituat; per *c.* 15. *conceſſ. præb.* Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 17. 28. Collegiatarum vero Eccleſiarum a prælato immediato & capitulo ſimul, ita tamen, ut inſtitutio ad Epiſcopum ſpectet. Garc. *n.* 64. Sed & hic ſæpius aliud obtinet ex jure ſingulari, vi cujus ſubinde canonicatus conferuntur ab aliis, ver. gr. a Papa alternative, ab ipſis canonicis vel capitulariter, vel per *turnum*, ut vocant, itaut unus poſt alterum, incipiendo a Seniore, conferat canonicatum in ſuo menſe vacantem, aut a Principibus ſæcularibus per præſentationem, &c. Quid de reliquo in collatione beneficiorum quorumdam poſſit capitulum, vel Vicarius Generalis, patebit ex dicendis ad *tit. Ne Sede vac.*

25 Quæres, an laicis competere poſſit poteſtas conferendi beneficia? R. æque parum, ac poteſtas ea conſequendi: quia beneficia ſunt jus ſpirituali officio annexum, conſequenter eorum collatio requirit poteſtatem ſpiritualem, ſicut conſecutio ordinem ſpiritualem: cum igitur laici, omni ordine clericali deſtituti (ſecluſo privilegio Papali) ne quidem capaces ſint juris & poteſtatis ſpiritualis, *c.* 2. *&* 3. *de Judic.* nec conferre, nec adipiſci beneficia poſſunt. Unde, ſi Imperator, Reges, & alii Principes, & ſæculares, dicuntur providere eſſe Eccleſiis ſuarum ditionum, & conferre præpoſituras, canonicatus, imo & Epiſcopatus, ſenſus eſt, quod habeant jus nominandi, & quodammodo præſentandi clericos ad beneficia vacantia, vel, ut fit per *primas preces*, de quibus *tit. de Jure-patron.* vacatura, & ſic petant conferri certis perſonis a poteſtate eccleſiaſtica, non quod ipſi conferant jus officio ſpirituali annexum.

26 Dico 9. Beneficia poſſunt etiam obtineri per præſcriptionem, modo acquiſita ſint titulo colorato collationis, inſtitutionis &c. reipſa invalidæ propter defectum occultum, ſcil. intra triennium pacificæ poſſeſſionis. Ita communis cum Sanch. *l.7. Moral. c.29. n.88. ſeqq.* propter clarum textum *Regulæ Cancell. 36.* quæ inſcribitur *de triennali poſſeſſore*, ibi: *Si quis quæcumque beneficia eccleſiaſtica, abſque ſimoniaco ingreſſu, ex quovis titulo, Apoſtolica vel Ordinaria collatione … aut inſtitutione eorum, ad quos iſta pertinent; per triennium pacifice poſſederit (dummodo … ſe non intruſerit,* h.e. qui aut nullum habet titulum, vel non ab eo, cujus eſt conferre beneficium) *ſuper iiſdem beneficiis taliter poſſeſſis moleſtari nequeat &c.* ergo per triennalem & pacificam poſſeſſionem, titulo & bona fide inſtructam, acquiritur jus & quaſi dominium beneficiorum, atque ſtabilis titulus in iiſdem, tanquam per præſcriptionem, quæ tam in poſſeſſorio quam petitorio excludit omnem actionem, atque, ſicut omnis alia legitima præſcriptio, in foro conſcientiæ quoque procedit, ut habet communior & verior ſententia cum laudato Sanch. bonæ fidei, ut ego quidem exiſtimo, non obeſt, ſi promotus per titulum coloratum ſciat impedimentum ſuum, modo alias illud occultum ſit, & Juris tantum eccleſiaſtici: cum ex nullo Jure probetur obligatio impedimentum tale manifeſtando ſe tam notabili commodo privandi.

Objic. 1. Nullum beneficium obtineri poteſt abſque canonica inſtitutione, vel collatione, *c. 1. de R.J. in 6.* Sed præſcriptio non eſt canonica inſtitutio vel collatio, quæ debet procedere ab habente poteſtatem, & titulum validum, ac verum, non mere coloratum, tribue-

re:

re: ergo. 2. Nec per longiſſimam conſuetudinem, quæ in Jure reprobatur, acquiri poteſt beneficium abſque canonica inſtitutione, *c.* 3. *de inſtit.* ergo nec per præſcriptionem. 3. Qui ſcit ſuum impedimentum, vel vitium tituli, & tamen acceptat vel retinet beneficium, ille peccat contra SS. Canones, qui requirunt titulum verum & validum canonicæ inſtitutionis: ergo eſt in mala fide: ſi autem 4. ignorat SS. Canones præfatos, laborat ignorantia Juris manifeſti, quæ iterum obeſt bonæ fidei: ſed ſine bona fide nulla datur præſcriptio: ergo. R. ad 1. *antec.* intelligendum eſt de via & modo ordinario ac immediato conſequendi beneficia, non de extraordinario & mediato præſcriptionis, quam SS. Canones nullibi prohibent, imo in allegata Regula Cancellariæ manifeſte approbant. Ad 2. *N. Conſ. & parit.* partim quia SS. Canones conſuetudinem reprobant, præſcriptionem vero approbant; partim quia conſuetudo, in Jure reprobata, erat talis, per quam ſine conſenſu & opera Epiſcopi obtinebant clerici beneficia a laicis, vel ſeſe intrudebant, adeoque cum manifeſte vitioſo, aut nullo titulo, etiam apparenter tali; quod utique illicitum eſt & corruptela morum: ſere ſicut res alienas rapere nulla conſuetudo facit licitum, licet præſcriptio juſto innixa titulo earum tribuat dominium. Ad 3. *N. ant.* nam nec *c.* 1. *cit.* nec alii SS. Canones clare obligant ad non acceptandum vel non retinendum pro foro interno beneficium pro caſu, quo quis impedimentum Juris mere humani novit. Vid. *tit. de Electione num.* 15. Ad 4. Negatur, quod laboret ignorantia Juris manifeſti, quia nullum oſtendi poteſt, quod clare reddat inhabilem ad beneficium, qui ignorat vitium tituli, mediante

poſſeſſione & præſcriptione obtinendum, imo clare hoc permittitur ad *d. Reg. Cancell.*. Dein ignorantia Juris manifeſti non vitiat bonam fidem Theologicam.

27 Occaſione hujus Regulæ *de triennali poſſeſſore* forte. Quæres, quid ſtatuatur in *Regul. Cancell. 19.* quæ intitulari ſolet *de infirmis reſignantibus*, vel vocari regula *de viginti*? R. Statuitur, quod, ſi infirmus reſignaverit vel dimiſerit beneficium ſuum, & intra 20. dies a die præſtiti a reſignante conſenſus coram legitimo ſuperiore, reſignationem acceptante, numerandos mortuus fuerit, reſignatio habeatur pro nulla, & beneficium cenſeatur vacare per mortem; quia hujuſmodi reſignationes, cum fieri ſoleant in favorem certarum perſonarum, referunt ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis, quam SS. Canones deteſtantur. Per *infirmum* rectius intelligitur ille, qui laborat non qualicumque infirmitate, ſed gravi, ex qua aliquis moriturum ſe crediderit, ideoque reſignaverit, eo quod regula dicat, *ſi de ipſa infirmitate deceſſerit*. Sed *Objic.* Regula permittit hæc verba: *etiam vigore ſupplicationis, dum eſſet ſanus, ſignatæ*: ergo reſignatio habetur pro nulla, licet ſanus adhuc (a fortiori, ſi levi infirmitate correptus) reſignaverit, modo intra 20. dies poſtea deceſſerit. R. cum P. Engel *h. t. nu.* 31. hæc verba reſpicere ſtylum Curiæ Romanæ, ubi ante actualem reſignationem, & conſenſum reſignantis in Cancellaria ponendum, ſupplicatur Summo Pontifici pro licentia reſignandi, qui ſupplicationem ſignat & ſubſcribit, *fiat, ut petitur:* nihil igitur aliud videntur velle Pontifices, qui illa verba hoc tempore addunt Regulæ, quam quod dicti 20. dies computandi ſint a die ſupplicationis ſignatæ, ſi fiat reſignatio Romæ, ne ſcilic. committeretur

fraus;

fraus; alias enim ſani adhuc poſſent ſupplicationem porrigere, & ſuum conſenſum differre uſque ad tempus periculoſæ infirmitatis.

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante vel debilitato.

SUMMARIUM.

1 *Quibus conſtituendus coadjutor. Quis iſte ſit, & quid coadjutoria.*
2 3 *A quibus conſtitui poſſit coadjutor, tam perpetuus, quam temporalis.*
4 *Quod ſit coadjutoris officium, & quæ poteſtas.*
5 *Unde ſuſtentari debeat.*

1 SI contingat Epiſcopos, prælatos, aut alios curatos, incidere in morbum incurabilem, vel in amentiam, aut ob ſenium vel mutilationem &c. reddi inhabiles ad ſua miniſteria obeunda, nequaquam debent amoveri, *c. 1. ſeqq. h. t.* quia afflicto non eſt addenda afflictio, *c. 5. eod.* ſed conſtituendus eſt eis coadjutor vel in ſpiritualibus tantum, vel in temporalibus tantum, vel in utriſque, prout nimirum inhabilis eſt redditus principalis ad illa vel iſta tantum, vel ad utraque rite adminiſtranda. Unde hic agitur de *coadjutoria*, quæ eſt vicina beneficio, & definitur eſſe *facultas alicui conceſſa adjuvandi Prælatum &c. inhabilem in ſuis miniſteriis*. Alia eſt *temporalis*, quando coadjutor ſolum conſtituitur ad tempus, nimirum vel ad dies vitæ, vel quamdiu durat coadjuti infirmitas vel inhabilitas; hac enim ceſſante, vel illo convaleſcente, expirat. Alia autem *perpetua*, ſeu *cum jure ſucceſſionis*, itaut moriente vel reſignan-

te coadjuto ſuccedat hoc ipſo coadjutor in prælatura &c. Neque coadjutori etiam perpetuo conceditur jus, titulus, aut poſſeſſio beneficii & prælaturæ aut habitus curæ, quamdiu vivit principalis, ſeu coadjutus, ſed ſolum adminiſtratio illius Juris, & exercitium curæ. Coadjutor temporalis fere coincidit cum *Adminiſtratore*, & a *Vicario* in beneficiis inferioribus curatis fere non differt.

2 Dico 1. Ad aſſumendum coadjutorem v.g. Epiſcopi perpetuum, & cum jure ſuccedendi, neceſſarius eſt conſenſus Summi Pontificis. 2. Conſenſus coadjuti ſeu Epiſcopi regulariter, & 3. in Germania conſenſus capituli. Pars 1. patet ex Trid. *ſeſſ. 25. c. 7. de ref. item ex c. 2. & 3. de conceſſ. præb.* Pars 2. ex *c. un. h. t. in 6.* quia coadjutum vel maxime concernit coadjutoria, & hinc invito obtrudi non debet, niſi laboret defectu vel morbo incurabili; tunc enim capitulum non quidem per ſe cogere ipſum poteſt ad aſſumendum coadjutorem, bene tamen ſtatum Eccleſiæ fideliter referre ad Pontificem, ut is, ſi ita viſum fuerit, compellat ad coadjutorem admittendum, vel perpetuum vel temporalem: idem eſt, ſi Epiſcopus conſentire non poſſit lapſus in amentiam, *c. un. cit.* Pars 3. tum ex *d. c. un.* tum ex concordatis Germaniæ, in quibus capitulo conceditur libera electio ſucceſſoris, cui præjudicaret coadjutor perpetuus ſine conſenſu capituli datus; iſte autem conſenſus non neceſſario debet eſſe capitulariter poſitus, neque, ſi coadjutor ob impedimentum eſſet poſtulandus, a duabus tertiis (hæc enim in electione tantum & poſtulatione, ubi Sedes jam vacat, neceſſaria ſunt, uti judicatum eſt Romæ anno 1694. in coadjutoria Moguntina) ſed ſufficit conſenſus ma-

joris

joris partis capituli etiam non congregati. Ceterum ſi Epiſcopus conſenſit quidem in coadjutorem ſibi dandum, non tamen in genere, ſed proponendo certum, tunc aliam perſonam nominare non poteſt capitulum. Poſtquam vero coadjutus ſeu Epiſcopus & capitulum conſpirarunt in certam perſonam, eam petere debent a Summo Pontifice, non tamen in inſtrumento coadjutoriæ petendæ adhibere verba, *ſe eligere* vel *poſtulare*, ſed *ſe conſentire*, & *petere*, ut Papa dignetur coadjutorem concedere. Si autem ipſe coadjutor peteret, poſſet tanquam ambitioſus rejici Romæ.

3 Dico 2. Coadjutorem temporalem Epiſcopis & prælatis exemptis etiam regulariter dat ſolus Papa. 2. Inferioribus autem non exemptis Epiſcopus aut ſuperior ordinarius. Pars 1. ſumitur ex *c. un. cit.* dixi, *regulariter*; nam in locis a Sede Apoſtolica valde remotis, uti in Germania, ipſe Epiſcopus cum conſilio & aſſenſu capituli ſibi unum vel plures coadjutores temporales aſſumere poteſt: vel, ſi ille ſit impos mentis, capitulum vel duæ ipſius partes, *c. un. cit.* Pars 2. ex *c.* 3. *& ult. h. t.* & Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 6. *de ref.*

4 Dico 3. Officium & poteſtas coadjutoris eſt eadem quæ coadjuti, per *c.* 5. *h. t.* cum aliqua tamen limitatione, vel in litteris coadjutoriæ expreſſa; vel in Jure &c. Sic non poteſt alienare res immobiles Eccleſiæ, *c. un. cit.* conferre beneficia eccleſiaſtica ſine conſenſu coadjuti &c. per *c. ult. de Off. Vicar. in* 6, conficere negotia ardua, per *c.* 81. *de R. J. in* 6. Tenetur inſuper rationes adminiſtrationis ſuæ reddere coadjuto, vel, ſi hic mente non valeat, capitulo, vel ſucceſſori coadjuti; *cap. unic. cit.*

5 Dico 4. Coadjutor ſuſtentandus eſt ex proventibus Eccleſiæ, cujus prælato datus eſt, ſi ſufficiant ad moderatam utriuſque ſuſtentationem, *c. 3. h. t. & c. un. cit.* Si reditus pro utroque non ſufficiant, ex illis debet ali coadjutus, quia retinet titulum & poſſeſſionem prælaturæ vel beneficii, per *c. 1. & 5. h. t.* Coadjutori autem providendum ex reſiduo, ſi quod detur, & aliunde additamentum v. g. ex collato alio beneficio, aut penſione, eidem procurandum &c. Trid. *ſeſſ. 21. c. 4. & 6. de ref.*

TITULUS VII.

De inſtitutionibus.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſit inſtitutio.*
2. 3 *A quibus fieri poſſit, vel debeat.*
4 *Quid juris conferat.*

1 INſtitutio late ſumpta ac in genere dicit quamcumque beneficii conceſſionem canonicam, & tituli collativam, qua confertur jus in re & proprietatis in beneficio etiam abſque traditione vel poſſeſſionis conſecutione, modo conſenſus & acceptatio inſtitui accedat, *c. 17. de præb. in 6. c. ult. de conceſſ. præb. in 6.* ſtricte autem & ſpecifice accepta *inſtitutio collativa juris eſt conceſſio beneficii a ſuperiore eccleſiaſtico facta ad præſentationem Patroni*; & quia hæc præſentato tribuit jus ad rem, eſt conceſſio *neceſſaria*, ac proin differt a collatione *libera* beneficii, quæ fit ad arbitrium collatoris, & ſine ullo jure per præſentationem alicui competente, de qua ad *tit. V.* egimus §. 2. Porro alia

alia inſtitutio vocatur *auctorizabilis*, quæ nihil eſt aliud quam commiſſio curæ animarum, alioque nomine *approbatio* dicitur. Alia autem nuncupatur *realis* vel *corporalis*, ſeu inveſtitura, aut inſtallatio, quæ eſt actualis inductio in poſſeſſionem.

2. Dico 1. Poteſtas inſtituendi præſentatos de jure communi pertinet ad Epiſcopum Diœceſis primario *c.3. h.t.c.21. de jur patr.* Dein ejus loco ad Vicarium Generalem *c.3. cit.* per verba, *qui hoc de jure poſſunt*, etiam ſine ſpeciali mandato. Demum Sede Epiſcopali vacante ad Capitulum Cathedrale *c.1.h.t. in 6.* vel potius ad Vicarium Capituli. Ex jure tamen ſpeciali, præſcriptionis, aut conſuetudinis aliquando ſpectat, ad inferiores quoque Prælatos, vel Collegia, inſtitutionem *auctorizabilem* tribuunt quidem iidem, cum per conceſſionem beneficii Curati, ſi ſpecialiter non conferatur prævio examine concedi cenſeatur approbatio ſeu cura animarum Trid.*ſ.23.c.15.de ref.* Putant quidem aliqui, hanc poteſtatem poſteriorem non poſſe per præſcriptionem vel conſuetudinem acquiri, niſi ſimul beneficium deſinat eſſe Curatum, vel manere ſub juriſdictione Epiſcopi, per Trid. *ſ. 7. c. 13. de ref. ſ. 25. c. 11. de regular.* ubi derogatur omnibus conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Accedit praxis Epiſcoporum; qui ad curam Parochiarum nullos admittunt ſine prævia ſua approbatione. Sed melius ſuſtinetur contrarium ex generalibus principiis de præſcriptione & conſuetudine. Ad Trid. reſpondetur, quod loquatur de conſuetudinibus Tridentinum antegreſſis præſertim cum prorſus idem dicat de *privilegiis*; quis autem ex adverſariis neget, privilegio Pontificis deinceps dando poſſe obtineri ab inferioribus Prælatis inſtitu-

ſtitutionem auctorizabilem. Si Epiſcopi nullos admittant ſine prævia ſua approbatione, id inde proveniet, quia non ſufficienter probatur conſuetudo vel præſcriptio. Inſtitutio *corporalis* ac *inveſtitura* de jure ſcripto pertinet quidem regulariter ad Archidiaconum *c. 7. de offic. Archid.* vi conſuetudinis tamen hodie multis in locis etiam hanc Epiſcopi tribuunt per Commiſſarios, Decanos rurales, vel alios. Fit variis modis pro diverſitate locorum, & beneficiorum, v. g. Abbates & alii Prælati inveſtiuntur per inductionem in Eccleſiam & collocationem in Sede Abbatiali, Canonici per aſſignationem ſtalli ſeu ſedis in Choro & Capitulo, Parochi & alii beneficiati per impoſitionem bireti factam a Vicario Generali poſt editam profeſſionem Fidei; aut in loco beneficii per inductionem in Eccleſiam, oſculum altaris, contactum vel reſerrationem januæ, per novi Parochi promulgationem in Eccleſia coram populo &c.

3 Quæres, an etiam Laici poſſint facere inſtitutionem aliquam? R. 1. Collativam juris, & auctorizabilem, non poſſunt, quia hæ requirunt juriſdictionem ſpiritualem. R. 2. Inveſtituram in ordine ad adminiſtrationem in ſpiritualibus proprio nomine etiam dare prohibentur, poſſunt tamen ex commiſſione Epiſcopi, ſi præceſſit inveſtitura verbalis una cum traditione bireti &c. actualem introductionem in locum beneficii una cum traditione clavium & jurium facere; quia hæc executio conſiſtit in mero facto, in temporalibus autem, ubi quoad iſta ſolet fieri ſpecialis inveſtitura, etiam abſque commiſſione Epiſcopi Parochum novum v. g. poſſunt inducere in domum Parochialem, ibidem tradere claves, & rationum libros, ac reditus aſſignare.

4 Di-

4 Dico 2. Quamvis per inſtitutionem juris collativam acquiratur jus in re & in beneficio per *c.17. & 40.§.fin. de Præb. in 6.* taliter tamen inſtituto non licet propria auctoritate poſſeſſionem beneficii apprehendere per *c.7. de off. Archidiac.* niſi accedat conſenſus Superioris corporalem poſſeſſionem tradere valentis. Si tamen propria auctoritate occuparet, probabilius non amitteret ipſo jure proprietatem beneficii, quia hæc tam gravis pœna non ſatis probatur. Amitteret tamen, ſi per violentiam caperet poſſeſſionem *c.18. §.inſuper de præb. in 6. & arg. l. 7. C. unde vi. Objic.* Præſentatus ad beneficium, ſi illud occupet abſque inſtitutione, hoc ipſo privatur omni jure per præſentationem acquiſito *arg. c.5. de elect. in 6.* & ibi DD. ergo etiam inſtitutus in beneficio, ſi illud occupet ante inveſtituram, hoc ipſo privatur omni jure per inſtitutionem acquiſito. R. *trans. antec.* quod a multis non male negatur, quia *cit. c. 5.* loquitur de electo: ergo tanquam odioſum non debet extendi ad præſentatum: *neg. conſ. & parit.* quia electus & præſentatus per acceptationem ſolum obtinent jus ad rem, inſtitutus vero jus in re: difficilius autem amittitur jus in re, quam jus ad rem.

TITULUS VIII.

De conceſſione præbendæ & Eccleſiæ non vacantis.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit libera collatio: quibus modis vacare poſſit beneficium vel Eccleſia.*

2 *Quomodo conferri poſſit vacans* de jure tantum.

3 4 5 Beneficii nondum vacantis tam conceſſio quam promiſſio eſt irrita.

6 Debet conferri intra certum tempus.

7 Quo elapſo ad quem devolvatur collatio.

1 UT beneficium rite concedatur vel per liberam *collationem*, vel prævia præſentatione per *inſtitutionem*, neceſſe eſt, ut prius debito modo vacet. Quia vero Collatores & Patroni adſtringuntur, ut conferant vel præſentent ad beneficia intra certum tempus, poſtquam vacare cœperunt, videndum nunc eſt, quid juris ſit, ſi beneficia nondum vacantia conferantur vel promittantur, &, ſi debito tempore a cœpta vacatione non fiat collatio vel præſentatio.

Vacare autem beneficium poteſt triplici modo. 1. *De facto tantum*, quando habet quidem proprietarium, qui obtinet jus & titulum in beneficio, non tamen poſſeſſorem, quia nempe vel poſſeſſionem nondum eſt adeptus, vel vi ab illa expulſus, vel longo tempore abeſt a beneficio, & ignoratur, ubi ſit. 2. *De jure tantum*, quando habet poſſeſſorem, caret tamen proprietario, ut ſiquis in beneficium, quod nullus obtinet in titulum, ſe intrudat, vel propter delictum ipſo jure privatus beneficio illud defacto occupet, & poſſeſſionem retineat. 3. *De facto & jure ſimul*, quando nec poſſeſſorem nec proprietarium habet ut communiter contingit per mortem beneficiati, per renuntiationem expreſſam vel tacitam, per profeſſionem Religioſam, per privationem ipſo jure inductam ob delictum vel omiſſionis vel commiſſionis, vel per privationem hominis, ſeu per ſententiam Judicis, propter homicidium ſimplex, perjurium judiciale, beſtialitatem,

tem, ſodomiam imperfectam, deflorationem Monialis, adulterium, concubinatum ſcandaloſum &c. beneficium auferentis. Et hæc vacatio eſt propriiſſima, ſecunda vero propria, prima autem, *de facto tantum*, eſt impropria, & beneficium cenſetur proprie non vacare.

2 Dico 1. Beneficium vacans *de jure tantum* poteſt quidem conferri & promitti, non tamen poſſeſſio concedi, niſi prius vocatô poſſeſſore (modo ejus poſſeſſio non ſit notorie injuſta) & prævia cognitione, an huic non competat aliquod jus in beneficio *c.* 28. *de præb. in 6.* quia contra alium, prius non auditum, nihil unquam ſtatuendum eſt propter generale periculum, ne quis injuſte ſuo jure privetur.

3 Dico 2. Conceſſio beneficii non vacantis (vel *de facto tantum* vacantis) eſt ipſo jure nulla *c.* 1. 2. 7. *b. t. c.*4. *de donat.* Nec ſufficit, ſi beneficium vacet *interpretative* h. e. ſi beneficiatus ſolum ſit excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis, ab hoſte captus &c. & ſic impeditus ab adminiſtratione, ſed debet *vere* vacare.

4 Dico 3. Etiam promiſſio beneficii nondum vacantis, ſive certi, ſive incerti, aut proxime vacaturi, eſt ipſo jure nulla, etſi juramento, vel ſcriptura ſit firmata, ſive a collatore ſive a Patrono facta text. in *c.*2.3.11.13. *b t.c.*2.*eod. in 6.* Trid. *ſ.*24. *c.* 19. *de ref.* ubi ſublatæ ſunt omnes *gratiæ expectativæ* in materia beneficiorum DD. communiter. Ratio, ut hoc modo coerceatur avaritia, ac ambitio, quæ elucet in iis, qui ita præmature beneficiis inhiant, & ne minus digni per importunas & intempeſtivas preces dignioribus præripiant beneficia; atque ut evitetur anſa optandi & captandi mortem alienam, nempe actu poſſidentium be-

beneficia; ſicut propter ſimilem cauſam jus Civile reprobat pacta de futura viventis hæreditate. Nec juramentum utpote SS. Canonibus repugnans, & in præjudicium boni publici æque ac privatorum cedens, ſubſiſtere & promiſſionem firmare poteſt, minus ſcriptura, quam vocant *Signaturam*.

5 *Obj.* 1. Valet promiſſio beneficii ſub his generalioribus terminis concepta, *conferam tibi beneficium, cum potero* vel, *quamprimum ſe facultas obtulerit text. in c.*14. *b.t.* ergo ſaltem valet promiſſio beneficii incerti, v.g. proxime vacaturi, præſertim cum hæc promiſſio non præbeat anſam optandi & captandi mortem alienam. 2. Praxis habet, etiam timoratorum, ut paſſim vel voce, vel per ſignaturam, promittant beneficia proxime vacatura, tam in genere quam in ſpecie; ergo hoc fit valide & licite, ſaltem vi conſuetudinis. 3. Saltem jurata promiſſio tenebit & obligabit; quia omne juramentum debet ſervari, quod poteſt ſervari, ſine peccato & præjudicio tertii: ſed hoc juramentum poteſt ſervari ſine peccato, quia non per ſe, ſed ſolum per accidens inducit ad optandam & captandam mortem alienam (alias nec ipſe Papa poſſet abſolute dare gratias expectativas) item ſine præjudicio tertii, quia nemini aufert ſuum jus, cum reſpiciat tempus, quo aliunde vacabit beneficium. Confirmatur 1. valet pactum de futura ſucceſſione in bonis viventis, licet a jure Civili ſit reprobatum, cui adjicitur juramentum. 2. Idem pactum valet, ſi accedat conſenſus illius, de cujus hæreditate initum eſt, modo ille uſque ad mortem perſeveret in ſuo conſenſu *l.fin. C. de pact.* ergo & valebit promiſſio beneficii nondum vacantis, ſaltem ſi fiat cum conſenſu poſſeſſoris beneficii.

R. ad

R. ad 1. Illud *c.*14. fuit correctum à *c.*2.*h.t. in* 6. quod eſt jus recentius. Et quamvis promiſſio beneficii incerti non det occaſionem proximam optandi & captandi mortem alienam; tamen præbet aliquam, & nutrit avaritiam, &c. quod ſufficere potuit Legislatori, ut etiam tales promiſſiones illimitate in *d. c.*2. reprobaret & irritaret propter univerſale periculum *abuſus*, & ad frænandam *deteſtandam* hominum *perverſitatem*, *nimiam importunitatem*, *ambitionem improbam*, ut Pontifex loquitur. Ad 2. *diſt. ant.* & per hanc promiſſionem, utpote irritam, conceditur aliqua ſpes. *C.antec.* jus ad beneficium in promiſſario, vel obligatio fidelitatis aut juſtitiæ oritur in apparenter promittente. *N.ant. & Conſ.* Ipſemet ſcio, beneficia, ad quæ quibuſdam fuerunt datæ ſignaturæ, poſtmodum ſine ſcrupulo aliis fuiſſe data, præſertim a Patronis: ergo illa praxis non inducit conſuetudinem legalem & veram, ſaltem id necdum eſt ſatis probatum. Ad 3. *Neg. min.* quamvis enim promittere beneficium nondum vacans non ſit peccatum contra jus naturale, eſt tamen contra jus Eccleſiaſticum, quod propter bonum publicum Eccleſiarum, & aliquale ſaltem periculum optandi mortem alienam, avaritiæ & ambitionis ſpeciem, non ſolum irritat, ſed etiam *reprobat*, h.e. prohibet hujuſmodi promiſſiones: quo jure licet non adſtringatur Papa, adſtringuntur tamen alii, & ideo promiſſiones ſunt peccatum, conſequenter & juramentum iis adjectum, quia eſſet vinculum iniquitatis, & ſervari non poſſet ſine præjudicio juris, & Eccleſiarum periculo, non valet, nec ullam parit obligationem, ſed cadit cum ſuo principali. Ad *Confirmat.*1. eſt diſparitas hæc, quod jus Civile pactum futuræ hæreditatis non prohibeat, ſed ſolum

irri-

irritet, & quidem ob bonum privatorum, de quorum hæreditate ſit pactum, conſequenter juramentum ei adjectum ſtare poteſt per ſe, & obſervari abſque peccato, adeoque obſervandum eſt ſaltem ex virtute Religionis: econtra promiſſio beneficii non vacantis eſt inſuper prohibita a jure Canonico, & irrita propter bonum publicum Eccleſiarum, & periculum animarum. Ad *confirm.* 2. Iterum eſt diſparitas; quia jus Canonicum irritat promiſſiones tales abſolute, jus Civile autem illa pacta ſolum conditionate, niſi nempe fiant cum conſenſu illius, de cujus hæreditate agitur *l. fin. cit.*

6 Dico 4. Tempus quoque certum conferendis beneficiis eſt præfixum: quale autem illud ſit in electivis *in tit. de elect.* & quale in Patronatis, *in tit. de jure patr.* dicitur. Collativa autem, ſeu quæ ſunt liberæ collationis, conferri debent intra 6. menſes, a die cognitæ vacationis computandos, & ceſſante impedimento *c. 2. & 5. h. t.* nam legitime impeditis non currit tempus. Si autem intra hoc ſemeſtre non conferunt ordinarii Collatores, devolvitur collatio ad Superiorem.

7 Quæres, ad quem Superiorem fiat devolutio collationis? R. 1. Si collator inferior Epiſcopo, vel Capitulum Cathedrale moram committat, immediate ad Epiſcopum *c. 2. h. t.* ſi Epiſcopus per alios 6. menſes non providerit, ad Archiepiſcopum per *c. cit.* ab hoc autem ad Primatem vel Patriarcham, ac demum ad Papam, & ſic gradatim ſemper ad Superiorem immediatum. Nec impeditur devolutio ad Epiſcopum, ſi collator ab ejus juriſdictione ſit exemptus, quia tunc Epiſcopus tanquam delegatus Sedis Apoſtolicæ confert, *Clem. unic. de ſuppl. neglig.* Aliud foret, ſi ipſum beneficium eſſet exem-

exemptum, tunc enim devolutio fieret immediate ad Papam per *c.32. de præb. in 6. in f.* R.2. Si collator ſit Epiſcopus ipſe, & quidem jure proprio, fit devolutio immediate ad Capitulum, & primum ab hoc ad Archiepiſcopum *c.2.cit.* R.3. Si vero Epiſcopus ſit collator jure extraordinario, puta privilegii, delegationis, devolutionis, &c. immediate ad Archiepiſcopum. Eadem devolutio & eodem modo locum habet in caſu, quo ordinarius collator beneficium confert indigno; quia pro illa vice amittit jus conferendi per *c.32.cit.* cum idem ſit, imo pejus, promovere inhabilem, ac promovere nullum.

TITULUS IX.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

SUMMARIUM.

1 *Quando dicatur Sedes vacare.*
2 *Quid non poſſit Capitulum Sede vacante.*
3 *Quid econtra poſſit.*
4 *Maxime circa beneficia Eccleſiaſtica.*

1 PEr *Sedem vacantem* hic intelligitur Eccleſia Cathedralis vel Collegiata & Conventualis, cujus Prælatus vel eſt mortuus, vel exauctoratus, vel reſignatus, vel excommunicatus, ſuſpenſus &c. itaut adminiſtrationem non habeat, adeoque intelligitur Sedes vel *vere* vel *interpretative* vacans. Datur quidem in hac Rubrica generalis regula, quod Sede vacante nihil poſſit Capitulum, cui tamen adverſatur alia, vi cujus juxta *c.11.& 14. de majorit. c un. eod. in 6. c.3. & 4. de ſuppl. neglig. in 6.* & Trid. *ſeſſ.24. c.16. de ref.* juriſdictio & adminiſtratio re-

rerum & jurium Sede vacante ad Capitulum devolvitur. Unde veniunt conciliandæ hæ duæ regulæ in ſpeciem oppoſitæ, & dicendum, quid poſſit & non poſſit Capitulum Sede vacante, præſertim quoad beneficia.

2 Dico 1. Capitulum Sede vacante generatim nihil poteſt, per quod cenſetur aliquid *innovari*, h. e. per quod ſtatus Diœceſis, Monaſterii, vel Collegii immutatur, alteratur, vel aliquid fit, quod cedit in præjudicium Eccleſiæ vel ſucceſſionis Prælati. Text. gl. DD. *in rubr. c. 1. & ult. h. t.* atque in hoc ſenſu vera eſt generalis regula Rubricæ. Ratio datur *in c. 1. cit.* quia Sede vacante non eſt, qui Epiſcopale & Eccleſiæ jus tueatur. Sicut igitur geſta in præjudicium pupilli, cui æquiparatur Eccleſia Rectore, velut defenſore, deſtituta, ipſo jure ſunt nulla *l. 2. ſeqq. C. de auctor. præſt.* ita & geſta in præjudicium Eccleſiæ. Quapropter Capitulum in ſpecie non poteſt de emolumentis Epiſcopalibus aliquid transferre ad menſam vel commodum Capituli *c. 40. in 6. & Clem. pen. de elect.* ſolvere unionem, qua Eccleſiæ vacanti annexa erat alia *c. 1. h. t.* alienare res immobiles, imo & mobiles ſervando ſervabiles, inchoare litem vel inchoatam proſequi, ſuper bonis & juribus ad menſam ſolius Prælati pertinentibus, nempe extra caſum inevitabilis neceſſitatis, &c.

3 Dico 2. Capitulum Sede vacante generaliter poteſt omnia, quæ poteſt Epiſcopus vel Prælatus jure ordinario, vel quæ ad ordinariam ejus juriſdictionem pertinent per *c. 11. 14. x. & c. un. in 6. de majorit. c. 3. de ſuppl. & c. citt.* quia per hoc nihil *innovatur*, ſed potius conſervatur, & jure ſucceſſionis continuatur prior ſtatus Eccleſiæ. Proin in hoc ſenſu procedit altera regula generalis. Dixi 1. quæ *ad ordinariam* Epiſcopi, &c.

ju-

juriſdictionem pertinent, ſive dein ea ſit *contentioſa*, quæ ſpectat cauſas, in judicio decidendas, etiam Decimales, Beneficiales, Matrimoniales, Criminales &c. ſive *neceſſaria*, quæ reſpicit actus, per quos tribuitur tertio jus quæſitum, uti eſt inſtituere præſentatos ad beneficia confirmare electos &c. ſive *voluntaria*, quæ ordinatur ad actus a libera Epiſcopi &c. voluntate dependentes, ut eſt abſolvere a cenſuris & peccatis, ab Epiſcopo per modum legis perpetuæ reſervatis, a cenſuris à jure latis & non reſervatis Pontifici, vel inflictis ab Epiſcopo defuncto, ferre cenſuras, diſpenſare in votis, juramentis, denuntiationibus Matrimonii, obſervatione feſtorum, in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus &c. approbare & exponere Confeſſarios, exequi ultimas voluntates, viſitare diœceſim, ſubſidium charitativum in neceſſitate exigere, facere ſtatuta, & ab Epiſcopo facta revocare, ac generali mandato revocare licentias & approbationes ab Epiſcopo datas &c. Notandum autem eſt 1. quod Capitulum hæc poſſit ac debeat facere per ſuum Vicarium, quem in ſpiritualibus (& per œconomum, quem pro temporalibus, licet non aſſignato tempore) ſpecialem conſtituere vel antiquum confirmare tenetur intra octiduum a morte Epiſcopi juxta Trid. *ſeſſ. 24. c 16. de ref.* Notandum 2. quod caſu, quo vacat Eccleſia inferior, Epiſcopo ſubjecta, Capitulum in juriſdictione alias ſpectante ad Epiſcopum non ſuccedat, ſed Epiſcopus retineat ſuam ordinariam, qui tamen, ſi Eccleſia ſit Regularis, in ea non ſe immiſceat, quæ pertinent ad diſciplinam Religioſam, niſi per adminiſtratorem, ſi quem conſtituat, vel niſi Superior clauſtralis ſit in ea curanda negligens. Pirhing *tit. de majorat. a n. 58.* Dixi 2. *Quæ poteſt Epiſcopus, vel Prælatus, jure ordinario*, ſeu qua Epiſcopus

pus &c. nam in iis, quæ poteſt Epiſcopus jure extraordinario, nempe privilegii, conceſſionis ſpecialis, delegationis & commiſſionis, ſeu ut delegatus, non ſuccedit Capitulum: ſic non poteſt diſpenſare vel abſolvere in iis caſibus, in quibus id ſpecialiter conceſſit Epiſcopo Papa, procedere contra exemptos, contra quos Epiſcopus tantum ut delegatus Sedis Apoſtolicæ poteſt procedere, viſitare Monaſteria Monialium exempta, eligere Regem Romanorum, ſi ea poteſtas competit Archi-Epiſcopo viventi, &c.

4 Dico 3. Circa beneficia Eccleſiaſtica poteſt Capitulum, generaliter ea, quæ ad ordinariam & neceſſariam juriſdictionem Epiſcopi ſpectant, non vero illa, quæ ſunt juriſdictionis extraordinariæ & gratioſæ. Sumitur ex *c.* I. *de inſtit. in 6. c.* 2. *h. t. c.un. eod. in 6.* Unde quamvis poſſit conferre beneficia certis perſonis debita, v.g. Clerico ex certa familia, præſentatis, electis, dando inſtitutionem vel confirmationem, vel vacantia ex cauſa permutationis, jam acceptatæ ab Epiſcopo adhuc vivo; conferre tamen prohibetur beneficia liberæ collationis ad ſolum Epiſcopum, vel ad ipſum & Capitulum ſimul ſpectantis, antequam *6.* menſes ad collationem conceſſi fluxerint ſupprimere beneficia, unionem beneficiorum & Eccleſiarum diſſolvere, imo nec beneficia extra cauſam ineluctabilis neceſſitatis unire; demum, quamquam admittere valeat reſignationes beneficiorum libere vel ex cauſa permutationis Sede vacante factas, ea tamen, quæ ad liberam collationem Epiſcopi pertinent, non poteſt conferre. Ita communiter DD.

TI-

TITULUS X.

De his, quæ fiunt a Prælato ſine conſenſu Capituli.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit Capitulum ejus conſenſus, & conſilium.*
2 *Quando Prælatus teneatur adhibere.*
3 *Et quando non, conſenſum vel conſilium Capituli.*
4 *An in hac re aliquid poſſit conſuetudo.*

1 SIcut Capitulum Sede vacante non poteſt omnia, ita nec Epiſcopus, vel alius Prælatus Sede plena ſine conſenſu *Capituli*, cujus nomine venit Collegium capitularium congregatorum, vel Senatus aut Concilium Epiſcopi aut Prælati, dictum a *capite*, quod non eſt Prælatus, utpote a capitulo adæquate diſtinctus, ſed Decanus vel Præpoſitus, una cum reliquis capituli membris unum corpus conſtituens, capitulum vero & Prælatus ſimul conſtituunt unam Eccleſiam, cujus caput eſt Prælatus, membra autem Capitulares *c.* 4. *h. t.* Ad conſtituendum capitulum requiritur 1. ut ſint plures perſonæ, & quidem Eccleſiaſticæ. 2. Ut habeant communem caſſam & ærarium. 3. Commune ſigillum. 4. Actorem & ſyndicum communem, per quem cauſæ capituli controverſæ agantur. Apud Religioſos ſæpe vocatur *Conventus*, nec habet bona propria a bonis Prælati ſui diſtincta propter votum paupertatis. Quidquid agit capitulum qua tale, debet agere *capitulariter*, h. e. legitime congregatum per majora ſuffragia, per *c.* 5. *de prob. c.* 1. *& fin. de his, quæ fiunt a majori.*

jori. Ubi de jure requiritur Capituli *conſenſus*, qui eſt comprobatio Capitularium, Prælatus tenetur illum ſequi: ubi vero *conſilium*, quod eſt ſenſus tantum & opinio Capitularium, tenetur quidem audire, at non ſequi per ſe.

2 Dico 1. Epiſcopus (vel alius Prælatus) tenetur adhibere conſenſum Capituli non ſolum in negotiis, quæ concernunt Capituli onus vel intereſſe *arg. c.quod omnes 29. de R. J. in 6.* ſed etiam in aliis quibuſdam majoris momenti præjudicium vel intereſſe Eccleſiæ, aut ſucceſſorum in Prælatura concernentibus, ubi jura id ſpecialiter requirunt; cujuſmodi in ſpecie ſunt alienare res immobiles, & mobiles pretioſas Eccleſiæ, unire Eccleſias & beneficia, ſupprimere beneficia, celebrare contractum mutuum, vel alium, quo obligatur Eccleſia *c.1.8.9. h t. c.4. de fidejuſſ.* augere numerum Canonicorum vel minuere per *c.8. de conſtit.* decernere ferias ſacras *c.ult. de feriis* proceſſum criminalem inſtituere contra Canonicos Cathedralis aut Collegiatæ Eccleſiæ exemptos; ſed in hoc caſu ſolum tenetur adhibere duos Canonicos, circa initium anni ad id a Capitulo electos. Trid. *ſ.25. c.6. de ref.* Dixi, *conſenſum*; nam in aliis negotiis gravioribus, ubi jura non expreſſe requirunt conſenſum, deberet ſaltem exquirere Capituli *conſilium* per *c. 4. & 5. h t.* uti ſunt condere ſtatuta, punire Clericos propter delicta, dare conſenſum in alienationem rerum ad Eccleſias inferiores pertinentium, admittere erectionem novi Monaſterii &c. item quando jura præcipiunt adhiberi conſilium, uti inſtitutione & deſtitutione Abbatum, & Clericorum in beneficiis majoribus *c.4.cit.* in providenda lectione S. Scripturæ, Theologiæ, & Grammaticæ Clericos & alios Scholares pau-

pe-

peres docendæ. Trid. *ſ.5. c.1. de ref.* An vero ejuſmodi actus, ſine conſenſu vel conſilio Capituli geſti, ſint tantum illiciti, vel etiam invalidi, pendet ex eo, an jus requirat tanquam conditionem *ſine qua non*, vel addat clauſulam irritantem, vel non. *Objic.* Epiſcopus non tenetur ſequi conſilium Capituli: ergo fruſtra requiritur. R. *N.conſ.* quia, ſi debeat exquirere conſilium auditis conſulentium rationibus, longe prudentius & cautius procedit, & ſic magnam habet hæc requiſitio utilitatem.

3 Dico 2. In aliis negotiis minoris momenti, vel ubi Capitulum ob tempus belli, contagionis &c. congregari nequit, & quando aliunde manifeſtum eſt, quid ſit agendum, atque in cauſis, quæ pertinent ad Epiſcopum ut delegatum Sedis Apoſtolicæ, vel jure extraordinario, v.g. devoluto ob negligentiam vel delictum inferioris Prælati, Epiſcopus, vel Prælatus, neque conſenſu neque conſilio Capituli opus habet; cum ad ipſum tota ac libera poteſtas regendi Eccleſiam pertineat *c.1. de offic. ord. in 6.* neque tam inſignis, qua pollet, poteſtas reſtringenda eſt, ubi jura vel conſuetudo non ſpecialiter reſtringunt. Huc etiam pertinet conſuetudo non adhibendi conſenſum vel Conſilium capituli in negotiis, ubi jura alias requirunt, quæ dicitur in multis locis vigere. Sed hinc

4 Quæres, an conſuetudine hoc introduci poſſit? R. univerſim & totaliter ſine capituli conſenſu vel conſilio procedendi poteſtas introduci nequit, imo nec in caſibus ſpecialibus, in quibus vertitur periculum gravioris præjudicii Eccleſiæ, uti in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum immobilium per *c.1, 3. de conſuet. & c.4. h. t.* bene tamen in aliis negotiis particularibus, ex quibus tantum Eccleſiæ periculum

non imminet per *c.6. eod. & c.3. de conſuet. in 6.* Quomodo conciliantur *d. c.4. & c.6.*

TITULUS XI.

De his, quæ fiunt a majori parte capituli.

SUMMARIUM.

1 *Quænam ſit major pars capituli.*
2 *Quando cenſeatur capitulum legitime congregatum.*
3 *Qualis majoritas capitularium requiratur.*
4 *Et qualis ſubſcriptio ad valorem actuum capitularium.*

1 UT a capitulo rite aliquid fiat, v. gr. præſtetur conſenſus, ubi ſecundum jura neceſſarius eſt Prælato, debet legitime eſſe congregatum, & major pars capitularium conſpirare. Pars *major* autem poteſt eſſe vel *abſolute*, nimirum reſpectu habito ad omnes ſuffragia ferentes, ut ſi capitulum conſtet ex 24. capitularibus præſentibus, & 13. conſpirent: vel *reſpective*, ſeu reſpectu habito ad vota diſperſa, medietatem capitularium præſentium non attingentia, ut ſi ex 24. ſeptem velint hoc, octo aliud, & novem iterum aliud, vota novem ſunt reſpective majora.

2 Dico 1. Ut capitulum legitime ſit congregatum, requiritur, ut omnes in loco præſentes, qui jus ſuffragii habent, & intereſſe poſſunt, convocentur in locum unum ab habente poteſtatem convocandi. Text. & Doctores in *c.42. de elect. l.3. & 4. ff. quod cujuſcumque univerſit.* Dixi 1. *omnes*; ſi enim vel unus non ſit vocatus, poteſt agere de contem-

ptu,

ptu, &, quod a reliquis actum eſt, irritare per *c.* 28. *&* 36. *de elect.* Si vero pauciores, quam duæ tertiæ, ſi præſentes capitulares dividerentur in tres partes, tantum eſſent vocati, conventus & ejus acta ipſo jure eſſent nulla *l.* 3. *&* 4. *cit.* Dixi 2. *in loco præſentes*; abſentes enim ordinarie non ſunt neceſſario vocandi *arg. c.* 55. *de elect.* exceptis caſibus faciendæ electionis Prælati, vel novi Canonici, & ceſſationis a Divinis *c.* 42. *cit. c.* 8. *de off. ord. in* 6. & quando tractatur negotium ſumme arduum, v. g. de alienatione rerum & jurium Eccleſiæ, vel quando aliud habet conſuetudo. Dixi 3. *Ab habente poteſtatem convocandi*, qui eſt Epiſcopus vel Prælatus, niſi ſit abſens, vel niſi proponendum eſſet negotium concernens vel rem ad Prælati commodum ſpectantem, vel ſolum capitulum tangentem, aut niſi capitulum ſit exemptum; in his enim caſibus convocare pertineret ad Præſidem capituli, v. g. ad Decanum.

3 Dico 2. Ad valorem actus capitularis regulariter ſufficit & requiritur conſenſus partis abſolute majoris & ſanioris præſentium, etſi opponat ſe pars minor *c.* 1. 3. *& fin. h. tit. c.* 48. *de elect.* quia pars major repræſentat totam communitatem, &, quod hæc facit, ab omnibus fieri cenſetur *l.* 19. *ff. ad municipalem*. Dixi 1. *regulariter*: nam duas tertias conſpirare in poſtulandum neceſſe eſt, quando poſtulatio concurrit cum electione, & quando eligitur præfecta monialium in diſcordia &c. *c.* 40. *de elect. & c.* 43. *eod. in* 6. omnes autem, quando decernitur electio per viam compromiſſi, vel quando agitur de re ſingulos capitulares concernente, non qua Collegium, per *c.* 29. *de R. J. in* 6. Dixi 2. *abſolute majoris*;

 licet

licet vi conſuetudinis, extra caſum electionis Prælati, vel negotii valde ardui, paſſim ſufficere dicantur reſpective majora. Dixi 3. *ſanioris*; ſed, niſi manifeſte appareat, majorem partem pravo affectu in tranſverſum agi, major pars ſemper præſumitur etiam ſanior, & hinc multis in locis ſolet tantum attendi major ſuffragiorum numerus. Dixi 4. *præſentium*, inter quos etiam cenſentur abſentes illi, qui debuiſſent vocari, & non ſunt vocati, proin ſi ex 24. Canonici tres non eſſent vocati, abſolute majora non eſſent 11. ſed 13. ſuffragia Abb. in *c.55. de elect. n.11. Objic.* In *c.29. cit.* dicitur *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari* & in *c.56. de R.J. in 6. in re communi potior eſt conditio prohibentis*: ergo, ſi decretum capitulare præjudicat minori parti, & hæc ſe opponit, non ſufficit conſenſus majoris partis. R. Hæ regulæ ſolum procedunt, quando aliquid decernitur de jure ſingulorum proprio, non, quando decernitur de jure univerſitatis, vel ſingulorum quidem, at redundante in utilitatem Eccleſiæ, vel Collegii.

4 Quæres, an & qualis ſubſcriptio requiratur in Inſtrumento, quod erigitur ſuper actu capitulari? R. De jure ſcripto neceſſaria eſt ſubſcriptio, ſaltem in gravioribus negotiis, non ſolum Prælati, ſed etiam capitularium vel omnium, vel ſaltem majoris partis *can.52 cauſ.12 q. 2. c. 1.* de *his quæ fiunt a Præl.* Hodierno tamen uſu ſolet ſe tantum ſubſcribere Prælatus, & capituli caput, vel ſenior, vel uterque, adjecto generali nomine capituli vel Conventus, & oppoſito ſigillo tum Prælati tum capituli. Interim talis ſubſcriptio non reddit Inſtrumentum ſatis ſecurum; nam ſi cauſa ad judicium deveniat, & capitulares diffiteantur ſe præbuiſ-

ſe

ſe conſenſum, horum contradictio vel aſſertio prævalet *c. 5. de Prob.* nec patiuntur jura, ut in Prælati, & alterius, qui ſigilla communia cuſtodiunt, poteſtate ſit Eccleſiam obligare vel ei præjudicare per *c. 2. de ſolut.*

TITULUS XII.

Ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.

SUMMARIUM.

1 *Quænam dicatur diminutio beneficiorum.*
2 *An collator poſſit reſervare fructus beneficii.*
3 *An & qualem beneficio imponere penſionem poſſit Epiſcopus.*
4 *An novum onus perſonale beneficiato.*

1 D*iminutio* beneficiorum eſſe cenſetur, ſi uniantur, diſmembrentur, dividantur, vel ſupprimantur, de quibus jam egimus *tit. V.* item ſi collator ſibi vel aliis reſervet fructus in collatione; aut novum onus vel *reale*, ut eſt penſio ex fructibus, alteri a beneficiato ſolvenda, vel *perſonale*, ut eſt obligatio cantandi in choro, docendi pueros Grammaticam, legendi plures Miſſas &c. imponitur beneficiato novo. De hac reſervatione fructuum, & novi oneris impoſitione adhuc tractandum hic reſtat.

2 Dico 1. Nullus collator abſque conſenſu Sedis Apoſtol. poteſt aliquos beneficii, quod confert, fructus ſibi, vel ſuis, vel menſæ capituli &c. reſervare, multo minus de iiſdem ſibi relinquendis cum collatario paciſci. Communis ex *rubr. & c.un. h.t. c.4. x. & c. 9. de off. ord. in 6. c.31. de V.S.* Ratio, quia per ta-

lem reſervationem ſubverterentur piæ fundatorum voluntates, paſſim graſſaretur avaritia, & beneficiati ob diminutos fructus ſegnius obirent functiones ſacras: ſi vero prædictum accederet pactum, inſuper committeretur Simonia per *c.6. & fin. de pactis*. Regulariter proin ſervandi ſunt fructus beneficii vacantis ſucceſſori, vel expendendi in utilitatem beneficii aut Eccleſiæ *c.4. & 9. citt.* vel, ut habet recepta paſſim conſuetudo, ſi adhuc pendentes, & ab anteceſſore beneficiato, qui aliquo anni tempore jam præſtitit ſervitia, nondum percepti ſint, dividendi pro rata temporis inter hæredes defuncti & ſucceſſorem. Dixi, *ſibi vel ſuis &c.* ſiquidem ad reparandam Eccleſiæ Cathedralis fabricam, vel ad ſolvenda Epiſcopatus gravia debita, vel ob aliam gravis neceſſitatis cauſam permittitur Epiſcopo (non aliis) partem fructuum beneficii reſervare ad tempus. Innoc. in *d.c.un.n.6.* & alii; modo id faciat, dum beneficium adhuc vacat; nam poſt collationem novus beneficiatus jam obtinuit jus ad omnes fructus, qui proin eo invito minui non poſſunt; vel, ſi duret exactio fructuum etiam poſt collationem, modo congrua beneficiati ſuſtentatio maneat ſalva. Si tamen per conſuetudinem eſſet introductum, ut Epiſcopus ad commodiorem ſuam ſuſtentationem aliquid percipiat ex fructibus beneficiorum vacantium, vel ex jam collatorum fructibus primi anni, ea non foret damnanda, propter *c.9 cit.* & paritatem cum annatis Pontifici ſolvendis; modo id fiat ſine pacto, quod eſſet Simoniacum, & auctoritate Epiſcopi. Neque refragatur Trid. *ſeſſ.24. c.14. de ref.* ubi quidem reprobat conſuetudinem, ſed pravam dumtaxat, quæ vel pactionem Simoniacam, vel avaritiam redolet, non vero laudabilem.

3 Di-

3 Dico 2. Quamvis Epiſcopus (vel alius inferior Papa) non poſſit beneficio ipſi imponere penſionem perpetuam, alteri Clerico tanquam penſionario ſolvendam, ſeu ut obligatio ſolvendi tranſeat ad ſucceſſores in beneficio, & duret etiam poſt mortem beneficiati, cui ſolvenda injungitur. 2. Poteſt tamen ex juſta cauſa penſionem imponere beneficiato moderatam, ac temporalem, quæ duret etiam ad vitam beneficiati, & eo extincto expiret velut obligatio perſonalis. 3. Imo probabilius etiam ad vitam penſionarii, ut poſtea expiret tanquam obligatio perſonalis. Pars 1. conſtat ex rubr. *& c.un. h. t. c. 7. de cenſib.* & Trid. *loc. cit.* Pars 2. ex *c. 21. & 30. de præb.* & communi DD. Juſtæ autem cauſæ ſunt 1. bonum pacis, ut ſi duo litigent ſuper eodem beneficio, unus autem velit alteri collitiganti illud relinquere contentus penſione. 2. Subſidium alimentationis; ut ſi ſenex, morbidus &c. velit reſignare beneficium ſuum, ſi ex eo, quod retinere potuiſſet, etiam inutilis, aſſumpto coadjutore, ſolvatur ſibi penſio. 3. Remuneratio inſignium in Eccleſiam meritorum &c. Pars 3. deſumitur ex *c. 5. de tranſact.* ubi prohibetur, ne cenſus ſeu penſio, quæ vitam ejus, qui ſolvit, excedat, & tranſeat ad ſucceſſores, donec moriatur penſionarius, imponatur *abſque Epiſcopali auctoritate*; ergo Epiſcopo id permittitur ex juſta cauſa. *Objic.* Penſio, quæ tranſit ad ſucceſſores beneficiati, cenſetur ipſi beneficio impoſita: ſed hoc eſt prohibitum *c. 21. cit.* ibi: *non dignitas Prioratus, ſed perſona Prioris maneat onerata: ne forte circa proventus aliqua videatur facta ſectio Prioratus.* R. hoc eſt quidem ibi prohibitum, at non Epiſcopis & Ordinariis, ſed Judicibus delegatis, etiam Papæ, de

 qui-

quibus in *d.c.* eſt ſermo, & ratio pugnat ſpecialis: quia per hoc delegati præjudicarent juri Epiſcoporum, qui non poſſunt conferre beneficia ſine onere penſionis, & non niſi diminuta quoad fructus.

4 Dico 3. Novum onus perſonale, quod vi fundationis beneficium non habet ſibi annexum, abſque conſenſu Papæ imponi non poteſt beneficiato, conſequenter ſine conditione, modo, pacto, quo oneretur beneficiatus, conferri beneficia debent per *rubr.& text. h.t.& c.fin. de pact.* aliqui DD. cum *gl. in c.11. v.ita quod de præb.* volunt ab Ordinario cum conſenſu capituli fieri poſſe, quando beneficium adhuc vacat, & non actu confertur, propter *Summarium c.11. cit.* Sed R. ibi licentia ad id petita ac obtenta eſt a Pontifice; quod eſt ſignum, abſque illa fieri non potuiſſe.

TITULUS XIII.

De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.

SUMMARIUM.

1 *Quid intelligatur per Eccleſiam: Alienationem, & res.*

2 *Res Eccleſiarum immobiles, & mobiles pretioſæ, alienari ſine juſta cauſa & ſolemnitatibus nequeunt.*

3 *Quænam ſint illæ ſolemnitates.*

4 *An etiam neceſſariæ, ſi fiat alienatio in aliam Eccleſiam.*

5 *Et an in repudiatione hæreditatis, donationis &c.*

6 *An alienatio ſine juſta cauſa & ſolemnitatibus ſit invalida, etiam pro foro interno.*

7 *Quid*

7 *Quid remedii competat Eccleſia in caſu alienationis invalidæ.*
8 *Quæ ſint pœnæ male alienantium, & res alienatas accipientium.*
9 *Quænam res Eccleſiarum alienari poſſint licite, vel ſaltem valide ſine ſolemnitatibus.*

1 NE beneficia propter defectum redituum vel deficiant vel imminuantur, ac Miniſtris Eccleſiæ neceſſaria ad ſuſtentationem, provide cavetur, ne res Eccleſiæ, ſeu ad Ecſiam pertinentes, facile & libere a Prælatis & adminiſtratoribus alienentur. Per *Eccleſiam* hic intelligitur omnis locus pius auctoritate Epiſcopi conſtitutus, videlicet non modo templa, oratoria, altaria, ſed etiam collegia Clericorum, Monaſteria, & domus Religioſorum, hoſpitalia pauperum, & piæ laicorum congregationes *l.14. junct. auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccl.* Per *alienationem* vero non ſolum illi actus vel contractus, per quos dominium vel plenum, vel utile tantum, mediante traditione transfertur in alium mediate, vel immediate ſed etiam per quos privatur aliquo jure, aut onere gravatur Eccleſia, ut eſt donatio, venditio, permutatio, datio in ſolutum, tranſactio ſecum ferens traditionem, & omnis alia conventio, quam indicat teſte Abb. vox *conditionem* in *c.5. h.t.* poſita, conceſſio in feudum, emphyteuſim, hypotheca ſpecialis, conſtitutio uſusfructus, vel ſervitutis realis, locatio in tempus longum, & ultra tres annos; ſed recte de ultima notat Covarruv. ſi res non ferat fructus niſi tertio primum anno, omnes tres annos computari pro uno. Sumuntur hæc ex *c.5. h.t. extrav. ambitioſæ eod. int. Comm. & l.fin. C. de reb. alien. non alienand.* Ratio, cur no-

men *Eccleſiæ* & vox *alienationis* in hac materia ita late & ample ſumantur, eſt, quia prohibitio alienationis rerum Eccleſiaſticarum Eccleſiis eſt valde favorabilis.

Porro *res* Eccleſiarum vel ſunt *immobiles*, uti fundi, agri, prædia, horti, vineæ, domus, templa, item jura incorporalia immobilibus vel adhærentia, uti jus piſcandi, venandi, ſervitutes, vel æquivalentia, uti cenſus annui, uſusfructus, nomina debitorum, & actiones; non tamen pecuniæ, licet ad rem immobilem comparandam ſint deſtinatæ. Vel ſunt *mobiles*, quæ vel ſe ipſas movere poſſunt, ut animalia, vel ab aliis moveri, quin deſtruantur. Ex his aliquæ dicuntur *pretioſæ*, quæ nimirum vel excellentiam, artem, pretium ſuum reputantur in theſauro Eccleſiæ, uti Reliquiæ ſacræ *inſignes*, gemmæ, monilia, vaſa & ornamenta magni valoris, aurum & argentum magnæ quantitatis, vel quæ magnam Eccleſiæ præſtant utilitatem per annuos & diuturnos reditus, uti grex ovium &c. Huc revoca pecunias, quæ vel a donante, vel a Prælato deſtinatæ ſunt ex voto aut juramento ad comparandam rem immobilem, vel inſtar theſauri, non fructuum, habentur, ut notat Tambur. *de Jure Abb.* & Palao. Aliæ ex mobilibus ſunt *ſervando ſervabiles*, uti bibliotheca, libri, vaſa aurea &c. aliæ non item, quæ nimirum ultra 3. annos aſſervatæ deteriorantur, uti oleum, frumentum, veſtes, pecudes in ſpecie &c.

2 Dico 1. Res immobiles magni momenti Eccleſiarum, & mobiles pretioſæ, ſervando ſervabiles, alienari non poſſunt ſine juſta cauſa, & ſolemnitatibus a jure præſcriptis, nimirum alienatione voluntaria. Communis & certa ex *can.* 15 16. 20. 50. *ſeqq. cauſ.* 12. *q.* 2. *c.* 1. 3. 7. 8. *de his, quæ fiunt a Præl. c.* 1. & 2. *h. t. in* 6, *Clem.* 1. *eod.*

eod. Extr. & l. 14. *cit. nov.*120.*c.*10. Dixi 1. *magni momenti*; nam, quæ ſunt exigui valoris, aut parum utiles, aut etiam noxiæ, uti ſunt ſubinde domus, ex quibus plus in ſteuram & reparationem expendi debet, quam utilitatis capitur, ſine ſolemnitatibus alienare licet, *can.* 20. 52. 53. *cauſ.* 12. *q.* 2. Dixi 2. *pretioſæ*, quænam autem in particulari pro talibus habendæ, uti & quæ exigui valoris, Judicis arbitrio relinquitur penſantis ſtatum Eccleſiæ vel Prælati, aliaſque circumſtantias. Dixi 3. *alienari*. Excipitur tamen conceſſio in emphyteuſim rei ſterilis, ut ad culturam redigatur, item emphyteuticatio vel infeudatio rei ab antiquo in emphyteuſim vel feudum dari ſolitæ, *c.* 7. *h. t. Extrav. cit.* Dixi 4. *ſine juſta cauſa*, cujuſmodi ſemper requiritur, licet forte aliquando ſolemnitates non requirantur, ut ſi fiat alienatio cum conſenſu Pontificis, &c. Cauſæ autem ſunt tres. 1. *Neceſſitas* urgens, cui alio modo obviari nequit, v. g. ſi neceſſe ſit ſolvi debita, reparari ruinoſum ædificium Eccleſiæ &c. 2. Evidens *utilitas*, & quidem major, quæ ſperatur ex alienatione, ut ſi res vicinior Eccleſiæ, vel majorum redituum, ematur pro alia divendita, *d. can.* 52. *c.* 7. 8. *de his, quæ fiunt a Prælato*. 3. *Pietas*, ut ſi ex alienatione redimi poſſint captivi, vel Reipublicæ, aut aliis in gravi neceſſitate conſtitutis ſuccurri. Si quis impugnet, & neget adfuiſſe juſtam cauſam alienandi ea probari debet ab alienante, per *c.* 1. *h. t. in* 6. Dixi 5. *ſine ſolemnitatibus*, de quibus ſtatim. Dixi 6. *alienatione voluntaria*; neceſſaria enim, quam nempe vel Jus præcipit, aut ſententia Judicis, vel expreſſa donantis aut fundatoris voluntas, vel quam exigit incapacitas poſſidendi bona immobilia, qualis eſt apud Franciſcanos de obſer-

vantia, & domos profeſſas Societatis Jeſu, vel ubi aliud remedium ab inſtanti malo Eccleſiam liberandi non ſuppetit, & conſenſus eorum, quem Jura requirunt, tam cito haberi nequit, permittitur abſque ſolemnitatibus Juris; nam *quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum*, *c.* 4. *de R. J.* ne alias, quod in favorem Eccleſiæ eſt introductum, in ejus diſpendium redundet.

3 Quæres, quænam ſint ſolemnitates a Jure ad dictarum rerum alienationem requiſitæ? R. 1. Si Eccleſia præter prælatum aut rectorem habeat capitulum, requiritur 1. *Tractatus* cum capitulo capitulariter congregato, in quo diſcutiendum, an adſit certo juſta alienandi cauſa, & quænam res ſit alienanda. 2. *Conſenſus* capituli, ſaltem majoris partis, & quidem expreſſus. 3. *Subſcriptio* capituli. Colliguntur hæc ex *can.* 52. *c.* 1. 3. 8. *de his quæ fiunt a Præl. c.* 1. *h. t. in* 6. *& Extrav. cit.* Sicut autem conſenſus capituli, ita & a fortiori conſenſus Prælati eſt neceſſarius, ut communiter docent. 4. *Auctoritas* ſeu conſenſus *ſuperioris* expreſſus, & quidem immediati, qui apud non exemptos ordinarie eſt Epiſcopus, apud Religioſos exemptos Provincialis vel Generalis. 5. Spectato Jure ſcripto *auctoritas Summi Pontificis*, excepta locatione ad triennium, emphyteuticatione & infeudatione rei ab antiquo in feudum & emphyteuſin dari ſolitæ. Statuuntur hæc in *can.* 41. *cauſ.* 12. *qu.* 2. *c.* 2. *h. t. in* 6. *& Extrav. cit.* Volunt tamen multi DD. neceſſitatem conſenſus Sedis Apoſtolicæ vi conſuetudinis non eſſe neceſſarium in Germania, ſaltem in Eccleſiis non exemptis, & in exemptis, quando agitur de alienatione prædiorum minoris momenti. Engel *b. t. n.* 15. 24. Kon. *n.* 25. De regulari-

laribus extat ſpeciale decretum S. Congreg. ab Urbano VIII. approbatum anno 1624. urgens obſervationem *Extrav. Ambitioſæ h. t. int. comm. cit.* ut nempe exigatur conſenſus S. Congreg. qui cenſetur eſſe Pontificis. Econtra quibuſdam in locis vel vi conſuetudinis, vel vi privilegii Apoſtolici, vel vi juris in fundatione reſervati neceſſarius quoque eſt *conſenſus Principis ſæcularis* territorialis, ut in Bohemia, Auſtria &c. D. Greneck. *h. t. n.* 10. Idem obtinet in Bavaria apud Eccleſias & Monaſteria propter ſpecialia concordata. Kon. *loc. cit.* Nunc R. 2. Si vero Eccleſia capitulum vel conventum non habeat, ſufficit conſenſus rectoris vel adminiſtratoris, ac ſimul ſuperioris, prævio examine ſuper juſtitia cauſæ. *Clem.* 1. *h. t.* Reiffenſtuel *eod. a n.* 23.

Notandum vero eſt, quod alienatio ſanetur, ſi dictæ ſolemnitates, v. g. conſenſus & ſubſcriptio capituli, vel auctoritas ſuperioris, ex poſt ſuperveniant, quia ratihabitio ſubſequens retrotrahitur ad tempus factæ in Eccleſiæ utilitatem alienationis, *c.* 10. *de R. J. in* 6. Communis. *Objic. Quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere, l.* 29. *ff. eod.* & : *non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non ſubſiſtit, c.* 18. *eod. in* 6. ſed alienatio rerum eccleſiaſticarum facta ſine ſolemnitatibus vitioſa eſt, & non ſubſiſtit : ergo. R. non eſt neceſſe, ut tractu temporis convaleſcat, quia talis alienatio, cui ſupervenit ſolemnitas prius omiſſa, ex diſpoſitione & fictione Juris habetur pro valida non ſolum *pro nunc*, ſed etiam pro tunc, ſeu tempore, quo facta eſt ; nam fingit Jus, jam tum interveniſſe ſolemnitatem requiſitam, nempe in favorem Eccleſiæ.

4 Dubitabis, an dictæ ſolemnitates ſint etiam ne-

neceſſariæ, quando res unius Eccleſiæ alienatur in aliam Eccleſiam, vel locum pium? R. cum Card. de Luca, Pyrrho Corrado, & aliis, ſtylum Curiæ Romanæ, & inferiorum tribunalium praxim allegantibus, & cum aliorum communi affirmative contra Barb. P. Fr. Schmier, & Begnudellium &c. Deſumitur tum ex *c. 1. eod. in 6.* ubi alienatio decimarum ab una in aliam Eccleſiam facta ſine tractatu & conſenſu capituli decernitur eſſe nulla, tum ex *c. 2. eod. in 6. can.* 41. *Clem.* 1. *& Extrav. Ambitioſæ citt.* ubi generaliter & ſine diſtinctione, an in laicos vel Eccleſias fiat alienatio, requiritur conſenſus capituli & ſuperioris. Ac inſuper ratio, ne res ſemel Eccleſiis acquiſitæ contra intentionem Fundatorum ab Eccleſiis particularibus, ne ibi cultus Divinus & miniſtrorum ſuſtentatio detrimentum capiat, facile diſtrahantur, pugnat æque in caſu, quo fit alienatio in alias Eccleſias. *Objic.* In *c. 1. h. t.* plus non requiritur, quam conſenſus ambarum Eccleſiarum. 2. In *c. 2. cit.* neceſſitas conſenſus Summi Pontificis diſerte reſtringitur ad alienationem *in laicos* faciendam. 3. Idem fere dicit *Extrav. cit.* quæ in principio ſolum agit contra illos, *qui immobilia & mobilia pretioſa, Deo dicata, profanis uſibus applicare præſumunt*: ſed uſibus profanis non applicantur, ſi alienantur in Eccleſias: ergo. R. ad 1. Jura non dicunt omnia in omnibus locis; hic igitur conſenſum Eccleſiarum, alibi conſenſum capituli, & ſuperioris, alibi juſtam cauſam requirunt. Certe dictum *c. 1.* ne facit mentionem cauſæ; quis autem inde inferat, eam non eſſe neceſſariam? Ad 2. ibi ſolum occaſione facti, non per modum diſpoſitionis reſtrictivæ & taxativæ, fit mentio laicorum. Ad 3. Ex illo textu

textu non ſatis fideliter omittitur particula implicativa *præcipue* illorum, qui profanis uſibus &c. qua denotatur, majorem quidem dari rationem in uno caſu, ſed alter non excluditur, ſed potius tacite involvitur Barb. *de Dictionibus v. Præcipue*.

5 Hærebis adhuc, an prædictæ ſolemnitates requirantur etiam in repudiatione juris Eccleſiæ delati, v. g. hæreditatis, vel legati, aut donationis factæ; an nimirum prælatus poſſit repudiare vel non acceptare ſine ſolemnitatibus talem hæreditatem, legatum, donationem? R. cum Azor. Mol. Engel &c. contra Barb. & Sanch. probabilius neceſſarias eſſe ſolemnitates etiam ad valorem, non tantum ad licentiam. Prob. 1. Repudiatio juris delati ſaltem in latiori ſenſu habetur pro alienatione, *l. 5. §. 8. ff. de reb. eor. qui ſub tutela*, ibi: *fundum autem legatum repudiare pupillus ſine Prætoris auctoritate non poteſt; eſſe enim & hanc alienationem, cum res ſit pupilli, nemo dubitat:* ergo repudiatio pro alienatione eſt habenda, ubi alienatio eſt prohibita in favorem: ſed alienatio rerum eccleſiaſticarum ſine ſolemnitate eſt prohibita in Jure, & quidem in favorem Eccleſiarum, ſicut alienatio rerum immobilium pupilli ſine auctoritate Prætoris: ergo. Prob. 2. Hujuſmodi hæreditas, vel legatum eſt relictum, aut res donata, non prælato, ſed Eccleſiæ: ſed nemo repudiare poteſt, niſi cui aliquid relictum vel donatum eſt, *l. 23. ff. de acquir. vel omitt. hæred.* ubi dicitur, quod, qui repudiat, *de ſuo jure* certus eſſe debeat. Prob. 3. Per delatam hæreditatem, legatum, vel donationem factam Eccleſiæ acquiſitum eſt jus proximum acceptandi; ergo Prælatus non poteſt non acceptare; alias enim tranſgrederetur limites poteſtatis ſuæ, & pri-

& privaret Eccleſiam jure jam quæſito ; quod prælato non eſt conceſſum , quia tantum eſt adminiſtrator in favorem & utilitatem Eccleſiæ , non in detrimentum & ſub jure adminiſtrandi non comprehenditur jus repudiandi. Prob. 4. Qui actionem habet ad rem immobilem , rem ipſam habere cenſetur *l.* 143. *ff. de V. S.* ergo multo magis , qui ſola voluntatis declaratione , citra moleſtiam actionis, dominium rei acquirere poteſt : ergo Prælatus nequit hanc declarationem omittere citra læſionem Eccleſiæ.

Objic. 1. Qui non acquirit , non cenſetur alienare, ut qui hæreditatem omittit, *l.* 28. *ff. de V. S.* Et hinc licet conjux donare non poſſit conjugi , in favorem tamen conjugis repudiare permittitur legatum , *l.* 5. §. 14. *ff. de donat. int. vir & ux.* 2. Per delationem hæreditatis, legatum, vel donationem factam , non acquiritur Eccleſiæ jus abſolutum & perfectum , ſed ſolum conditionatum, ſi adeat vel acceptet : ergo per non aditionem vel non acceptationem Eccleſia non privatur jure abſoluto, nec ante acceptationem oritur Eccleſiæ actio . R. ad 1. *diſt.* non cenſetur alienare in ſenſu rigido . *tranſ.* in ſenſu latiori, in quo hic ly *alienare* ſumi debet, *negatur* . Dein talis Prælatus non præciſe non acquirit, ſed repudiat, & dimittit jus adeundi vel acceptandi jam abſolute quæſitum . Ad 2. *n. ant.* dein nec jus conditionatum repudiari poteſt ab eo, cui delatum non eſt: neque impediri actio per non acceptationem , vel per repudiationem. Dein , quod Eccleſiæ relinquitur vel donatur , hoc ipſo jam cenſetur acceptatum a Deo, ut habet receptior apud Engel *tit. de Pactis n.* 4. *& tit. de donat. n.* 2. vel ab Eccleſia *arg. l.* 1. *pr. l.* 3. *l.* 9. *de pollicit.*

6 Di-

6 Dico 2. Alienatio rerum Eccleſiæ immobilium, & mobilium pretioſarum, ſine juſta cauſa; vel ſolemnitatibus (nam & hæ & illa copulative requiruntur) non ſolum illicita, ſed etiam invalida eſt, 2. probabilius tamen valida eſt pro foro interno, ſi tantum ſolemnitates deſint, ut adeo talem rem ſibi alienatam recipiens bona conſcientia retineat, donec nullitas alienationis per ſententiam declarata, & res Eccleſiæ adjudicata fuerit. Pars I. manifeſte patet ex *c. 6. h. t. c. 1. & 2. in 6. Clem. 1. & Extrav. Ambitioſæ int. comm. eod.* Notandum tamen, quod hæc nullitas non detur reſpectu Eccleſiæ, ſi alienatio revera fuiſſet ei utilis, proin poſſet Eccleſia, invito eo, in quem facta eſt, convalidare alienationem ſuppleri curando ſolemnitates omiſſas, ut DD. communiter tradunt cum deciſionibus Rotæ & Fagnano *in c. nulli h. t. n. 46.* ex paritate cum contractibus cum pupillo vel minore initis, qui ſuſtinentur ex illorum parte, ſi ipſis ſunt utiles, *pr. inſt. de auct. tutor.* Pars 2. probatur negative, quia non ſufficienter probatur nullitas pro foro interno, & receſſus a Jure naturali, quo ſolo ſpectato alienatio ex juſta cauſa & mutuo conſenſu facta ſubſiſtit, imo & licita eſſe poſſet.

Objic. 1. Eccleſia per alienationem læſa reſtituitur in integrum, *c. 1. & 3. de in integ. reſtit.* ſed hæc reſtitutio ſupponit valorem actus. 2. Finis, propter quem requirunt ſolemnitates, eſt, ne damnificentur Eccleſiæ per alienationes: ergo, quia non damnificantur Eccleſiæ, quando conſtat de juſtitia cauſæ, v. g. de utilitate, & tantum deſunt ſolemnitates, valet alienatio etiam pro foro externo. 3. Jura abſolute irritant alienationes ſine ſolemnitatibus factas, ita ut *nec jus aliquod tribuant, nec præſcribendi*

etiam

etiam cauſam parent, *c.* 1. *Clem.* 1. *h. t. c.* 2. *eod. in* 6. atque *nullius omnino eſſe roboris vel momenti* pronuntiantur *Extrav cit.* ergo etiam pro foro interno ſunt invalidæ. 4. In *d. Extrav.* excommunicatur tam alienans, quam recipiens rem alienatam: ergo & recipiens peccat in conſcientia: ergo in conſcientia non poteſt retinere, ſed debet reſtituere ante omnem ſententiam. 5. Solemnitas pertinet ad formam ſubſtantialem alienationis: ſed actus ſine ſua forma omni modo eſt nullus, adeoque & pro foro interno. R. ad 1. *diſt. ma.* reſtituitur in integrum, quando ſolum eſt læſa in pretio, *conc. ma.* quando defecit juſta cauſa, vel ſolemnitates Juris, *n. ma.* Sumitur hæc diſtinctio ex *c.* 3. *de empt. & vendit.* Ad 2. *n. ant.* finis enim non eſt damnificatio actualis in caſu particulari evitanda, ſed ſecuritas Eccleſiarum contra univerſale periculum damnificationum, quod generaliter & antecedenter ad omnes caſus particulares dari præſumitur a Jure, licet in caſu particulari forte per accidens non detur, vel Eccleſia non damnificetur. Ad 3. *diſt. ant.* nullum jus tribuunt recipienti, & nullius omnino ſunt roboris, in & pro foro externo. *C. Ant.* in & pro foro etiam interno, *n. ant. & conſ.* Ad 4. *tranſm. enthim.* quando nempe recipiens ſcivit prohibitionem alienationis ſub cenſura excommunicationis, *n. illatum*: aliud enim eſt contrahere, & recipere rem, & aliud retinere: illud prohibuit Jus, iſtud non, ſaltem clare ſatis, & ante ſententiam. Ad 5. eſt eadem reſponſio; quia ſolemnitas pertinet quidem ad formam ſubſtantialem alienationis pro foro externo, non pro interno.

7 Quæres, quid remedii competat Eccleſiæ, ſi alienatio pro foro externo eſt invalida? R. Com-

Competunt ipſi duæ actiones, una *perſonalis* adverſus Prælatum & adminiſtratorem, ut damnum, ſi habeat propria bona, ex ſuo reſarciat, *can.* 18. *cauſ.* 12. *q.* 2. *&* *c.* 3. *de pignor.* altera *realis* adverſus poſſeſſorem rei male alienatæ ad eam recuperandam, *can.* 39. *q. cit. c.*4. *&* 6. *h.t.* Si vero per unam ex his ſatisfactionem obtinuiſſet Eccleſia, altera non amplius haberet locum, per *l.* 57. *ff. de R.J.* Si vero Eccleſia conſtituat rem ipſam repetere, conſultius facit, ſi intentet remedium poſſeſſorium poſſeſſionis recuperandæ, quam vindicationem; quia dominii probatio difficilior ſemper eſt, quam poſſeſſionis habitæ. Revocare autem rem male alienatam una cum fructibus ab altero ex ea percipiendis, & (ſi malæ fidei fuerit) etiam perceptis, & conſumptis non ſolum poteſt ac debet ſucceſſor alienantis, & capitulum, ſed etiam ipſe alienans, *c.* 6. *cit.* imo & quilibet clericus talis Eccleſiæ in defectu priorum, *c.* 6. *cit.* Imo & patronus id poteſt, per *can.* 31. 32. *cauſ.* 16. *qu.* 7. Quin & Princeps territorialis, ut notant.

8 Dico 3. Pœnæ, a moderno Jure *Extrav. cit.* in male alienantes & recipientes ſtatutæ, ſunt hæ. 1. Si alienans eſt Epiſcopus vel Abbas, incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo Jure. 2. Si eſt inferior, excommunicationem ipſo facto, & ſimul ipſo Jure privatur beneficio, dignitate, officio, cujus bona alienavit. 3. Recipiens mala fide pariter eſt excommunicatus, & ſimul perdit pretium applicandum Eccleſiæ (poſt ſententiam tamen) *l.* 14. §. 1. *C. de SS. Eccl. c.* 5. *h.t.* Si bona fide egit, poterit repetere pretium ab Eccleſia, ſi illud extet, vel verſum ſit in utilitatem Eccleſiæ. A dictis pœnis excuſat ignorantia probabilis, & ſi alie-

ſi alienatio effectum non ſit ſortita. Imo ſatis multi exiſtimant, has pœnas a *d. Extrav.* ſtatutas per deſuetudinem abrogatas eſſe.

9 Ex hucuſque dictis conſectarium eſt, ſine ſolemnitatibus valide alienari (imo & licite ex juſta cauſa; hæc enim in omni alienatione requiritur Jure naturali, cum adminiſtratoribus rerum Eccleſiaſticarum non ſit conceſſum eas prodigere, & temere erogare) 1. res mobiles non pretioſas (quas inter etiam reputatur pecunia) maxime ſervando non ſervabiles, 2. res immobiles modici valoris, vel inutiles, aut noxias, 3. locari ad triennium, vel de conſuetudine ad novennium, 4. renovari infeudationem & emphyteuticationem, 5. alias res immobiles diſtrahi, ſi exigat inevitabilis neceſſitas Juris vel Facti, 6. vaſa, etiam argentea, ut calices, pocula ordinaria, item ornamenta, ob vetuſtatem vel incommoda vel deturbata, aut fracta &c. permutari cum novis & melioribus, vel conflari, ut recentia & commodiora inde efficiantur, ſaltem vi conſuetudinis; non vero illa, quæ vel ratione artis, vel materiæ, vel alterius qualitatis reputantur eſſe pretioſa, & inſtar theſauri a prædeceſſoribus habita vel aſſervata ſunt.

TITULUS XIV.

De precariis.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſint precariæ, & quid precarium.*
2 *Quomodo differat inter ſe.*
3 *An ad Precarias requirantur ſolemnitates.*

1 Nunc

1 NUnc ſequuntur varii contractus, per quos alienationes fieri contingit, & quorum generalia principia jam tradidimus ad *tit. de pactis in lib. I.* Primus, qui occurrit, eſt *precaria*, *ſeu precariæ*, ac definitur eſſe contractus a Jure canonico inventus, quo alicui ad preces conceditur res eccleſiaſtica, in uſumfructum ad dies vitæ vel ad certum tempus, ea lege, ut ſingulis annis petatur renovatio hujus conceſſionis. Communis ex *can.* 3. 5. *cauſ.* 10. *q.* 2. *c.* 1. *h. t.* Econtra *precarium* dicitur eſſe contractus (juxta alios pactum gratuitum & legitimum) a Jure civili inventus, quo alicui ad preces gratis conceditur aliqua res in uſum, ita tamen, ut pro libitu ſemper revocari poſſit, *c. fin. eod. l.* 1. 4. *& 6. ff. de precario*.

2 Dico 1. Precariæ & precarium differunt in multis. 1. Precariæ non poſſunt pro libitu concedentis revocari, *c. fin. cit.* bene tamen precarium, licet res ſit conceſſa ad certum tempus, vel adjectum pactum de non revocando ante lapſum certi temporis; quia revocabilitas eſt de eſſentia precarii, per *jura cit.* & hinc differt a donatione. 2. Precarias accipiens tenetur præſtare culpam leviſſimam, per quam Eccleſiæ intulit damnum in re ſibi conceſſa, & ad hoc reſarciendum Eccleſia habet *actionem precariam*, per *can.* 72. *cauſ.* 12. *q.* 2. *& l.* 5. §. 2. *ff. commodati*. Econtra precarium accipiens ſolum tenetur præſtare culpam latam, *l.* 2. 8. §. 3. *ff. de precario*. Unde concedendi parit *interdictum de precario*, vel *conditionem incerti* ad damnum per culpam latam ſibi illatum reſarciendum. 3. In precario nulla merces intervenire poteſt, nec renovatione opus eſt, bene tamen in precariis, licet plerumque gratis conſtituantur.

3 Di-

3 Dico 2. In primæva conſtitutione (non autem in renovatione) precariarum præter juſtam cauſam neceſſariæ ſunt ſolemnitates, alias ad alienationem rerum eccleſiaſticarum requiſitæ, per *Extrav. Ambitioſæ, de reb. Eccleſ. alien. int. comm.* quia talis conſtitutio in effectu eſt alienatio rei frugiferæ immobilis, vel ſaltem locatio ultra triennium.

TITULUS XV.

De commodato.

SUMMARIUM.

1 *Quid & qualis contractus ſit commodatum.*
2 *Ad quid inde obligetur commodans.*
3 *Et ad quid commodatarius.*
4 *Et qualis utrique naſcatur actio.*

1 Commodatum eſt contractus *realis*, ſicut *depoſitum*, *pignus*, & *mutuum*, quia non ſolo conſenſu perficiuntur, ſed actuali rei traditione. Qui dat commodato, *commodans*: qui accipit, *commodatarius*; ſicut ordinarie vox, quæ terminatur in *arius*, denotat accipientem, uti depoſitarius, mutuatarius, donatarius, uſufructuarius, penſionarius &c.

2 Dico 1. Commodatum eſt contractus realis, quo res alicui gratis conceditur ad certum uſum & certum tempus, ea lege, ut finito uſu eadem in ſpecie reſtituatur. Communis ex §. 2. *inſt. quib. mod. re contrah. obl. & c. un. h. t.* Unde ad commodatum requiritur 1. ut res tradatur: per quod differt a *contractibus conſenſualibus*, 2. ut detur ad uſum: per quod differt

fert a *mutuo*, in quo inſuper dominium transfertur in mutuatarium, item a *depoſito*, quia in hoc res datur cuſtodiæ cauſa, & a *pignore*, in quo datur in ſecuritatem crediti, non *ad uſum*, 3. ut uſus concedatur gratis: per quod differt a *locatione*, in qua res conceditur ad uſum pro certa mercede; & hinc, quia homines ordinarie non ſolent gratis res ſuas alteri ad uſum concedere, in dubio præſumitur potius locatio, quam commodatum, 4. ut detur ad certum uſum, & certum tempus, quod, ſi explicite non determinetur, tacite determinatum eſſe cenſetur, nempe poſt uſum finitum: per quæ differt *a precario*, in quo res ad uſum & tempus indeterminatum datur, & ſimul poſſeſſio naturalis, 5. ut res ſit talis, quæ finito uſu in ſpecie (h. e. ut Philoſophi loquuntur, in individuo) reddi poſſit, adeoque non debet eſſe fungibilis, quæ ipſo uſu conſumitur, ut eſt panis, vinum, pecunia &c. tunc enim potius foret mutuum. Porro, ſicut omnis res, quæ uſu ipſo non conſumitur, mobilis vel immobilis, corporalis vel incorporalis (etiam aliena, *l.* 15. 16. *ff. commodati*) commodato dari poteſt: ita omnes (& ſoli) commodare poſſunt, qui liberam habent rerum ſuarum adminiſtrationem, per *l.* 1. §. 2. *l.* 2. *ff. eod.* Sed *Objic.* qui rem ſibi commodatam alteri commodat, cenſetur furtum committere, *l.* 54. §. 1. *ff. de furt.* ergo ſaltem res aliena non cadit in commodatum. R. *n. conſ.* non enim repugnat, ut committatur furtum, & ſimul actio commodati naſcatur.

3 Dico 2. Commodans vi hujus contractus obligatur 1. rem commodatam ante uſum finitum (niſi ipſemet ob caſum ante non prævifum indigeat uſu rei ſuæ, vel niſi commodatarius

intra tempus ipſi præfixum uti non potuerit, aut noluerit) non revocare, *l.* 17. §. 3. *ff.* & *c. un. h. t.* 2. reſarcire expenſas neceſſarias, quas in rem ipſam (non vero, quas in uſum rei, v. g. ſi equus perdidit ſoleam) facere debuit commodatarius, *l.* 18. §. 2. *ff. eod.* 3. reparare damna per dolum vel culpam latam illata commodatario, ut ſi commodaſſet rem vitioſam vel ſciens, vel ſi vitium facile potuiſſet ſcire, *l.* 17. & 18. *citt. l. penult. ff. eod. l.* 23. *ff. de R. J.* nam in contractibus dolo æquiparatur culpa lata, & ubi dolus jubetur præſtari, intelligendum eſt etiam de culpa lata, *l.* 226. *ff. de V. S. l.* 23. *cit.*

4 Dico 3. Commodatarius viciſſim obligatur rem commodatam, exactiſſima diligentia cuſtodire, ac proin regulariter præſtare non ſolum dolum & culpam latam, ſed etiam levem, imo leviſſimam (ſaltem pro foro externo) per quam res deteriorata, deſtructa, vel deperdita fuit, §. 1. *inſt. cit. l.* 5. §. 2. & 8. *l.* 18. *ff. commodati, l.* 1. §. 4. *ff. de O. & A. c. un. h. t.* non tamen per ſe caſum fortuitum, niſi nempe ſpecialiter ad eum ſe obligaverit, vel per uſum ſibi non conceſſum, aut per moram, cauſa fuerit caſus fortuiti, 2. re commodata non aliter, & non diutius, quam ipſi conceſſum eſt, uti *l.* 17. §. 3. *ff. commod.* 3. eamdem finito tempore & uſu reſtituere in ſpecie, *d. c. un. l.* 17. §. *fin. ff. eod.* Si tamen non amplius extaret, vel deterior facta eſt, ſufficit dare æquivalens, *l.* 18. §. 1. *ff. eod.* quo caſu etiam compenſatio haberet locum, ut docui in *meis deciſionibus h. t.* ex *l.* 4. & *fin. C. de Compenſat.* & aliis fundamentis.

Objic. 1. Sufficit, ſi commodatarius eamdem præſtet culpam, ad quam tenetur venditor,

l. 3.

l. 3. *ff. de perit.* & *comm. rei vend.* ſed venditor ſolum tenetur ad culpam levem, non leviſſimam. 2. Non eſt ratio, cur commodatarius teneatur ad culpam etiam leviſſimam, commodans vero ad culpam dumtaxat latam; ergo. R. ad 1. ibi eſt ſermo de venditione nondum completa, ut ſi vinum ad menſuram venditum, nondum ſit admenſum: quo caſu etiam venditor præſtat culpam leviſſimam, *l.* 3. *cit.* & duabus *præced.* Harpprecht ad *d.* §. 2. *inſt. n.* 29. Ad 2. N. *Ant.* Ratio diſparitatis petitur ex *cit. l.* 5. §. 2. ubi datur hæc regula generalis: ſi contractus cedit in utilitatem utriuſque contrahentis, uti emptio-venditio, locatio-conductio &c. præſtatur culpa levis & lata; *l.* 18. *ff. eod.* ſi cedat in utilitatem & favorem ſolius dantis, accipiens tenetur ſolum ad culpam latam, ut in depoſito, §. *præterea*, *inſt. quib. mod. re contr. obl.* Si autem in gratiam ſolius accipientis, etiam leviſſima erit ab accipiente præſtanda, uti in commodato, *l.* 5. *cit.* DD. communiter. Unde quia per accidens etiam commodatum cedere poteſt in utilitatem utriuſque contrahentis, vel etiam in utilitatem ſolius commodantis, quamvis raro, commodatarius vel ad levem, vel ad latam tantum culpam adſtringetur, *cit. l.* 18. *pr.* & *l.* 5. §. 10. A dicta regula excipe *tutelam*, quæ eſt quaſi contractus cedens in ſolius pupilli utilitatem, & tamen præſtatur non ſolum lata, ſed etiam levis culpa; quia in favorem pupilli ſpeciale & ſingulare hoc eſt.

5 Dico 4. Ex his mutuis obligationibus oritur duplex *actio commodati*, una, nempe *directa*, commodanti adverſus commodatarium, ut præſtet ea, ad quæ ipſum obligari ex commodato diximus; altera, nimirum *contraria*,

commodatario adverſus commodantem in ordine ad ea præſtanda, ad quæ ipſum teneri docuimus. Commodati inſuper competere poteſt *actio Legis Aquiliæ*, ſi commodatarius rem deterioravit, *l. 18. cit.* §. 1. vel rei vindicatio, ſi alius, quam commodatarius, rem commodatam detineat, *l. 9. ff. de R.V.*

TITULUS XVI.

De depoſito.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſit depoſitum.*
2 *Ad quid obligetur deponens, & depoſitarius.*
3 *An in depoſito locum habeat compenſatio.*
4 *Actio depoſiti directa, & contraria.*

1 DEpoſitum (idem tene de commodato, & precariis ac precario) ſumi poteſt vel *objective* pro ipſa re depoſita, vel *formaliter* pro contractu depoſiti.

Dico 1. Depoſitum formaliter acceptum eſt contractus realis, quo res alicui gratis cuſtodienda traditur, ea lege, ut eadem in ſpecie, quandocumque deponenti libuerit, reſtituatur. Communis ex *l. 1. ff. depoſiti*, & *c. 2. h. t.* Unde apparet, quomodo differat ab aliis contractibus, mutuo, pignore, commodato &c. nec enim uſus rei depoſitæ regulariter conceditur; ſi enim conceditur uſus rei fungibilis, in mutuum, ſi non fungibilis, in commodatum aliquo modo degenerat, & fit depoſitum *irregulare*, ſi autem merces acciperetur, participaret de locatione. Aliud depoſitum eſt *Conventionale*, vel

vel *in ſpecie*, quod fit ex conventione libera deponentis & depoſitarii: aliud *Judiciale*, quando res litigioſa traditur Judici, vel ſequeſtro (& tunc *ſequeſtrarium* appellatur) ut eam retineat tamdiu, donec ex cauſæ deciſione liqueat, cui debeatur. Huc refertur, quod vocatur *ſiſtendarum uſurarum*, quando nimirum debitor ſolutionem, quam creditor non vult acceptare, deponit apud Judicem, ut ſe liberet ab uſuris, *l.* 19. *C. de uſuris*. Porro deponere, & depoſitum recipere, poteſt quilibet, qui contrahere, & contrahendo ſe obligaret. Item res quælibet deponi, quæ cuſtodiam recipit, & alterius cuſtodiæ commendari poteſt (unde depoſitum etiam vocatur *Commendatum*) qualis eſt etiam res immobilis, ut habet communior ex *l.* 1. *pr. ff. depoſiti*, *c.* 2. *de dolo*, item aliena, *l.* 1. *cit.* §. 39. licet deponens rem alienam ſecundum Jus civile dicatur furtum committere, ut de commodato dictum.

2 Dico 2. Deponens vi hujus contractus obligatur indemnem ſervare depoſitarium, ſcilicet refundendo expenſas in rem depoſitam factas, & reparando damna per dolum vel culpam, etiam leviſſimam, illata depoſitario, *l.* 5. 12. 32. *ff, h. t.* & *arg. l.* 5. §. 2. *ff. commod.* vi cujus debet præſtari culpa etiam leviſſima ab illo, in cujus ſolius utilitatem cedit contractus: ſed depoſitum cedit in utilitatem & gratiam ſolius deponentis: ergo. Econtra depoſitarius obligatur 1. rem depoſitam cuſtodire diligentia communi, licet ipſe alias ſoleat res proprias cuſtodire diligentiſſime, proin regulariter ſolum tenetur præſtare dolum, & culpam latam, §. 3. *inſtit. quib. mod. re contrah. obl. l.* 1. §. *ult. l.* 20. *ff. l.* 1. *C. h. t. & arg.* §. 2. *l.* 5. *cit.* Nec obſtat, §. 17. *inſt. de oblig. quæ ex del.* ubi dicitur: *is*,

apud quem res depoſita eſt, cuſtodiam non præſtat, quia juxta communem interpretationem per to *cuſtodiam* intelligitur culpa levis, quo modo etiam alibi accipitur in Jure, uti *l. 28. C. de locato*. Excipe 1. nautas, caupones, & alios, qui ex officio ſuſcipiunt depoſita; hi enim tenentur ad omnem culpam, etiam leviſſimam, ſaltem ſi moniti ſint de cuſtodia, *l. 3. §. 1. ff. nautæ, caupones*. 2. Religioſos, vel etiam Prælatum, ſine conſenſu ſuperioris, vel capituli, depoſita ſuſcipientes; hi enim neque culpam latam, neque dolum præſtant, niſi inde ſint facti ditiores, *c. 1. h.t. & c. 76. de R. J. in 6.* Ceterum quæ tempore belli inferuntur in Monaſteria tanquam in aſylum, ne quidem depoſita cenſentur proprie, quia Monaſteria obligare ſe non ſolent ad cuſtodiam. Obligatur 2. re depoſita non uti ſine expreſſo deponentis conſenſu, vel ſaltem tacito (qui cenſetur eſſe datus, ſi pecunia numerata, non tamen clauſa vel obſignata, daretur in depoſitum) quin furtum committat, *§. 6. inſt. de oblig. quæ ex del. l. 29. ff. depoſiti*, 3. rem depoſitam in ſpecie (ſeu in individuo) reddere cum omni cauſa & ſtatim, quando repetit deponens, niſi quid excuſet *l. 1. §. 16. & 22. ff. eod.*

3 Quæres, an depoſitarius teneatur rem depoſitam reſtituere petenti etiam tunc, quando deponens aliquid viciſſim debet depoſitario? Seu an in depoſito locum habeat compenſatio, vel retentio in compenſationem debiti? 2. An depoſitarius in periculo incendii, hoſtilis incurſionis &c. teneatur res depoſitas ſervare præ ſuis, & propriis, ſi utraſque ſervare nequeat? R. ad 1. non habet locum compenſatio, vel etiam retentio tantum, ſaltem pro foro externo, *c. 2. l. 11. C. h. t.* nempe propter exuberan-

rantiam bonæ fidei, in depoſito requiſitæ, quod non permittit, ut depoſitarius contra datam fidem retineat rem depoſitam in compenſationem alterius debiti. Excipe caſum quo depoſitarius ratione ipſius rei depoſitæ poſſit aliquid prætendere, ut ſi expenſas in eam facere debuit; tunc enim illam retinere poteſt, donec expenſæ reſarciantur, per *l.* 18. §. 4. *ff. commod.* R. ad 2. cum diſtinctione: vel res propriæ ſunt pretioſiores, quam depoſitæ, vel ſaltem æque pretioſæ, & poteſt præferre proprias; tum quia charitas incipit a ſe ipſo, & *potior habetur propria quam aliena cauſa*, *l.* 97. *ff. de ſolut.* tum quia prudentis eſt magis pretioſa præferre minus pretioſis, & ex æqualibus propria. Vel res depoſitæ ſunt pretioſiores & tenetur has ſervare præ ſuis, *c.* 2. *cit.* quia æquitas hoc ſuadet: poteſt tamen petere compenſationem damni, quod paſſus eſt præferendo res depoſitas, & ſi hanc non ſperare poteſt, non damnarem, ſi res ſuas, etiam viliores præferret.

Objic. 1. In *d. c.* 2. ſic dicitur: bona fides abeſſe præſumitur (adeoque dolus committi) ſi ſalvis rebus propriis omittantur depoſitæ: ergo. 2. Commodatarius non poteſt res proprias æque pretioſas præferre commodatis, *l.* 5. §. 4. *ff. commodati:* ergo nec depoſitarius. R. ad 1. ille textus debet intelligi de rebus depoſitis magis pretioſis, quam ſint propriæ, non viciſſim, vel forte etiam de æqualiter pretioſis. Ad 2. *Antec.* verum eſt tunc, quando commodatarius relictis rebus commodatis omnibus ſolas ſervat ſuas, & quaſi ſtudioſe ſeligere videtur; non vero, ſi æque commodatas ac proprias, ut in confuſione occurrunt, & ad manum ſunt, ſervare ſtudeat; tunc enim nullius culpæ argui poteſt. P. Bockhn ad *h. t. nu.* 11.

Dein *n. conſ. & parit.* quia commodatarius omnem utilitatem habet ex commodato, depoſitarius ex depoſito nullam: unde ille majorem rerum commodatarum curam habere tenetur, quam iſte depoſitarum.

4 Dico 3. Ex his mutuis obligationibus oritur duplex *actio depoſiti*, una deponenti, & quidem directa, contra depoſitarium, altera, nempe *contraria*, depoſitario adverſus deponentem, in ordine ad ea, ad quæ vi contractus ſibi obligatos eſſe diximus, *l.* 1. §. 23. *ff. h. t.* Actio depoſiti directa habet hoc ſpeciale, quod depoſitarium ſi doloſe neget, vel reſtituere recuſet rem depoſitam, atque de dolo convincatur & condemnetur, faciat infamem, *l.* 10. *C. eod.* & quod dupli eumdem faciat reum, ſi perfide inficietur depoſitum *neceſſarium*, ſeu *miſerabile* (ſic vocatur, quando in 4. caſibus, incendii, naufragii, hoſtilis incurſionis, & ruinæ: res deponuntur) *l.* 1. *cit.* §. 1.

TITULUS XVII.

De emptione & venditione.

SUMMARIUM.

1 2 *Quid & quotuplex ſit emptio-venditio.*
3 *Eidem poteſt adjici arrha, pactum legis commiſſoriæ addictio in diem, & pactum de retrovendendo.*
4 *Quinam emere ac vendere poſſint, & an aliqui teneantur.*
5 *Quæ res emi ac vendi valeant.*
6 *An quoque res aliena, & furtiva.*
7 *Quomodo venditor rei alienæ teneatur ad evictionem.*

8 *Qua-*

8 *Quale debeat eſſe pretium in emptione-venditione.*
9 *Corollaria inde deducta.*
10 11 12 *Ad quid obligetur venditor.*
13 *Quid juris, ſi eamdem rem vendat duobus.*
14 *Ad quid obligetur emptor.*
15 *Penes quem ſit periculum rei venditæ.*
16 17 18 *Actiones ex emptione-venditione.*
19 *Jus retractus.*

1 FRequentiſſimus & celeberrimus inter contractus eſt emptio-venditio, quæ, licet ſit unus contractus, duos tamen actus inſeparabiliter connexos involvit, emptionem ex unius, & venditionem ex alterius parte, ac eum, qui offert rem pro pretio, *venditorem*, & eum, qui pretium offert pro re, *emptorem* denominat. Indaganda initio eſt ejus eſſentia & requiſita, dein effectus, ſeu obligationes & actiones, quas producit, demum contraria, ſeu modi, quibus diſſolvitur.

Dico 1. Emptio-venditio eſt *contractus ſolo conſenſu initus, quo de re pro certo pretio tradenda convenitur, & viciſſim de pretio pro re dando*. Sumitur §. 1. *inſt. h. t. l.* 1. 2. 8. 9. *ff. de contrab. empt.* Eſt igitur contractus conſenſualis, qui, ſi pure & ſine conditione nec in diem ſit initus, ſtatim perficitur & obligat, licet nec pretium datum, nec res tradita ſit, ſtatimque producit actionem quoad ſubſtantiam, licet non quoad executionem, ita ut efficaciter actio intentari nequeat, niſi alteruter, offerendo pretium vel rem, ex ſua parte contractum prius impleat, aut implere paratus ſit. Tria proin ad ejus ſubſtantiam requiruntur, 1. *res certa*, quæ venditur, & *merx* appellatur, 2. pretium certum, & quidem pecuniarium, 3. *conſenſus* verus tam emptoris in pretium dandum,

quam venditoris in mercem tradendam, *l. 8.* & *9.* & §. 1. *inſt. cit.*

2 Inter alias emptionis-venditionis diviſiones, quæ difficultatem non habent, ſingulariter notanda venit ea, qua alia dicitur ad *corpus*, ſeu per *averſionem*, quando plura vel individua, vel ſpecies, vel genera, per modum unius rei venduntur ſine expreſſione numeri, ponderis, menſuræ, pro uno pretio, v. g. acervus tritici pro 800. florenis, vel integra bibliotheca pro 1000. thaleris: alia *ad quantitatem*, quando plura ut plura venduntur habito reſpectu ad certam quantitatem, ſcil. expreſſo certo numero, pondere, vel menſura; quod dupliciter fieri poteſt, vel *taxative*, ita ut pro ſingulis partibus ſingula ſtatuantur pretia, v. g. dicendo: vendo tibi hoc dolium vini, quod complectitur decem amphoras, & quamlibet amphoram pro 10. florenis: vel *demonſtrative*, ita ut quidem certa quantitas, v.g. numerus exprimatur, at non certo pretio in ſingulas partes ſtatuto, ſed unico in totum, v. g. ſi dicas: vendo tibi hunc acervum tritici (ſunt 100. ſcaphæ, vel circiter) pro 800. florenis. Inter hos modos notabile in effectu diſcrimen eſt; nam emptio-venditio *ad corpus*, uti & *ad quantitatem*, ubi pro ſingulis partibus non taxatur certum pretium, ſed numerus, menſura, pondus ſolum *demonſtrative* exprimitur, emptio-venditio, quamprimum contrahentes conſenſerunt de pretio & merce, eſt pura & ſtatim perfecta, atque periculum rei venditæ transfert in emptorem, §.3. *inſt. h.t.* DD. communiter: altera vero, *ad quantitatem*, ubi hæc taxative eſt expreſſa; & pro qualibet parte determinatum pretium ſtatutum, eſt conditionata, & habet hanc tacitam conditionem, *ſi facta fuerit admenſio, numeratio, ponderatio* (quæ etiam ſunt loco traditionis) *l. 35. §. 5. & 6 ff. de*

de contrah. empt. adeoque adhuc eſt imperfecta, non quidem ratione conſenſus, & cum effectu, ut detur locus pœnitentiæ, vel facultas reſiliendi, ſed ut periculum rei venditæ maneat penes venditorem, *l. cit.* §. 7. ac inſuper, ſi poſtea deprehendatur major numerus ſcapharum, v. g. in acervo, quam fuerit expreſſus, iſte exceſſus non cenſetur venditus, & viciſſim ſi minor inveniatur numerus, emptor tantumdem detrahere poteſt de pretio, *arg. l.* 40. §. 2. *ff. eod.*

3 Quæres, quid ſoleat & poſſit adjici emptioni, venditioni? R. 1. *arrha*, conſiſtens in pecunia vel alia re, quæ datur (regulariter ab emptore) in ſignum & confirmationem contractus initi, vel in ſecuritatem ineundi, & ſubinde etiam datur per modum arrhæ pars pretii, in ſolutione poſtmodum detrahenda, etſi autem dans vellet amittere arrham, tamen probabilius reſilire a contractu non poteſt, altera parte invita, jam inito, *per l. 6. C. de reſcind. vend.* quia abſurdum foret, contractum reddi minus firmum per id, quod adjicitur in ejus confirmationem: ergo per arrham magis confirmatur, ſicut per pœnam adjectam, per *l.* 28. *ff. de Act. empt.* R. 2. adjici poſſunt & ſolent varia pacta, uti pactum *legis commiſſoriæ*, quo emptor & venditor, ita inter ſe conveniunt, ut pretio intra certum tempus non ſoluto res ſit, vel fiat inempta, ſeu quo *committitur* contractus arbitrio venditoris, itaut merx cedat in *commiſſum*, atque revertatur ad venditorem, ſi is velit, *l.* 1. *ſeqq. ff. de lege commiſſor.* Ut autem hoc liceat venditori, requiritur, ut emptor culpabiliter non ſolverit pretium, & ut venditor ſtatim poſt moram ſolutionis decernat, an rem velit inemptam, vel ſtare contractui & pretium adhuc exigere. Reſp. 3. Poteſt quoque

adjici *addictio in diem*, quæ eſt pactum, vi cujus liceat venditori rem venditam *addicere*, h. e. alteri vendere, qui meliorem intra certum tempus conditionem obtulerit, v. g. majus pretium, vel celeriorem ſolutionem, aut onera a primo emptore impoſita remiſerit, *l.* 1. *v.* 4. 5. 14. *ff. de in diem addict.* ſi proin alius meliorem conditionem abſque dolo offerat, res ſit inempta, & dominium redit ad venditorem. Sed ut hoc liceat, requiritur, ut emptor primus nolit conditionem facere meliorem, & ut venditor meliorem a ſecundo oblatam re ipſa acceptet. R. 4. Solet quoque ſæpe adjici pactum *de retrovendendo*, quo id agitur, ut vel emptori (aut ejus hæredibus) liceat poſt aliquod tempus, certum vel incertum, rem emptam revendere venditori, vel ut liceat venditori (aut ejus hæredibus) rem venditam redimere, vel ut liceat utrique, nimirum tam venditori redimere, quam emptori revendere. Text. & DD. *in l.* 2. *C. de Pactis int. empt.* Licitum autem eſt tale pactum, *l.* 2. *cit. Extrav.* 1. & 2. *in com. h. t.* modo pretium, quod exigitur in retrovenditione, ſit juſtum, & in prima emptione-venditione, ſi pactum retrovendendi cedat in utilitatem ſolius venditoris, ſeu ut hic ſolus poſſit pro libitu redimere, pretium minuatur; ſi vero cedat in utilitatem ſolius emptoris, ut hic ſolus poſſit revendere, pretium augeatur, juxta prudentem æſtimationem oneris alterutri impoſiti, quod eſt pretio æſtimabile. Si tempus retrovenditionis certum non ſit determinatum, probabilius illud ultra 30. annos ſe non extendit, etſi hæc vel ſimilia verba pacto eſſent inſerta, per *l.* 3. *C. de Præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.*

4 Dico 2. *Conſenſum* ponere, ſeu emere & vendere poſſunt omnes, qui contrahendo ſe obligare,

nec

nec ſpecialiter prohibentur. 2. Nemo tamen regulariter, & extra caſum, quod id exigit publicum bonum, tenetur vel cogi poteſt ad vendendum, vel emendum. Pars 1. ſumitur ex *l.* 14. *C. de contr. empt.* Specialiter autem prohibentur tutores, & alii, qui ex officio res alienas adminiſtrant, emere de rebus pupilli, aut ejus, cujus res & negotia tractant, ob præſumptionem & periculum fraudis *l.* 34. *§. ult. l.*64. *ff. eod.* niſi nempe palam faciat, h. e. vel cum conſenſu contutoris, vel cum auctoritate Judicis, aut niſi res vendantur publice ſub haſta. Quid poſſint Prælati & adminiſtratores rerum Eccleſiaſticarum quoad harum alienationem, patet ex *tit.* 13. *de reb. Eccl. alien.* Pars 2. ex *l.* 14. *cit.* & *l.* 11. *præced.* Excipitur adhuc caſus, etiam privatæ neceſſitatis, v. gr. ſi habeas fundum, ad quem non patet acceſſus, niſi per fundum alterius, modicam vel fere nullam utilitatem ex eo capientis, iſte alter cogi poſſet ad vendendum tibi fundum juſto pretio *arg. l.* 12. *pr. ff. de Relig. & ſumpt.* & *l.fin. ff. de ſervit. præd. urban.*

5 Dico 3. *Merx*, ſeu res, quæ vendi & emi poſſunt, ſunt omnes pretio æſtimabiles, & non exemptæ a commercio humano per jus naturale, gentium, aut poſitivum, ac ſpecialiter non prohibitæ alienari *l.* 34. *§.* 1. *ff. de contrab. empt.* & ibi DD. Unde emi & vendi nequeunt amuleta Magica, proſtitutio corporis, res ſpirituales vel ſpirituali annexæ &c. quia jus naturale repugnat: viæ, thermæ, & aliæ res publicæ, ſeu publicis uſibus deſtinatæ, & liber homo, quia hujuſmodi a jure gentium ſubtrahuntur commercio humano: venena, niſi per mixturam medicam ſalubria evadant, res litigioſæ, res dotales (exceptis cer-

tis caſibus) etiam conſentiente uxore, res ſpecialiter in provinciam invehi prohibitæ, quas vocant *contrabando*, quia jus poſitivum reſiſtit: demum res feudales & emphyteuticæ ſine conſenſu domini directi, utpote ſine hoc alienari prohibitæ. Econtra emi & vendi apta ſunt alia omnia, tam immobilia quam mobilia, etiam non exiſtentia, modo expectentur ex ordine & cauſa naturali extitura, uti fructus agrorum, fœtus animalium; vel ſperentur per accidens aut fortunæ caſum, uti captus piſcium ex jactu retis &c. quia emitur jus ad rem expectatam, vel ſperatam: item nomina, debita, chirographa, & inde reſultantes actiones ac jura: item hæreditas jam delata: item officia publica, ſæcularia tamen &c. Sumuntur hæc ex *l.* 8. *&* 39. *ff. de contr. empt. l.*2.17. *& t. fere t. ff. de hæred. vel act. vendita* item ex praxi.

6 Quæres, an res aliena & furtiva vendi poſſit? R. cum diſtinctione; ſi & emptor & venditor ſcivit, rem eſſe alienam, aut furtivam, emptio venditio non valet, adeoque nec emptor nec venditor obligatur *l.*34. §.3. *ff. de contr. empt.* Aliqui id ſolum de re furtiva intelligunt propter *l. c.* alii autem melius etiam de non furtiva, aliena tamen propter *l.* 27. *C. de evict.* Si ſolus emptor ſcivit, non venditor, contractus pariter eſt nullus, nec poterit emptor rem accipere, vel ad eam ſibi tradendam agere, aut, ſi tradita ſit, agere pro caſu evictionis, neque pretium, ſi jam ſolvit, poterit repetere *l.* 34. *cit.* Si denique ſolus venditor ſcivit, non emptor, valet quidem contractus & utrinque oritur obligatio, ac venditor acquirit dominium pretii, emptor vero incipit rem ſibi traditam poſſidere, conſequenter præſcribere, imo licite & valide de novo diſtrahit *l.* 25. 28.
34. §. 3.

34 *§.3.ff. eod. l.11. §.2. l.30. §.1. ff. de act. empt.* traditio tamen rei alienæ venditæ non eſt immediate translativa dominii, & emptor tenetur (etiam non recepto pretio) domino, ſi comparuerit, rem reſtituere, relicta tamen ipſi actione de evictione adverſus venditorem, ad quam evictionem iſte obligatur, nec poteſt retinere pretium acceptum, ſed debet per hoc, vel per rem recuperatam, domino ſatisfacere.

Obj. Si in hoc ultimo caſu valet venditio rei alienæ, tunc venditor tenetur eam tradere emptori: ſed hoc non poteſt admitti: quia res clamat ad dominum, & juſtitia exigit, ut cuique tribuatur jus ſuum *pr. inſt. & l.10. ff. de inſt. & jur.* & quidem illi, qui fortius habet jus *l.31. §.un. ff. depoſiti*. Sed dominus utique habet jus fortius, utpote in re, emptor autem ſolummodo jus ad rem: ergo. R. quamvis in meo *candidato h.t. n.25.* conceſſa *Ma.* negaverim *Min.* cum Haunoldo & multis aliis propter *l.30. cit.* nunc autem re melius conſiderata *N. Ma.* conceſſa *Min.* & dico, venditorem in foro interno obligari ad rem tradendam domino, ſi hunc ſciat, vel, ſi ignoret, ad hunc inquirendum, ut tradat, ſatisfaciendo autem alia via emptori *arg. can.1. cauſ.14. q.1. & c.4. de R.J. in 6.* Pro foro autem externo, quamdiu aliis aut Judici non conſtiterit, rem eſſe alienam, cogendus quidem eſt venditor ad rem emptori tradendam, de quo caſu intellige *l.30. cit.* non vero, ſi ante traditionem pateſiat dominus rei; tunc enim ſolum ad intereſſe emptori præſtandum erit compellendus *arg. §. fin. inſt. h.t. & l.62. §.1. ff. de contrah. empt.*

7 Petes, quid ſit *evictio*, & quando venditor ad hanc obligetur? R. ad 1. Evictio, formaliter ſpectata, eſt rei emptæ (vel alio juſto ti-

tulo acceptæ) per juſtam Judicis ſententiam ablatio, ſeu avocatio; nam *evincere* eſt rem ab aliquo auferre per vindicationis judicium; quando nempe dominus rem ſuam alteri datam repetit inſtituta vindicatione in judicio, & obtinet. Quoad effectum autem & obligationem venditoris, qua venditor emptori tenetur actione empti, ſpectata evictio, ſeu potius præſtatio evictionis, eſt *reſarcitio damni omnis, quod emptor ſuſtinuit ob rem ex ſuis bonis evictam & ablatam*. Unde emptor a venditore, qui ſibi rem alienam, ſcienter vel ignoranter vendidit, poſtea evictam, prætendere poteſt non ſolum refuſionem pretii, quod tempore contractus ſtatutum eſt, ſed etiam totum intereſſe, quanti nimirum emptoris intereſt rem evictam non fuiſſe, h.e. damnum emergens, lucrum ceſſans, & expenſas, quas facere debuit in rem emptam, & in litem, modo hoc intereſſe non excedat duplum pretii *l.13. 60. 70. ff. de evict. l.11. §. 17. l.43. ff. de act. empt.* Dixi ſupra *vel alio juſto titulo acceptæ*; quamvis enim de jure antiquo evictio ſolum in venditione locum habuerit, ſucceſſu tamen temporis etiam in aliis actibus & contractibus ob paritatem cum venditione ſaltem utilis actio de evictione dari cœpit *l.4. C. de evict.* cui conſonat jus Bavar. *tit.8. ar.7.*

R. Ad 2. Venditor rei alienæ aut alteri obligatæ, & propterea evictæ, tenetur quidem emptori de evictione, licet de hac non fuerit conventum a contrahentibus *l. 1. ff. l 6. C. de evict.* ab ea tamen excuſatur ſæpius, uti 1. *propter culpam emptoris*; puta, ſi non laudavit venditorem, h.e. ſi de mota ſibi lite non monuit venditorem ſaltem ante concluſionem in cauſa, requirendo, ut liti aſſiſtat, & rem venditam defendat *l.29. §.2. ff. l.8. & 9. C. eod.* ad

quam

quam denuntionem tenetur emptor, licet venditor aliunde ſciverit, litem eſſe motam, per jura *cit.* & *c. fin. h. t.* dein ſi emptor ſciens rem alienam emit, de evictione ſpecialiter ſibi non cavit *l. 27. C. de evict.* ſi exceptiones ſibi competentes non compoſuit, vel ſi conſtituit imperitum Advocatum aut Procuratorem, vel contumaciter non comparuit in judicio, vel condemnatus non appellavit &c. & propterea rem amiſit per *l. 56. §. 1. & 3. ff.* & *l. 19. C. eod.* tunc enim ſibi imputare debet. 2. *Propter defectum Judicis*, ut ſi emptor ſponte rem reddidit domino, aut cum eo tranſegit, aut coram arbitrio rem amiſit, quia Judicis ſententia debet res evinci: idem eſt, ſi emptor rem amiſit caſu, vi aut metu per dominium illata. Huc revoca caſum, quo res eſt evicta ex privilegio, v.g. retractus de jure vel conſuetudine competentis, reſtitutionis in integrum &c. in hoc tamen caſu venditor obligaretur ad refundendum pretium, licet non ad intereſſe (modo ſcienter non vendiderit rem alienam) *l. 11. §. 15.* & 18. *ff. de act. empt.* quia proprium evictionis eſt id tantum, *quod intereſt*; nam refuſionem pretii videtur exigere jus naturale. 3. *Propter defectum juſtitiæ*, ut ſi propter errorem, imprudentiam, vel iniquitatem Judicis res fuiſſet evicta *l. 51. ff. de evict. c. fin. h. t.* Demum 4. *Propter pactum venditoris*, immunitatem ab evictionis obligatione ſibi expreſſe in contractu reſervantis, quod ipſi licet, ſi ignoranter vendidit rem alienam, aut alteri obligatam.

8 Dico 4. *Pretium*, in emptione-venditione interveniens, eſſentialiter debet eſſe 1. verum, non ſimulatum. 2. Pecuniarium, ſeu pecunia numerata. 3. Certum & determinatum. 4. Proprium ementis. 5. Juſtum & proportionatum: ſed ultima

tima duo non tam ad eſſentiam, quam ad juſtitiam contractus ſunt neceſſaria. Pars 1. ſumitur ex *l.36. de contr.empt.* Unde ſi pro domo v.g. vel alia re magni valoris promitteretur pretium nimis modicum, v.g. tantum unicus nummus, emptio-venditio non eſſet vera, ſed ſictitia vel imaginaria, imo donatio foret per *d.l.36. & l.46. ff.locati*. Pars 2. patet ex *§.2. inſt. h. t.* ſi enim merx pro merce, ſeu res alia, quam pecunia, tempore contractus daretur pro re, vel promitteretur, permutatio foret, vel contractus innominatus: ſi autem conventum fuit, ut daretur pecunia pro merce, licet poſtea res alia in ſolutum detur, manet emptio-venditio *l.9. C. de reſcind.vend.* Si autem conventum, ut partim pecunia partim res alia pro merce detur, refert, an pecunia excedat rem alteram, & erit emptio-venditio: vel an res altera excedat, & erit permutatio *arg. l.6. §.1. de act.empt. & l.6. C. de pact.int.empt.* vel an æqualiter ſe habeant, & juxta aliquos eſt contractus innominatus, juxta alios autem melius adhuc cenſetur eſſe emptio-venditio, vel talis erit contractus, qualem expreſſerunt contrahentes, cum contractus ex conventione legem accipiant *c.85. de R. J. in 6.* Pars 3. ex *§.1. inſt. h.t.* Unde venditio non erit, ſi venditor dicat, vendo tibi hanc rem tanti, quanti valet, vel pro pretio, quale dare volueris &c. determinari autem pretium poteſt non tantum verbis expreſſis & abſolute, ſed etiam per relationem, v.g. ad tempus, vendo tibi hanc rem pro pretio, quo cras vendetur in foro: vel ad taxationem aliorum, v.g. vendo tibi rem tanti, quanti Judex, vel Cajus æſtimaverit aut taxaverit, modo poſtea taxatio ſecuta fuerit *l.7. ff.de contr. empt.* Pars 4. ex *l.11. §.2. ff. de. act. empt.* ubi

ha-

habetur, quod emptor debeat transferre dominium pecuniæ in venditorem; quod fieret, ſi dominus pecuniæ non eſſet: ſecus eſt in merce, cujus dominium non immediate transferri debet per traditionem in emptorem, & hinc aliena eſſe poteſt. Interim tamen res, alienis nummis empta, fit emptoris *l.* 1. & *penult. C. ſiquis alteri* niſi ſit res Eccleſiaſtica *canon.* 1. *cauſ.* 12. *q.* 3. & ibi *gl.* Pars 5. ex natura juſtitiæ commutativæ. Pretium juſtum erit, ſi ſit vel ſecundum taxationem legis, ſtatuti, aut conſuetudinis; & hoc vocatur *legale* ſeu *legitimum*, atque conſiſtit in indiviſibili: vel ſi ſit ſecundum proportionem mercis juxta communem hominum æſtimationem & judicium, conſideratis circumſtantiis, nimirum rerum utilitate vel neceſſitate, penuria vel abundantia, expenſis in illas advehendas factis &c. per *l.* 63 *ff. ad L. Falcid.* ibi: *pretia rerum non ex affectu, nec utilitate ſingulorum, ſed NB. communiter funguntur*, h. e. ex communi populi ſenſu taxantur: & hoc appellatur *naturale* aut *vulgare*, neque conſiſtit in indiviſibili, ſed habet latitudinem; cum hominum judicia non ſoleant convenire, & hinc tres illius gradus a DD. ſtatuuntur, qui aliud vocant *infimum* ſeu *pium*, aliud *mediocre* ſeu *moderatum*, & aliud *ſummum* ſeu *rigoroſum*. Quanta inter hos gradus juſti pretii debeat eſſe diſtantia, ex variis circumſtantiis metiendum eſt, nec una certa regula ſtatui poteſt: illud certum, quod tanto major ſit hæc latitudo, quanto merx eſt pretioſior: ſic ſi merx eſſet talis, cujus pretium ſummum reputantur eſſe 105. medium forent 100. & infimum 95. ut exemplificat Palao *tr.* 32. *d.* 5. *pun.* 2. *n.* 2. Econtra ſi pretium medium rei cenſerentur eſſe 10. floreni, ſupremum forent

11. &

11. & infimum forent 9. P. Engel *h. t. n.* 11. cum Laym.

9 Ex quibus infertur 1. Juſtitiam pretii non dependere a libera contrahentium taxatione, itaut pro libitu vendere aut emere poſſint pro pretio, pro quo volunt aut poſſunt per *l.* 63. *cit. l.* 33. *ff. ad L. Aquil. l.* 6. §. 2. *ff. de jur. dot.* & *c.* 1. 3. *h. t.* ne ob avaritiam venditoris, vel indigentiam aut aviditatem emptoris, exigatur vel detur exceſſivum, vel viciſſim ob ſorditiem emptoris, & venditoris neceſſitatem, detur nimis modicum. 2. Pretia rerum tam legitima, quam vulgaria, pro varietate circumſtantiarum & certis de cauſis variari poſſe, creſcere, prout nempe fuerit major vel minor copia mercium, vel emptorum, major vel minor labor, periculum, expenſæ in aſportandis vel aſſervandis mercibus; item major vel minor affectio in mercem (damnum emergens aut lucrum ceſſans) ex parte venditoris, non autem ex parte emptoris &c. 3. Licite vendi rem currenti pretio ab eo, qui ſcit, pretium mercis brevi minuendum, v. gr. propter copiam frumenti aliunde advehendi; quia hic & nunc res adhuc tanti valet; nec venditoris ſcientia immutat pretium communi judicio vel uſu taxatum: ſicut vice verſa emptor poteſt pecuniam ſeu monetam expendere juxta præſentem valorem, qui ſcit, ejus valorem brevi minuendum.

Obj. 1. *In emendo & vendendo naturaliter conceſſum eſt ſe invicem circumſcribere*: & *licet ſe circumvenire l.* 22. §. 3. *ff. Locati l.* 16. §. 4. *ff. de minor.* ergo licitum eſt etiam quodcumque pretium exigere vel dare, prout poſſunt venditores & emptores. 2. Si quis ſciat, pretium mercis brevi minuendum, & tamen eam vendat pretio currente non monito prius

em-

emptore, hunc decipit: ergo ipſi facit injuriam, vel ſaltem lædit charitatem; cum is non emeret tanti, ſi ſciret imminutionem pretii brevi futuram. R. ad 1. Vel illæ leges errarunt, ſicut leges permittentes præſcriptionem cum mala fide: vel to *conceſſum eſt*, & *licet*, idem ſonant, ac *permittitur*, ut a gentium jure (hoc enim intelligitur pro to *naturaliter*) non puniantur, aut ſecundum leges Civiles conveniri nequeant, qui pretium juſto majus acceperunt, vel minus juſto dederunt, ſi læſio non ſit ultra dimidium: vel per illam *circumſcriptionem*, & *circumventionem* innuitur tantum ſolertia & dexteritas ementium vel vendentium cum ſuo lucro, intra latitudinem tamen juſti adhuc pretii. Imo non deſunt DD. qui cum Scoto & Laym. putent, non dari obligationem reſtitutionis faciendæ, ſi exceſſus vel defectus ultra latitudinem juſti pretii fuerit modicus tantum, eo quod nimis durum videatur eſſe, & vix poſſibile exactiſſimam in contractibus juſtitiam & æqualitatem ſervare, & ſic ratione communis perſuaſionis non judicent homines ſe obligari ad faciendam reſtitutionem. Ad 2. Decipitur quidem, vel potius permittitur emptoris deceptio, at non injuſte, neque circa ſubſtantiam mercis. Nec ille, qui utitur jure ſuo, lædit charitatem. Aliud foret, ſi per fraudem induceret: alterum ad emendum currente pretio, mendaciter perſuadendo, nihil metuendum de pretio mercium minuendo.

10 Dico 5. Venditor obligatur 1. in ipſo hoc contractu aperire vitium rei, ſi illud ſit occultum, vel non facile adverti a quolibet poſſit *l. 1. ſeqq. l. 10. &c. ff. de Ædilit. edict.* Si vitium ſit circa ſubſtantiam rei, ut ſi vitrum daretur pro gemma, vel ſi emptor conſenſum ſuum expreſſe alli-

alliget exiſtentiæ aut abſentiæ certæ qualitatis, aut tacite, ut ſi res vitioſa ad ejus finem parum vel omnino non eſſet utilis, aut etiam noxia, emptio-venditio eſſet nulla: ſi vero vitium ſit ſolum circa qualitatem, ut ſi vendas equum ignavum pro generoſo, vel circa qualitatem, ut ſi vendas vinum aqua dilutum (quia revera minus das) debet vel aperiri, vel tantum demi de pretio, quanto minus valet res ob tale vitium. *Obj.* emptor ſemper ſic eſt conſtitutus, ut non emeret rem, ſi ſciret, eam laborare vitio, etiam accidentali tantum: ergo etiam accidentale vitium ſemper neceſſario eſt aperiendum. R. *diſt. ant.* Eſt ita conſtitutus habitualiter *tranſeat antec.* ſemper actualiter, expreſſe vel tacite alligando ſuum conſenſum ad talem qualitatem, exiſtentem vel abſentem. *Neg. ant. & Conſ.*

11 Obligatur 1. poſt initum contractum rem venditam tradere, & quidem probabilius præciſe; itaut non ſatisfaciat præſtando emptori intereſſe. 2. Tradere rem vacuam, ſeu ab alio non poſſeſſam. 3. Et liberam a ſervitutibus, penſionibus, ac oneribus, de quibus in contractu mentio non eſt facta. 4. Una cum fructibus, acceſſionibus, & pertinentiis. 5. Non tamen cum effectu dominii ſemper. Pars 1. conſtat *ex* §.2. *inſt. de donat & l.* 80. *ff. de contr. empt.* quamvis enim traditio non ſit de eſſentia emptionis-venditionis, intentio tamen tradendi, ſeu conſenſus in traditionem eſt de ejus eſſentia. Quod vero non ſufficiat præſtare intereſſe, colligitur *ex* §.1. *inſt. h t. & l.* 11. § 2. *ff. de act. empt.* ibi: *ipſam rem præſtare venditorem oportet, ideſt, tradere.* Pars 2. habetur *l.* 2. & 3. *ff. eod.* Pars 3. *l.* 1. §. 1. *l.* 21. §. 1. *ff. de act empt.* Pars 4. *l* 13. *& penult. C. eod. &* §. 3.
inſt.

*inſt. h.t. l.*11. *cit.* §. 17. Nomine autem *pertinentiarum* venit, quidquid ad rei venditæ uſum perpetuo deſtinatum eſt, vel quod habetur pro parte, vel quod terræ aut corpori infixum eſt *l.*13. §.14. *l.*17. *ff. eod.* Pars 5. *l.*25. *ff. de contrah. empt.* ibi: *qui vendidit, neceſſe non habet fundum emptoris facere*, ſi nempe res ſit aliena, quæ fuit vendita. Item ſi emptor poſt traditionem rei actualiter non ſolverit pretium, nec de eo venditor fidem habuerit, vel id exprimendo & ſolvendi dilationem indulgendo (quod eſt vendere *credito*) vel cautionem per pignora aut fidejuſſores admittendo, vel uſuras pretii exigendo; nam venditor rem cenſetur non abſolute tradere, ſed ſub conditione, ſi pretium ſit ſolutum, aut de eo fides habita, conſequenter per traditionem ſolam non transfertur dominium rei venditæ §. 41. *inſt. de R. D. l.* 19. *ff. de contrah. empt. l.* 11. §. 2. *cit.*

Contra 1. partem *objic.* 1. In *l.* 1. *ff. de act. empt.* dicitur: *ſi res vendita non tradatur, in id, quod intereſt, agitur* · ergo non eſt neceſſe, ut venditor determinate & præciſe tradat rem ipſam. 2. In obligationibus facti, ſeu faciendi, ſufficit præſtare, quod intereſt *l.* 72. & 81. *ff. de V. O.* ſed venditor habet obligationem facti, cum traditio pertineat ad factum, non ad jus per *l.* 82. *ff. eod.* Reſp. ad 1. Illa lex, & aliæ plures, quæ adduci poſſent in contrarium, intelligendæ ſunt de caſu, quo res ipſa non amplius tradi poteſt, quia v. gr. eſt evicta, deſtructa, notabiliter deteriorata &c. Ad 2. *diſt. ma.* in obligationibus facti nudi & ſimplicis, uti v.g. eſt ire Romam, pingere tabulam &c. *tranſ.* quia & in his probabiliter negatur, præſertim de jure Canonico per *c.* 1.

de

de pactis in obligationibus facti *prægnantis*, & *cauſam habentis*, ſeu quando per factum transfertur dominium; vel ſaltem poſſeſſio, quale factum eſt traditio rei venditæ. *N. Maj.*

12 Quæres, quid juris, ſi venditor eandem rem ſucceſſive vendidit duobus, & cui obligetur eam tradere? R. 1. Tenetur tradere emptori primo *c.54. in 6. & l.98. ff. de R. J.* R. 2. Si autem tradidit emptori ſecundo, traditio quidem tenet, & venditio poſterior ſuſtinetur regulariter, primus tamen emptor, cui illata eſt injuria; habet actionem perſonalem adverſus venditorem ad conſequendum intereſſe, ſeu ad id, quanti ſua intereſt, rem alteri venditam & traditam non fuiſſe. Dixi, *regulariter*; nam in quibuſdam caſibus præfertur primus emptor, licet res tradita ſit ſecundo, videlicet 1. ſi primus emptor fuit Eccleſia, civitas &c. quia his abſque traditione acquiritur jus reale, ac dominium. 2. Si primo emptori tanquam creditori fuit res in ſpecie antecedenter jam hypothecata, quia per hypothecationem citius acquiſivit jus reale. 3. Si ſecundus emptor fuit malæ fidei, & ſcivit, rem fuiſſe jam alteri venditam, ſaltem ſpectato jure Bavar. *tit. 7. art. ult.* 4. Si emptor concurrat cum donatario, vel alio, ad quem res prius empta pervenit titulo mere lucrativo, ut notant DD. ex æquitate.

13 Obligatur venditor 3. reſarcire damna, quæ occaſione rei venditæ ex ipſius non ſolum dolo & culpa lata, ſed etiam ex culpa levi paſſus eſt emptor *arg. l. 5. §. 2. ff. Commod.* quia emptio-venditio eſt contractus, utriuſque contrahentis utilitatem ex æquo reſpiciens. Demum obligatur 4. præſtare evictionem, juxta ſuperius dicta, de jure communi. Interim in quibuſdam locis praxis habet, ut venditor de evictione

non

non teneatur, niſi de ea expreſſe conventum ſit. Cujuſmodi praxim vigere in Auſtria, cum Sutting. teſtatur D. Greneck *h. t. n. 9.*

14 Dico 6. Emptor econtra obligatur venditori 1. dare pretium juſtum, ſaltem infimum, de quo conventum eſt, & quidem ſtatim poſt mercem acceptam, ſi venditor exigat, itaut pretium fiat venditoris *§. 2. inſt. h. t. & l. 41. ff. de V. O. l. 11. §. 2. ff de act. emptor.* unde debet aperire vitium monetæ, ſi forte eſſet adulterina, aut minus valet, quam putaret venditor: aperire bonitatem mercis, ſi meliorem pro viliore emptam ex errore offerret venditor: ſi autem hæc non aperuit, debet eouſque augere pretium, ut evadat juſtum. Obligatur 2. ad uſuras, ſi in mora ſolvendi ex culpa etiam levi tantum fuerit, niſi venditor conſentiat in dilationem *l. 13. §. 20. ff. eod.* ſi autem dilationem concedat, ut de uſuris expreſſe non paciſcatur, non tenetur ad illas emptor. 3. Compenſare expenſas a venditore in rem factas, non tantum neceſſarias, ſed etiam utiles, quas ipſe emptor veriſimiliter fuiſſet facturus *l. cit. §. 22.* 4. Reſarcire damna, etiam culpa levi venditori illata propter non ſolutum pretium in debita quantitate, qualitate, loco, tempore *arg. l 5. §. 2. ff. commod. l. 1. § 3. ff. de peric. & commod. rei vend.*

15 Quæres, penes quem ſit periculum rei venditæ, nondum tamen traditæ, ſeu quis ferre debeat damnum, ſi res vendita poſt contractum pereat vel deterioretur, ut ſubinde contingit? R. Si res in ſpecie, perfecte, & abſolute ſit vendita, regulariter eſt penes emptorem, ut iſte debeat ferre damnum. Communis contra Vult. & Giac. ex apertis textibus in *l. 7. 8. 16. ff. l. 1. 4. ſeqq. C. eod. & §. 3. inſt. cit.* Aliud foret, ſi non res determinata ac in ſpecie,

ſed in genere, v. g. aliquis equus ex ſtabulo; 20. menſuræ vini &c. tunc, ſi periret unus equus, deberet venditor alium tradere quamdiu ſupereſt ipſi equus, ac in poſteriori caſu, ubi neque dolium, ex quo vinum tradi deberet, fuit determinatum, deberet aliunde procurare 20. menſuras vini; quia genus non perit, ut ajunt Juriſtæ. Aliud quoque eſſet, ſi venditio fuiſſet facta ſub conditione, & hæc nondum eveniſſet, item ſi venditio nondum eſſet perfecta, ut ſi vendita eſt quantitas, v. g. frumentum, ac in ſingulas menſuras vel modios certum pretium taxatum, & menſuratio nondum contigit. Sicut autem periculum, ita & commodum rei venditæ, nondum traditæ, debet eſſe penes emptores §.3.*&* *l.7.cit.l.13.16.C. de act. empt.* cum æquitas naturalis dictet, ut ad eum pertineant commoda rei, ad quem ſpectat periculum, & damna. Dixi, *regulariter*; nam periculum eſt penes venditorem, ſi ita expreſſe fuerit conventum; ſi res pereat vel deterioretur dolo aut culpa, etiam levi, venditoris: ſi venditor in tradendo commiſit moram culpabilem, ac interea res apud ipſum, caſu etiam fortuito, periit: ſi res pereat ex vitio contractum præcedente: ſi res ante traditionem addicatur fiſco; tunc enim venditor debet refundere pretium emptori *l. 33. ff. locati*, DD. paſſim.

Obj. 1. Quælibet res perit: & fructificat domino ſuo: ut habet commune brocardicum ex *l.9. C. de pignor. act.* ſed venditor ante traditionem rei manet dominus. 2. Pecunia, ſi pereat ante ſolutionem, perit emptori; ergo & res, ſi pereat ante traditionem, perit venditori. 3. Æquitas poſtulat, ut emptor non ſimul percipiat fructus rei venditæ, & ſimul fructus pretii, ſi iſtud nondum ſolvit: ergo ſaltem in caſu,

quo emptor nondum ſolvit pretium, non ad ipſum pertinet commodum rei. R. ad 1. Pro hoc caſu aliter diſpoſuerunt leges, quia dominus, quamprimum emptor offert pretium, & petit rem ſibi tradi, tenetur tradere, & ſic transferre dominium. Ad 2. *diſt. ant.* ſi pecunia in genere ac indeterminata, ut ordinate fit. *C. ant.* & tunc *N. conſ. & parit.* nam venditor eſt debitor certæ ſpeciei, qui hoc ipſo, quod res pereat, liberatur a traditione & præſtatione illius *l. 37. ff. de V. O.* econtra emptor eſt debitor generis: genus autem non perit, per *l. 11. C. ſi certum pet.* Ad 3. ſi venditor non exigat pretium (uti poſſet, ſi traderet rem) cenſetur illud & ejus commoda gratis relinquere emptori una cum fructibus rei venditæ. Si autem rem traderet & emptor ex culpa non ſolveret pretium, poſſet ab emptore exigere fructus pretii ſeu uſuras conſuetas, &, donec has una cum pretio conſequeretur, fructus rei, ante illius traditionem perceptos, retinere tanquam pignus; iis autem receptis debet reſtituere emptori fructus rei per *l. 13. §. 8. l. 25. ff. de act. empt.*

16 Dico 7. Ex his mutuis obligationibus naſcitur *actio empti & venditi*, ſeu *ex empto & vendito*. Actio empti competit emptori contra venditorem ad rem ſibi tradendam, & ad præſtandum, quidquid ex natura contractus, & æquitate, vel pactis adjectis debet præſtare venditor *l. 1. pr. & §. 1. l. 11. ff. eod.* Actio venditi econtra competit venditori ad ſolvendum ſibi pretium, ad præſtandum, ad quod emptorem vi contractus obligatum eſſe diximus *l. 13. §. 19. ff. & l. 1. C. eod.* Sed iſtæ actiones in effectu intentari non poſſunt, niſi alterutra pars prius impleat contractum, nempe emptor pretium ſolvendo, venditor autem actuali-

ſiter rem tradendo, aut niſi habeatur pro tradita; ut ſi ante traditionem caſu periiſſet *l.* 13. §. 8. *l.* 25. *ff. cit.* Niſi enim hæc fiant, ſemper per exceptionem repelli poteſt agere volens *l.* 13. & 25. *citt.* Sed quis prius tenetur implere contractum? R. qui prius exigit, ut alter impleat.

17 Dico 8. In ordine ad diſſolvendam emptionem-venditionem dantur adhuc ex empto & vendito duæ aliæ actiones. Prima eſt ex *ædilitio edicto*, altera ex *l.* 2. *C. de reſcin. vend.* Ex *ædilitio edicto* datur emptori adverſus venditorem, qui rem notabiliter vitioſam vendidit, & vitium non aperuit, duplex actio, una vocatur *redhibitoria*, ut nempe venditor rem redhibeat, ſeu iterum habeat ſive recipiat, & reſciſſo contractu pretium cum uſuris, & cuncta alia reſtituat in integrum, compenſando damna & intereſſe *l.* 21. 23. 27. 29. 54. 48. *ff. de ædilit. edit. l.* 13. *pr. ff. de act. empt.* Excipe, niſi & ipſe venditor ignoraſſet vitium; tunc enim non ad damna & intereſſe, ſed ad ſolum pretium compenſandum foret obligatio *l.* 13. *cit.* Durat hæc actio de jure communi ſolum per ſemeſtre, ſeu 6. menſes *l.* 19. § *ult. ff. ædilit. ed.* Imo ſi ob ſolas res acceſſorias agatur, durat tantum 60. diebus *l.* 38. *ff. eod. pr.* Altera vocatur *æſtimatoria*, ſeu *quanti minoris*, qua convenitur venditor non ad evertendum contractum, ſed ut remittat vel refundat tantum de pretio, quanto minoris emiſſet emptor, ſi vitium ſciviſſet *l.* 61. *ff. eod.* licet abſolute emiſſet, ſi vitium ſciviſſet. Et hæc actio durat per annum utilem dumtaxat *l.* 19. §. *ult. cit.* non obſtante, quod reliquæ actiones empti & venditi, utpote perſonales, rei perſecutoriæ, & utrinque in hæredes tranſitoriæ, durent 30. annis, & perpetuæ ſint. Porro, ſi vitium fuerit tale, ut res em-

pta

pta omnino non fuiſſet eo cognito, vel ut emptori vix uſui ſit, in arbitrio emptoris eſt, actionem redhibitoriam vel æſtimatoriam intentare *l.25. §.1.ff. de except. rei jud.* quod quidem ſatis multi etiam affirmant de caſu, quo vitium fuit tale, quo cognito nihilominus res empta fuiſſet, at non tanti: ſed melius negat hoc Huberus *tit. de ædil. ed. n.3.* & ſolum concedit æſtimatoriam; partim quia *l.25. cit.* loquitur de vitio, *quod actor empturus non fuerit*, partim quia redhibitoria requirit vitium, quod uſum impediat *l.1.§.8.ff. de ædil. ed.* partim quia inique videtur petere reſciſſionem contractus, quia alias, licet minoris, emiſſet. Indulgent tamen aliqui tum venditori, tum Judici, ut redhibitare contractus reſcindatur, licet emptor æſtimatoria egerit, ſi velint, vel Judici viſum fuerit per *l.43.§.6.ff.eod.* Unum adhuc adverto, has actiones non ſolum dari ob vitium rei venditæ, ſed etiam ob defectum determinatæ qualitatis, quam venditor aſſeverato dixit, vel promiſit *l.1.§.1. l.18.ff. eod.* non vero, ſi ſolum generaliter per modum commendationis aliquid dixit.

18 Dico 9. Actio *legis 2. C. de reſc. vend.* in contractu emptionis-venditionis (idem ex æquitate & paritate rationis communiter aſſerunt de aliis contractibus oneroſis, locationis, conductionis, permutationis, cambii &c. excepta tamen tranſactione) datur læſo ultra dimidium juſti pretii, vi cujus regulariter petere poteſt disjunctive vel reſciſſionem contractus, vel ut addatur aut dematur de pretio, donec evadat juſtum, ita tamen ut in arbitrio lædentis ſit, utrum malit reſcindere contractum, vel pretium augere, aut de eo, uſque ad juſtitiæ limites, remittere: ſi tamen lædens ſit emptor & eligat reſciſſionem contractus, non te-

netur fructus interea ex re perceptos una cum re reſtituere, ſi ignoranter læſit, & ſine culpa aut dolo, text. & DD. *in d.l.2. l.8. C. eod. & c.3. & 6. h. t.* Dixi 1. *regulariter*; nam hæc actio competit, ſi læſus expreſſe & ſpecialiter renuntiavit huic remedio per *l.2. cit.* ſi venditor donet defectum pretii: ſi res caſu fortuito periit, vel devenit ad tertium poſſeſſorem bona fide & titulo oneroſo; quia in hoc caſu non amplius datur optio, vel poteſtas reddendi rem venditam, quamvis detur poteſtas & obligatio reducendi pretium ad juſtitiam. Dixi 2. *ſi tamen lædens ſit emptor &c.* propter *c.11. de reb. Eccl. alien.* & hanc rationem, quia penes emptorem ſicut eſt periculum, ita & commodum rei venditæ, adeoque & fructus, eſſe debet, ſi ſit bonæ fidei. Dixi 3. *ultra dimidium juſti pretii*; ſi enim læſio contingat in dimidio, vel infra dimidium, in foro externo non datur actio *l.2. cit.* ne quidem de jure Canonico *c.3. & 6. cit.* ne tribunalia obruantur nimis multiplici lite: quamvis pro foro interno lædens, etiam ignoranter, teneatur cognita injuſtitia pretii defectum ſupplere, vel exceſſum reſtituere, niſi tam modica eſſet læſio, ut ex communi perſuaſione fidelium nec in foro interno attendatur, vel niſi lædens præſcripſiſſet.

Sed quando cenſetur eſſe læſio *ultra dimidium*? R. Si læſio contingat ex parte venditoris, facile convenit inter Auctores, tunc eſſe ultra dimidium, quando nec dimidiam juſti pretii infimi partem accepit pro re vendita, v. g. ſi rem infimo pretio valentem 100. florenis vendidit pro 49. Si vero contingat lædi emptorem, in diverſa abeunt: aliqui attendunt datum, & acceptum, ſeu pecuniam datam & mercem acceptam, atque dicunt; tunc emptorem lædi ultra dimidium, quando merx non

attin-

attingit medietatem valoris pretii, & emptor duplo plus dedit, quam accepit, v.g.ſi pro re valente 100. florenis plus quam 200. v.g. 201. dedit. Sic ſentiunt multi cum Fachin. & Haun. obſervat Camera Imperialis teſte Mynſ. *cent.*4. *obſ.* 73. *n.*3.4. & ordinat jus Bavaricum *tit.* 7. *ar.*2. Alii econtra cum Molin. P. Friderich. & communiori putant juri Communi & æquitati conformius eſſe, ſi ſolum pretium attendatur, & tunc emptorem lædi ultra dimidium *juſti pretii*, ſi rem 100. florenis in ſummo pretio valentem emit pro 151. quia dimidium pretii reſpectu 100. ſunt 50. atque notant, ſi emptor duplo plus daret, eum potius in altero tanto, ſeu in toto pretio lædi, quam præciſe ultra dimidium. Utraque ſententia eſt probabilis. Attendenda igitur Statuta locorum, & praxis curiarum.

19 Dico 10. In ordine ad diſſolvendam emptionem-venditionem datur adhuc alia ſpecialis actio orta ex jure *retractus* ſeu *protimiſeos*, vi cujus aliqui poſſunt rem immobilem alteri venditam ad ſe retrahere, a quocumque poſſeſſore, ſeu reſciſſa priori venditione pro ſe emere, oblato tamen eodem pretio, & refuſis expenſis, quos fecit primus emptor. Ita DD. communiter, qui obſervant, hanc actionem eſſe *perſonalem*, quæ dicitur *in rem ſcriptam*: intentandam proprio nomine: & durare tantum per annum utilem a cognita alienatione computandum 2. *feud.*9. *§.*1. *& c.*8. *de in integr. reſtit.* & licet jus Retractus (ſaltem Gentilitium) abrogatus ſit in *l.* 14. *C. de contr. empt.* illud tamen rurſus reſtauratum eſſe putant tum a jure Canonico *c.*8. *cit.* tum ab Imperatore Friderico 5. *feud.*13. tum univerſali conſuetudine: quæ proin, uti & ſtatuta, attendi debet fere

unice. Dividunt in *Legale*, quod competit vi legis, ſtatuti, conſuetudinis: ſic dominus directus in venditione rei emphyteuticæ, & in venditione rerum ſub haſta ille, cui plus debetur, aliis emptoribus præfertur *l.ult. C. de jur. emph. l.1. ff. de privileg. creditorum* vel potius *l.16. ff. de reb. auth. jud. poſſid.* quæ lex eſt prima *privileg. creditor.* quæ rubrica in Corpore juris non extat ſub his verbis, quamvis ſub illis citari ſoleat, & incipiat a *d.l.16.* In *Gentilitium*, quod competit proximis conſanguineis alicujus familiæ quoad bona avita, extraneo vendita. Et in *Conventionale*, quod competit ratione pacti ſpecialis, vi cujus res, ſi vendatur, certæ perſonæ vendi debet per *l.75. ff. Contr. emptor.* Differt hoc ultimum a pacto de retrovendendo, quod vi hujus inducatur obligatio præciſa revendendi, vel reluendi: in illo autem ſolum ex ſuppoſito, quod quis aliunde velit rem vendere. Hoc jus Retractus Conventionale differt a reliquis duobus, quod tranſeat ad hæredes, ac aliis cedi poſſit, & quod non pariat actionem in rem ſcriptam, conſequenter non detur contra tertium poſſeſſorem, in quem res a primo emptore fuit translata. Plura de jure Retractus videri poſſunt apud Tiraq. Berlich. & Cancellarium Schmid. *ad Statuta Bavar. tit.* 10. ubi aliqua ſingularia occurrent.

TITULUS XVIII.

De locato & conducto.

SUMMARIUM.

1 *Quid & quotuplex ſit locatio-conductio.*
2 *Quinam locare, & conducere poſſint.*

3 *Quæ*

3 *Quæ res locari, & conduci.*
4 *Qualis eſſe debeat penſio locationis.*
5 *Ad quid obligatur locator tam rerum, quam operarum.*
6 *An ſucceſſor teneatur ſtare locationi anteceſſoris.*
7 *Ad quid teneatur conductor tam rerum, quam operarum.*
8 *Actio locati & conducti.*
9 10 11 *Quid & quotuplex ſit emphyteuſis.*
12 *Ad quid obligetur Dominus emphyteuſim concedens.*
13 *Ad quid emphyteuta.*
14 *Quæ actio oriatur ex contractu emphyteutico.*
15 16 *Quibus modis finiatur emphyteuſis, & fiat caduca.*
17 *Quid requiratur ad incurrendam caducitatem.*

1 L*Ocare*, hoc loco eſt vel concedere rem ad uſum, vel addicere operam, pro mercede. Qui dat mercedem, *conductor* dicitur; qui accipit mercedem, *locator* appellatur univerſaliter; nec enim locatio ſine conductione, nec iſta ſine illa conſiſtere poteſt, ſicut nulla emptio ſine venditione & viciſſim. Definitur locatio-conductio eſſe *contractus conſenſualis, quo uſus rei, vel opera perſonæ, conceditur alteri pro certa mercede pr. inſt. h.t. l. 2. ff. locati.* Unde tria eſſentialiter involvit. 1. Conſenſum mutuum, non vero traditionem. 2. Rem utendam, vel aliquam ab altero operam præſtandam. 3. Locarium, ſeu certam mercedem & penſionem. Quare differt ab *emptione-venditione*, cum qua alias magnam habet affinitatem, uti & a *mutuo*, quia rei uſus tantum, non dominium, conceditur in locatione-condu-

ctione: item a *commodato*, quia pro uſu conceſſo mercedem accipit locator. Quomodo differat ab *emphyteuſi*, ex infra dicendis apparebit. Ab *admodiatione* vix differt aliter, quam quod in hac integræ alicujus Provinciæ, vel diſtrictus, vel alterius rei reditus & fructus alteri concedantur percipiendi pro certa penſione. Dividitur locatio-conductio 1. in *perpetuam*, & *temporalem*, ſeu ad certum tempus. 2. In *regularem*, in qua res ad uſum conceſſa reſtitui debet in ſpecie finito uſu: & in *irregularem*, in qua convenitur de re ſolum in genere reſtituenda, ſeu ut reſtituatur tantundem, quantum eſt acceptum; & ſic, quia videtur transferri dominium rei, degenerat in mutuum, vel contractum innominatum. 3. Et principaliter in locationem *rerum*, v. g. domus, equi, prædii &c. & in locationem operarum vel operæ, quam quis alteri promittit, vel præſtat pro mercede, uti famuli, Officiales &c. Huic vicina eſt locatio *operis*, nempe faciendi, quæ etiam dicitur locatio *facti*, ut ſi petas ab opifice, vel artifice opus, vel artefactum, v.g. horologium faciendum, tabulam pingendam, vel ut auriga te vehat Auguſtam &c. pro certa mercede. Et in hoc caſu locator operæ, qui accipit mercedem, eſt conductor operis, & viciſſim conductor operæ, qui dat mercedem, eſt locator operis *l. 22. §. 2. ff. locati.*

2 Dico 1. Locare & conducere poſſunt omnes, ſeu conſenſum ponere, qui contrahere & contrahendo obligari, nec ſpecialiter prohibentur. Communis. Conducere autem prohibentur milites prædia ruſtica ad colendum, perſonæ Eccleſiaſticæ ex cauſa quæſtus & negotiationis, opifices artem ſtreperam exercentes vicinas ſcholis publicis ædes. Conſenſus autem

po-

poteſt etiam eſſe tacitus, uti ſi ſciente & patiente locatore conductor finito conductionis tempore remaneat in re conducta; quia cenſetur eſſe tacita relocatio vel reconductio *l.* 13. *§. fin. ff. locati. l.* 16. *C. de locato.* ſi locatum ſit prædium Ruſticum, reconductio tali caſu cenſetur eſſe facta ad integrum annum; ſi Urbanum, v. g. ædes ad habitandum, ad tantum tempus, quantum prius, fuit expreſſe determinatum, vel ordinarie determinari ſolet.

3 Dico 2. Locari & conduci poſſunt res omnes, tam mobiles quam immobiles, incorporales æque ac corporales, etiam alienæ (obligatur tamen locator præſtare evictionem) modo res non ſint fungibiles, ſeu quæ ipſo uſu conſumuntur, aut poſitæ ſunt extra commercium humanum: item quælibet operæ, modo ſint honeſtæ, & non liberales, v.g. Profeſſorum, Advocatorum &c. hæ enim ultimæ non mercedem, ſed ſalarium vel honorarium admittunt. Communis *ex l.* 1. *ſeqq. ff. l.* 6. *C. eod.* Excipe ſervitutes reales, v.g. actus, viæ, juris paſcendi &c. quæ ſine prædiis, quibus cohærent: & res immobiles Eccleſiæ, quæ ſine ſolemnitatibus juris ultra triennium (vel vi conſuetudinis ultra novennium) locari nequeunt *l.* 44. *ff. h. t. Clem.* 1. *& extrav. ambitioſæ int. com. h. t.*

4 Dico 3. Merces ſeu penſio locationis debet eſſe *certa* & determinata *§.* 1. *inſt. l.* 25. *ff. h.t.* Item *juſta*, & proportionata uſui, vel operæ, ſaltem intra latitudinem infimi & ſummi gradus; quia ſic exigit juſtitia commutativa. Demum *pecuniaria*, ſaltem in locatione operarum, & rerum fruges non ferentium *pr. inſt. h.t. l.* 5. *§.* 2. *ff. de præſcriptis verbis.* Si vero res frugifera, fundus, prædium &c. locetur, poteſt pro mercede conſtitui pars fructuum *l.* 35. *ff. in*

fin. l.8. l.21. C. h.t. vel alia res fungibilis. Quodſi non de certa quantitate fructuum conventum eſſet pro poſſeſſione, ſed ſe incertata, v.g. de dimidia, vel quarta parte, vel alia quota fructuum, quæ pro majori vel minori fertilitate anni major vel minor eſſe ſolet, non tam locatio, quam ſpecies ſocietatis, vel contractus innominatus eſt, quia certa ac definita penſio non eſt, vocaturque *afflictus*, colonus vero *partiarius*, vel *dimidiarius* penes quem etiam eſt periculum ac impenſæ.

5 Dico 4. Locator *rerum* obligatur conductori 1. uſum rei locatæ concedere modo & tempore per conventionem determinato *l.15.ff.eod.* proinde 2. ante tempus conventum non revocare rem locatam, & conductorem non expellere *c.1.l.3.&* 21.*C. eod.* niſi improviſa ſupervenerit juſta revocandi cauſa, ut ſi ipſe locator re ſua ex improviſo indigere incipiat, vel ſi hæc opus habent reparatione, modo in his caſibus remittat de penſione pro rata temporis: ſi conductor illa abutatur, deſtruat, deterioret, meretrices, fures &c. in domum conductam introducat *l.3.cit. c.3. h.t.* & in hoc caſu nihil tenetur remittere de penſione, licet ante tempus finitum expellat conductorem vel inquilinum. *Auth. qui rem. C. de SS. Eccl.* ſi conductor per biennium non ſolverit mercedem *l. 54. 56. ff. h.t.* ſi locator rem locatam vendat, donet alteri &c. & talis ſucceſſor particularis nolit ſtare locutioni priori, *l. 9. C. eod.* at in hoc caſu locator tenetur conductori ad intereſſe, quanti nempe ipſius intereſt, rem ante finitum uſum ſibi eſſe ademptam. Sed de hoc caſu plus infra. 3. Reparare in re locata, quæ ſunt neceſſaria ad uſum *l.15. cit.* §. 1. 2. 4. reſarcire damna conductori illata ex vitio rei locatæ non manifeſtato *l.19.§.1.ff.eod.* item 5. damna, dolo,

dolo, culpa lata, & levi cauſata conductori, 6. refundere expenſas, forſan a conductore factas in ipſam rem locatam, non modo neceſſarias, ſed etiam utiles, quas cum præſcitu & conſenſu locatoris, & modicas, quas etiam ſine ejus præſcitu fecit, *l. 55. l.penult. ff. eod.* ut ſi refecit fornaces, januas &c. ſi ſoleis ferreis armavit equum ſibi locatum; quia hæ expenſæ etiam poſt tempus locationis durant pro commodo locatoris: expenſas vero, quas conductor facere debuit non in rem, ſed in ea, quæ præciſe ad uſum ſerviunt, v.g. inſtrumenta ad arandum, metendum &c. non tenetur refundere locator, 7. demum remittere proportionaliter de penſione, ſi conductor ſine ſua culpa uti non potuit re ſibi locata, vel non ſemper, aut, ſi ea frugifera ſit, per accidens nullos exinde vel modicos tantum fructus percipere, niſi damnum eſſet valde modicum, *c. 3. l. 15. citt. l. 25. §. 6. ff. eod.* Si vero locator ipſe per ſuam culpam aut iniquitatem impediret conductorem ab uſu, vel perceptione fructuum, huic teneretur etiam ad intereſſe. *Objic.* In emptione-venditione, quamprimum conſenſu perfecta eſt, omne periculum rei venditæ tranſit in emptorem: ergo etiam in locatione-conductione, per conſenſum perfecto, mox omne periculum & damnum pertinet ad conductorem: quia hi duo contractus iiſdem fere regulis innituntur. *pr. inſt. & l. 2. ff. h. t.* R. N. *Conſ.* non enim in omnibus eodem modo regulantur hi duo contractus, præſertim quoad periculum rei venditæ & locatæ; quia per venditionem completam transfertur dominium, & licet res necdum ſit tradita, emptor tamen fictione Juris jam habetur pro domino quoad periculum: in locatione autem ſolus conceditur uſus rei.

Dixi,

Dixi, *locator rerum;* nam locator *operarum* tenetur 1. exhibere operam & laborem fideliter per totum tempus conventum, *l.15.cit.* §.6. *l.fin. C.de condict. ob cauſam*, proin, ſi ex negligentia vel imperitia non præſtitit, quod promiſit, tenetur pro rata mercedem remittere, vel acceptam reſtituere, imo per §. *ult. inſt.de V.O.* Etiam ad intereſſe. Aliud eſt, ſi ex parte conductoris fuit culpa, & impedimentum poſitum, ut ſi dominus famulum ante tempus expellat; tunc enim per *l. 38. pr. ff. h. t.* locatori, ſeu famulo, debetur tota merces, ſaltem ſi operas ſuas pro reliquo tempore alteri non locavit, vel locare non potuit pro congrua mercede. Sicut viciſſim, ſi locator, v.g. famulus, ex malitia, culpa ſua, aut abſque juſta cauſa recedat ante tempus finitum, amittit, pro foro externo ſaltem, totam mercedem, & obligatur domino ad damna inde ſecuta, per *l. 15. §. 6. cit. & l. 55. §. fin. ff. eod.* niſi nempe dominus ſtatim habere poſſit alium famulum æque idoneum; tunc enim ceſſat obligatio ad damna; imo pro foro interno debetur ipſi merces pro rata temporis & operæ præſtitæ, ſicut etiam pro foro externo, ſi diſcedat ex rationabili cauſa. Sed quid Juris, ſi operæ fuerunt impeditæ caſu fortuito, & ex neutrius culpa? R. circa hoc dicta Jura & DD. perplexe ac intricate loquuntur. Aliqui abſolute obligant locatorem ad remittendam mercedem, ſi nihil præſtitit, vel ſaltem ad partem pro ratione non præſtitæ operæ. Alii tribuunt eidem totam mercedem. Alii permittunt ipſi retinere acceptam, non vero promiſſam petere. Alii jubent abſtinere a petitione vel retentione mercedis, ſi caſus fortuitus evenit ex parte locatoris: econtra permittunt eamdem, ſi ex parte conductoris. Alii demum attendunt, an

loca-

locatori natum ſit damnum, vel lucrum ceſſans, ex eo, quod uni ſuam operam addixerit, ac propterea amiſerit occaſionem alteri eam locandi, vel non, in priori caſu tribuunt ipſi mercedem, in poſteriori negant. Unde nihil abſolute decerni poteſt, ſed ſpectatis caſuum particularium circumſtantiis ex æquitate & judicio viri prudentis vel Judicis rem oportet decidere. Primi & ultimi Doctores magnam pro ſe rationem, imo & praxim habere videntur. Textus autem Juris, quos ſinguli ex quintuplici claſſe prædicta afferunt, apparentiam habent & difficultatem ſuam, ut videre eſt apud P. Kokn *h. t. n.* 13. *& ſeqq.* Tenetur 2. ad intereſſe & damna, quæ conductori infert etiam per culpam levem, quia iſte contractus in utriuſque contrahentis utilitatem cedit, *arg. l.* 5. *§.* 2. *ff. Commod.* Sic paſtores gregum, ſi eorum culpa, etiam levi, pereat pecus, tenentur ad reſtitutionem.

6 Quæres, an locatoris rerum ſucceſſor teneatur ſtare locationi a prædeceſſore factæ? R. 1. Si eſt ſucceſſor univerſalis, nempe hæres, tenetur, *§. fin. inſtit. & l.* 10. *C. h. t.* ſi eſt particularis ex titulo emptionis, donationis &c. non tenetur, *l.* 9. *C. eod.* R. 2. Si res ad Eccleſiam pertinentes valide elocavit Prælatus vel rector Eccleſiæ, obligatur & ſucceſſor uſque ad præfinitum tempus, *arg. l.* 8. *ff. de adminiſtr. tutor.* Si vero res proprias, vel ad ſuam menſam pertinentes, vel Parochus ſuos reditus beneficiales, non obligatur ſucceſſor, gl. & DD. *in c. fin. Ne Prælati vices ſuas*, cum anteceſſor non poſſit præjudicare ſucceſſori quoad reditus, qui poſt obitum illius ſtatim pertinent ad hunc, *c. fin. de off. ord. in* 6. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 11. *de ref.* Unde ſucceſſor Parochus nec tenetur ſtare emphy-

phyteuticationi manſi vel prædii parochialis, ſi ad Parochum, & non ad Eccleſiam pertineat. D. Collega Herman. Anton. de Chlingenſperg *in differentiis inter Jus Bavar. & Commune ad tit.* 21. *art.* 7.

7 Dico 5. Conductor *rerum* econtra obligatur locatori 1. re conducta uti, ut bonus pater familias, nec ad alium adhibere uſum, quam qui conventus eſt; id enim natura negotii exigit, 2. rem conductam non deſerere ante finitum conductionis tempus, niſi juſta ſubſit cauſa v. g. periculum ruituræ domus conductæ, ſi ingruat bellum vel peſtis &c. Et, ſi ſine juſta cauſa recedit, tenetur ad totam penſionem, *l.* 15. *§. ult. l.* 27. *l.* 55. *ff. h. t.* 3. rem conductam convento tempore in ſpecie reſtituere, *l.* 25. *C. h. t.* Item 4. damna locatori illata per ſuam culpam, etiam levem, reſarcire, *l.* 9. *§.* 4. 5. *l.* 11. *§.* 3. *ff. eod. arg. l.* 5. *cit.* ut ſi domus per culpam inquilini, ſeu conductoris, aut domeſticorum, conflagret, confringantur fornaces, feneſtræ &c. Notant tamen DD. ex *l.* 27. *§.* 9. *ff. ad L. Aquil.* conductorem ex culpa domeſticorum non teneri, ſi alias ſedulos & bonos domeſticos induxit vel ſelegit, aut, ut notat Gail. 2. *obſerv.* 21. *n.* 6. niſi famulus delinquat aut culpam committat circa officium ſibi commiſſum, ut ſi ſtabularius in ſtabulo negligenter cuſtodiat ignem, & inde comburatur domus, 5. integram mercedem ſolvere, & quidem tempore per conventionem, aut loci conſuetudinem determinato, vel ſaltem poſt finitum uſum, ita ut, ſi inculpabili ſit mora, etiam teneatur ad uſuras, *l.* 17. *C. h. t. l.* 32. *§.* 2. *ff. de uſur.* Excipe, niſi ob cauſam extrinſecam vel caſualem anni ſterilitatem ex re frugifera ſibi locata nihil vel parum de fructibus percipere, vel alia re compe-

ten-

tenter uti non potuerit; tunc enim juxta proportionem poterit de mercede conventa detrahere, non obſtante, quod augere mercedem non teneatur ob immodicam anni fœcunditatem vel lucrum, *l.* 25. *§.* 6. *ff. h. t.* Ratio diſparitatis eſt, quod conductor certet de damno, locator autem de lucro, ac ideo ob fertilitatem majorem iſte non permittitur augere mercedem. Si una merces fuit conſtituta pro integra locatione ad plures v. g. annos, demum ea integra finita ſtatuetur, utrum remiſſio mercedis facienda ſit. Dixi, *conductor rerum;* conductor autem *operarum* tenetur pariter ad ſolvendam integram mercedem debito tempore, v. g. poſt operam præſtitam, vel opus confectum, & in caſu moræ ad uſuras, item non recedere a contractu, v. g. famulum non dimittere &c. abſque juſta cauſa, ante finitum locationis tempus; fere ſicut de conductore rerum eſt dictum.

8 Dico 6. Ex his mutuis obligationibus naſcitur *actio locati*, & *conducti*, ſeu *ex locato*, & *conducto;* actio locati datur locatori adverſus conductorem in ordine ad mercedem & alia præſtanda, ad quæ diximus obligari conductorem: actio conducti autem conductori adverſus locatorem: ut ſibi rem tradat ad liberum uſum, exhibeat operas, & alia præſtet, ad quæ locatorem obligari vidimus. Communis ex *pr. inſt. l.* 10. 17. 34. *&c. C. h. t.* Utraque eſt perſonalis, rei perſecutoria, directa, perpetua, & (niſi ſit locatio-conductio operarum) utrimque tranſitoria ad hæredes utriuſque. Reſtat, ut aliqua dicamus adhuc de contractu locationis ſimul & venditionis, ex qua utraque videtur eſſe conflata, valde affini, eoque uſitatiſſimo, nimirum

De

De Emphyteuſi.

9 *Emphyteuſis* ſumitur 1. *formaliter*, ſeu pro ipſo contractu emphyteutico, quo ſub certis conditionibus alteri conceditur res vel fundus colendus, nimirum ut vel ex ſterili reddatur fertilis, vel ut melioretur, aut in ſua fertilitate conſervetur, 2. *effective*, ſeu pro jure emphyteutico, h. e. dominio utili, quod transfertur in colonum, dominio directo ſeu proprietate penes concedentem remanente: concedens appellatur *dominus directus*, colonus autem accipiens dicitur *emphyteuta*, 3. *objective*, ſeu pro re ipſa in emphyteuſim conceſſa. Juxta primam acceptionem.

10 Dico 1. Emphyteuſis eſt contractus, quo res immobilis cum translatione dominii utilis, retento dominio directo ſeu proprietate, alteri colenda & fruenda conceditur vel in perpetuum, vel ad certum tempus, vel ad vitam unius aut plurium, ſub onere laudemii pro inveſtitura ſeu admiſſione, & certæ penſionis realis, domino directo, tum in recognitionem dominii directi tum in compenſationem fructuum, certis temporibus perſolvendæ. Ita communis quoad rem ipſam. Dixi 1. *contractus*, nempe conſenſualis, nec traditionem, nec ſcripturam eſſentialiter & per ſe requirens, item bonæ fidei, non ſtricti Juris, ut habet verior. Originem ſuam debet Juri gentium, modernam formam Imperatori Zenoni, adeoque Juri civili §. 3. *inſt. de Locatione*. Dixi 2. *res immobilis*, vel jus æquivalens, *t. t. C. de Jure emphyt.* nam res mobiles culturam non recipiunt in ordine ad fertilitatem, ſed uſu pereunt, vel deteriorantur; 3. *conceditur*, nimirum a tali, qui plenum rei im-

immobilis dominium habet cum libera adminiſtratione, ac alienandi facultate: alius proin conſtituere emphyteuſim non poteſt per *l. ult. C. de reb. alien. non alien.* cum juxta *Extrav. Ambitioſæ de reb. Eccl. alien. int. Comm.* emphyteuticatio ſit ſpecies alienationis, 4. *alteri* qui nempe contrahere, & contrahendo obligari poteſt, ſive ſit privatus, ſive communitas, mas aut femina, 5. *ſub onere laudemii*, dicti a laudatione ſeu approbatione vel conſenſu domini aliquem pro emphyteuta acceptantis, quod eſt certa pecunia, & quidem de Jure communi, *l. ult. C. de Jure emphyt.* quinquageſima pars pretii, quo alias æſtimatur res emphyteutica tempore conceſſionis, vel mutationis, adeoque duo floreni pro centum, & exigitur vel pro prima inveſtitura, vel pro veteris renovatione, quando mutatur emphyteuta. De Jure Bavarico & potioris Germaniæ praxi ſolet peti pars vigeſima, adeoque 5. floreni pro 100. 6. & *certæ penſionis &c.* conſiſtentis vel in certa pecunia, vel in frumento aut aliis rebus fungibilibus, ordinarie ſingulis annis ſolvendæ domino directo, fere conſuevit eſſe duplex ſaltem intra Bavariæ limites, una, quæ ſolvitur in recognitionem dominii directi principaliter, & plerumque eſt modica quantitas: conſiſtens in paucis nummis, altera, quæ hodie præſtatur pro fructibus & utilitate conceſſa principaliter, conſiſtit in majori quantitate vel pecuniæ, vel frumenti &c. juxta proportionem fructuum, & dicitur proprie *Canon annuus*. *Objic.* In *l. 1. & 2. C. de Jure emphyt.* fit mentio *Scripturæ & Inſtrumentorum*: ergo ad contractum emphyteuticum juxta præſentem formam ſubſtantialem requiritur ſcriptura. *Reſp. diſt. antec.* fit mentio ſcripturæ ex occaſione facti.

facti, *conc. antec.* per modum diſpoſitionis; *n. ant. & conſ.* Nam in §. 3. *Inſtit. de locat.* ubi exprimit Imperator formam emphyteuſeos, omittit mentionem ſcripturæ. Unde hæc non ad formam, ſed ad probationem meliorem requiritur, niſi ſtatuta particularia, uti in Bavaria, aliud ordinent.

11 Dico 2. Emphyteuſis dividitur 1. in *eccleſiaſticam*, quando res ad Eccleſiam pertinens conceditur alteri, ſive clerico ſive laico, colenda fruenda: & in *laicalem*, quando res ad laicos, non ad locum vel cauſam piam, pertinens ſic conceditur, 2. in *perpetuam* vel *hæreditariam*, quando res conceditur ſine præfixione certi temporis, & ita, ut ad quoſvis hæredes emphyteutæ transferatur Jus emphyteuticum: in *hæreditariam ex pacto & providentia*, quæ etiam *familiaris*, vel *gentilitia* dicitur, quæ nimirum non tranſit ſimpliciter ad omnes hæredes, etiam extraneos, ſed ſolum ad liberos, deſcendentes, licet forte reliquam hæreditatem repudiarent: & in *temporalem*, quæ ſolum ad certum tempus conceditur, v. g. ad duas, tres &c. generationes: ſi conceditur ad dies vitæ, unius vel plurium, vocatur *vitalitia*, vel *vitalitium*. De emphyteuſi *perpetua & ſimpliciter hæreditaria* adhuc obſerva, quod in ea ſuccedant hæredes tam ab inteſtato quam ex teſtamento, & quidem eo modo, quo in aliis bonis, ſine diſcrimine inter mares & feminas, niſi ſtatutum vel conſuetudo excludat feminas, quamdiu adſunt maſculi: neque a ſucceſſione excluditur Monaſterium vel Religio, ſucceſſionis in bonis temporalibus alias capax, per *Auth. Ingreſſi C. de SS. Eccleſ.* tenetur tamen Monaſterium poſt obitum Religioſi eam vendere, ne domino directo præcidatur omnis

ſpes

ſpes accipiendi deinceps omnis laudemii, cum Monaſterium numquam moriatur (ſicut aliæ communitates) niſi per pactum, uti ſubinde fit, ſtatuatur certum tempus pro ſolutione novi laudemii, v. g. quilibet annus vigeſimus. Si tamen plures ſint hæredes, v. g. filii, & filiæ, omnes quidem æquale ſuccedendi jus habent, plerumque tamen ſolent, vel etiam debent, uni relinquere totam emphyteuſim, accepta ſuæ portionis æſtimatione. Poteſt quoque pater uni ex liberis eamdem prælegare, vel dare in dotem, modo reliquis relinquat legitimam. De *temporali* autem adverte, quod exacto tempore præfinito, vel vita aut generationibus, ad quas fuit reſtricta, finitis redeat ad dominum, conſolidato iterum dominio utili cum directo. Id quod etiam evenit in *hæreditaria*, ſi nullus defuncto emphyteuta ſupereſt hæres, & in *gentilitia*, quando nullus amplius ex liberis vel deſcendentibus, atque iis, qui in prima conceſſione vocati ſunt ad ſucceſſionem, eſt ſuperſtes. Caſu quo autem redierit ad dominum, non tenetur iſte aliis emphyteutæ defuncti conſanguineis, quibus non debetur vi primæ conceſſionis emphyteuſim concedere præ extraneis, quamvis dictante æquitate id fieri ſoleat, ſi adſint idonei ex conſanguineis.

12 Dico 3. Ex contractu emphyteutico obligatur dominus directus 1. poſſeſſionem rei emphyteuticæ cum dominio utili per inveſtituram transferre in accipientem, 2. poſt tranſlationem liberum illius uſum concedere, 3. damna, quæ ex vitio rei non manifeſtato paſſus eſt emphyteuta, compenſare, 4. non augere laudemium in emphyteuſi hæreditaria, quando fit mutatio emphyteutæ, niſi æſtimatio rei interea, ſit aucta, 5. non augere canonem & præſta-

ſtationes annuas, etſi bonum emphyteuticum ſit notabiliter melioratum, etiam in emphyteuſi alterata. Si tamen emphyteuſis redierit ad dominum, & alteri de novo concedatur, poteſt exigi major canon, & majus laudemium juxta proportionem fructuum, quos profert prædium; Sumuntur hæc ex §. 3. *inſtit. de locat. L. 25. §. 6. ff. eod. L. 2. C. de Jure emphyt.*

13 Dico 4. Emphyteuta obligatur 1. in ſui admiſſione & ingreſſu ſolvere laudemium, ſed de Jure communi ſolum tunc, quando mutatio fit per actum inter vivos, v. g. permutationis, donationis, venditionis &c. vel quando extraneus ſuccedit ex teſtamento, & quidem a ſolo accipiente unicum debetur, *text. gl. & DD. in l fin. C. de Jure emphyt.* De Jure Bavarico autem *tit. 21. art. 21.* ſolvitur laudemium toties, quoties mutatur emphyteuta, ſive per actum inter vivos, ſive per ſucceſſionem hæredis ab inteſtato, ſive extranei ex teſtamento; quod & alibi forſan receptum eſt. Dein idem *Articulus* permittit, ut aliquid accipi poſſit titulo diſceſſus, ab emigrante emphyteuta per actum inter vivos, ut ſi vendat, permutet prædium emphyteuticum filio aut filiæ tradat, at in iis tantum locis, ubi ante publicatum Jus provinciale id notoria praxi fuit obſervatum. Vi conſuetudinis hoc duplex laudemium viget quoque in ſat multis locis, nunc etiam in caſu, quo mutatio fit per obitum, ut nempe unum exigatur titulo diſceſſus, & quaſi mortuarii, alterum titulo acceſſus. Quo tamen aliqui domini necdum ſunt contenti, ſed inſuper, poſtquam exegerunt alterum titulo acceſſus ab hæredibus defuncti, ſi plures ſint, conjunctim, aliud, adeoque tertium, exigunt rurſus titulo diſceſſus ab iiſdem,

qui

qui uni ex medio ſuo relinquunt prædium, cum non omnes collective inveſtiantur, imo & quartum rurſus titulo acceſſus ab illo, cui relictum eſt, qui inveſtitur, licet non totum, ſed ſolum ex illis portionibus, quæ per ceſſionem in illum unum a reliquis hæredibus tranſlatæ ſunt, nam pro ſua portione jam ſolvit in collectione cum reliquis. Quæ ratio emungendi pauperculam gentem ruſticam mihi plane periniqua videtur, difficilem aliquando rationem coram juſto Dei tribunali paritura, 2. ſingulis annis pendere canonem annuum, & quidem tam rigoroſe, ut, ſi habens emphyteuſim eccleſiaſticam per biennium, aut habens laicalem per triennium continuum non ſolverit, etiam non monitus, ea amittatur, & redeat ad dominum, *l. 2. C. eod. Auth. qui rem C. de SS. Eccl. & c. fin. de locat.* Niſi emphyteuta *celeri ſatisfactione purgaverit moram*, h. e. intra breve tempus vel paucos dies poſt lapſum tempus omiſſas penſiones exhibuerit: quod quidem in eccleſiaſtica permiſſum eſt *c. fin. cit*, non tamen in laicali, licet etiam in hac ex æquitate videatur admittenda hæc purgatio moræ, 3. fundum vel rem ſibi conceſſam meliorare, vel ſaltem in priori ſtatu conſervare, eaque uti ac frui, ſicut decet bonum virum, 4. damna per culpam, etiam levem domino illata reſarcire, 5. rem emphyteuticam, ut & melioramenta ordinaria, quæ vi contractus facere debuit & fecit, v. g. in reparandis horreis, ſtabulis, ſtercoratione agrorum, item acceſſiones, quando emphyteuſis expirat, vel revertitur ad dominum, huic reſtituere ſine expenſarum refuſione, ut habet communis. Si tamen meliorationes fuiſſent extraordinariæ, ad quas vi contractus emphyteuta non obligabatur, ac inſuper notabi-

tabiles, has vel earum æſtimationem repetere poſſet. Vid. Cancellar. Schmid *ad tit.* 21. *Jur. Bavar. art.* 5. id enim fundatur in æquitate naturali, 6. eamdem rem, & meliorationes, aut jus emphyteuticum non alienare irrequiſito domino, & non conſentiente, in novum emphyteutam, *l. fin. de Jure emphyteut.* præſertim non vendere; ſi enim vendere vellet, deberet non tantum domino id ſignificare, ſed etiam, ſi cum alio jam prius tractavit de pretio, iſtud fideliter aperire, atque poſt hanc denuntiationem per duos menſes expectare domini reſponſum & reſolutionem, an non ipſe velit emere; ſi citius abſolute aſſereret dominus, ſe nolle emere, ſaltem pro tanto pretio, ſtatim alteri poteſt vendere, *l. fin. & c. fin. citt.* de Jure tamen Bavarico *tit.* 10. *art.* 1. *&* 15. etiam poſt venditionem alteri factam datur domino jus retractus, & quidam ante conſanguineos emphyteutæ; item prohibetur (non tamen de jure communi) alienatio non proprie & ſtricte talis, nempe oppignoratio ſeu hypothecatio abſque conſenſu domini ſub pœna caducitatis; quamvis de jure communi etiam conſtitutio cenſus, uſusfructus, vel alterius ſervitutis, elocatio ad modicum tempus, itaut finita emphyteuſi duret ſervitus &c. ſine conſenſu domini facta prohibeatur, at non ſub pœna caducitatis. Ceterum licet emphyteuta ad omnem alienationem proprie dictam requirere debeat conſenſum domini, hunc tamen dominus negare nequit, niſi novus emphyteuta eſſet inidoneus valde potens, valde pauper, luridus œconomus, perſona prilegiata quoad forum &c.

14 Dico 5. Ex his mutuis obligationibus naſcitur *actio emphyteuticaria* perſonalis, & quidem domino contra emphyteutam, ut præſtet

ea,

ea, ad quæ ipſum obligatum eſſe vidimus: & emphyteutæ contra dominum ad ea præſtanda, ad quæ hunc diximus ex hoc contractu obligari. Præter hanc actionem datur utrique etiam actio realis adverſus quemcumque, & quidem domino *rei vindicatio directa*, emphyteutæ autem *rei vindicatio utilis*, ratione dominii, quod quilibet habet in re emphyteutica. Atque in ordine ad poſſeſſionem illius conceſſa ſunt utrique *remedia poſſeſſoria*.

15 Dico 6. Emphyteuſis finitur tribus modis 1. rei emphyteuticæ interitu: ſi res perit tota, finitur totaliter, ſi ex parte partialiter, 2. lapſu temporis, vel extincta generatione, vita, aut hæredibus deficientibus, ad quos eſt reſtricta, 3. ex culpa emphyteutæ, & tunc dicitur *committi*, vel *cadere in commiſſum*, ſeu *fieri caduca*, itaut redeat plene ad dominum directum. Igitur

16 Dico 7. Emphyteuſis fit caduca 1. ſi emphyteuta per biennium, ſi ſit eccleſiaſtica, & per triennium continuum, ſi ſit laica, non ſolvat annuum canonem integrum culpabiliter, etiam non monitus, *l. 2. auth. qui rem, & c. fin. de locat. cit. nov. 7. c. 3. §. 2.* niſi nimirum emphyteutam juſta cauſa excuſet, vel dominus expreſſe remittat caducitatem, aut tacite, ſi nempe ſciens omiſſionem ſolutionis vel non declaret, ſe rem velle pro commiſſa habere, vel poſt declarationem caducitatis recipiat canonem præteriti, aut futuri temporis, quod quidem probabilius verum eſt non obſtante, quod proteſtetur, ſe per receptionem canonis nolle caducitatem remittere; quia recipiens canonem, etiam ſub tali proteſtatione, facit actum contrarium ſuo juri quæſito ad colonum expellendum, & ſibi per proteſtationem plus videtur arrogare, quam Jus ipſi concedit; quia

l. 2. *cit.* dat quidem poteſtatem expellendi emphyteutam propter non ſolutos canones, non vero ſimul recipiendi penſionem, propter cujus omiſſionem poteſt expellere: ſola enim privatio eſt pœna ſufficiens & graviſſima. Proin hujuſmodi proteſtatio eſt vel facto proprio, vel Juri contraria, quæ nihil operatur, 2. ſi per dolum, culpam latam, & probabiliter etiam per levem notabiliter deterioret rem emphyteuticam in ſubſtantia, itaut fundus ipſe notabiliter infructuoſior fiat, & minoris valoris. Communis ex *l. fin.* & *Auth. cit.* modo dominus declaret caducitatem, nec eam rurſus remittat acceptando canonem &c. Pro notabili deterioratione de Jure Bavar. *tit.* 21. *art* 18. etiam habetur, ſi colonus immodicis lignationibus extirpet ſilvas cæduas irrequiſito domino; item ſi multis annis non ſtercoret agros &c. 3. ſi rem emphyteuticam ſine conſenſu domini vendat, vel aliter alienet, ut ſupra explicavimus, alienatione ceteroquin (& abſtrahendo a requiſitione prævia domini) valida, & ſecuta traditione, *l. fin. cit. & l.* 67. *ff. de V. S.* Sufficit tamen conſenſus domini rationabiliter præſumptus; quia tunc non committitur culpa injuſtitiæ, conſequenter locus non eſt tantæ pœnæ, 4. ſaltem de Jure Bavar. ſi tranſgrediatur pacta in conceſſione emphyteuſis inita: ſi plus Juris alienet, quam ipſe habuerit: ſi ſine voluntate domini clam diſcedat a prædio &c. de quibus vid. Cancell. Schmid. ad *tit.* 21. per plures *articulos*, præſertim 15. & 20.

17 Quæres, an caducitas incurratur ipſo Jure, vel opus ſit ſententia privationis? R. Quamprimum dominus declarat, ſe rem habere pro caduca, incurritur ipſo Jure, *l.* 2. *C. de Jur. emphyt. nov.* 7. *c.* 3. §. 2. Si tamen emphyteuta

ta negaret culpam vel delictum, cui annexa eſt caducitas, adeundus foret Judex, ut ferret ſententiam declaratoriam culpæ vel delicti. Et, ſi emphyteuta re ſatis cognita vel liquida renueret cedere prædio & poſſeſſione, non auctoritate domini, ſed decreto & miniſterio Judicis expellendus foret, Fachin. *l. 1. Controv. c. 95.* In Bavaria in caſu negatæ culpæ opus eſt formali proceſſu judiciario, nec ſufficit nuda Judicis acceſſio, *arg. tit. 12. art. 6. Jur. Bavar.*

T I T U L U S XIX.

De rerum permutatione.

S U M M A R I U M.

1 *Quid ſit permutatio, & quam producat actionem.*
2 *Quæ res permutari poſſint..*
3 *An, & quomodo beneficia eccleſiaſtica.*

1 PErmutatio *latiſſime* accepta dicit omnem commutationem, & contractum, in quo res quæcumque datur pro alia; in quo ſenſu comprehendit etiam emptionem-venditionem, mutuum, & pleroſque contractus; ſed in hoc ſenſu non eſt hujus loci: *generaliter* accepta eſt *contractus realis, quo res aliqua datur ea lege, ut viciſſim detur res alia*. Si res in ſpecie & determinata, non fungibilis, detur pro alia re certa in ſpecie non fungibili, ſeu *corpus* pro *corpore*, v. g. equus A. pro equo B. hæc domus pro hoc agro, vocatur a quibuſdam cum Vveſenbec. Vultejo, P. Pirhing *ſtricte permutatio:* ſi vero ſpecies pro genere, vel viciſſim; aut ſi res fungibilis pro non fungibili, vel viciſſim;

aut ſi fungibilis pro fungibili, ſeu *quantitas* pro *quantitate* detur, quæ frequentius contingunt, ut ſi equus A. detur pro aliquo equo, vel pro frumento, aut frumentum pro vino &c. eſt *late permutatio*. Adeoque generaliter accepta permutatio comprehendit ſtricte & late talem: prior videtur recte dici contractus *nominatus*, poſterior *innominatus*, & vix differt, ſaltem in effectu, ab illo contractu innominato, quem vocant, *do, ut des;* ratio, qua ipſum Jus inter permutationem & contractus innominatos facit diſcrimen, dum in *ff. lib.* 19. ponit de utriſque diverſos titulos, quartum *de rerum permutatione*, & quintum *de præſcriptis verbis*, quæ actio per ſe competit contractibus innominatis, conſequenter indicat, aliquam permutationem (utique ſtricte ſumptam) non eſſe contractum innominatum: quamvis DD. plerique, utique attendentes præciſe, quod communius & frequentius evenire ſolet, permutationem indiſcriminatim vocare ſoleant contractum innominatum. Id certum, quod in utraque, ſtricte & late accepta, debeat ſaltem ex una parte intervenire traditio, ut detur actio, vel *ex permutato*, vel *præſcriptis verbis*, quia & altera pars cogatur ad realiter implendum; cum permutatio non perficiatur ſolo conſenſu, ſed reali præſtatione, atque ideo contractus realis ſit, *l.* 1. §. 2. *l.* 3. *h.t.* Si utraque pars rem actualiter tradat, demum evadit perfecta permutatio. Quamdiu ex neutra parte ſecuta eſt traditio, negotium conſiſtit in nudo pacto de permutando. Præterea notandum, quod res, quæ datur pro alia, non debet eſſe pecunia, alias foret emptio-venditio, aut locatio conductio. A *mutuo*, cum quo permutatio rerum fungibilium valde convenit, tamen adhuc differt, quod in

hoc contractu reddenda ſit alia res ſimilis, v g. pecunia pro pecunia, frumentum pro frumento &c. neque intenditur principaliter acquiſitio alterius rei, ſicut in permutatione, ſed principaliter ſpectatur utilitas mutuatarii.

2 Dico 1. Permutari poſſunt omnes & ſolæ res, quæ emi & vendi, 2. etiam eccleſiaſticæ immobiles & mobiles pretioſæ, ex juſta tamen cauſa, & cum debitis ſolemnitatibus, 3. quæ ſunt neceſſariæ, licet permutatio fiat inter duas Eccleſias, 4. poſſunt tamen permutari res ſacræ & ſpirituales inter ſe, licet vendi nequeant, 5. & viciſſim res alienæ, licet vendi poſſint, ſub permutationem non cadunt. Pars 1. conſtat ex *l.* 1. *ff. h. t. & l.* 1. *ff. de contr. empt.* Pars 2. ex *c.* 1. 5. *& Extrav. Ambitioſæ, int. com. de reb. Eccl. alien. c.* 6. *h. t.* Pars 3. ex *cit. Extrav.* & iis, quæ ad *tit. XIII. de reb. Eccl. alien. n.* 4. dicta ſunt. Pars 4. ex eo, quia id nullibi prohibetur in Jure, neque continet ſimoniam, modo temporale pro ſpirituali non interveniat per modum pretii: & hinc res ſacra & ſpiritualis pro temporali juxta *c. fin. h. t.* permutari nequit, ſicut vendi; cum id foret ſimoniacum. Pars 5. ex *l.* 1. §. 3. *&* 4. *ff. h. t.* Unde, qui rem alienam permutat, & tradit alteri, non habet actionem *præſcriptis* etiam *verbis* ad hoc, ut & alter tradat rem; quia actus fuit nullus; agere tamen permittitur *condictione cauſa data cauſa non ſecuta*, §. 4. *cit.* Sed contra hoc

Objic. 1. In *d. l.* 1. §. 1. conceditur *actio in factum* ad intereſſe; ſi res aliena fuit permutata, & poſtmodum a domino evicta. 2 Permutatio numeratur inter titulos ad præſcribendum habiles, ſi res aliena ignoranti per viam permutationis data eſt, *l.* 4. §. 17. 18. *ff. de uſurp.* ergo

permutatio rei alienæ parit actionem publicianam, *l. 7. §. 5. ff. de publ. in rem act.* R. ad utrumque: illud procedere, quando jam ex utraque parte facta eſt traditio; qui enim rem propriam dedit, & alienam accepit bona fide, utique alterum ſibi habet obſtrictum ad præſtandam evictionem, & inchoat, domino non comparente, præſcriptionem, proin recte utitur actione publiciana, & gaudet evictionis jure.

3 Dico 2. Etiam beneficia eccleſiaſtica inter ſe permutari poſſunt, obſervatis tamen ſequentibus, 1. ſi permutatio fiat juſta de cauſa, *c. 5. h. t.* 2. in manibus legitimi ſuperioris, ad quem ſpectat inſtitutio, & ejus auctoritate, *c. unic. eod. in 6. c. 5. cit. c. 7. ſeq.* alias enim committeretur ſimonia juris eccleſiaſtici, permutatio foret nulla, & permutantes incurrerent excommunicationem, *d. c. 5. & Extrav. 2. de ſimonia int. comm.* licitum tamen eſt permutare volentibus prævie inter ſe convenire, at cum relatione ad futurum ſuperioris conſenſum. Si autem ſuperior reſignationes permutantium acceptet, facultatem non habet beneficia reſignata conferendi aliis, niſi permutantibus; cum non reſignent abſolute, ſed conditionate, *c. un. cit. Clem. un. eod.* Quare ſi permutatio etiam ex alia cauſa non ſortiretur effectum, liber eſt reditus ad beneficia præhabita, *c. 8. h. t.* 3. cum conſenſu habentium jus præſentandi, eligendi, conferendi, prout nempe fuerint beneficia patronata, electiva, collativa; cum fieri nequeat permutatio cum præjudicio aliorum, 4. ſi permutantes habeant in beneficiis jus vel in re, vel ſaltem ad rem, *c. 6. de except.* cum res aliena permutari nequeat, 5. prohibitum quoque eſt permutare beneficium cum alia re etiam ſpirituali vel ſacra abſque auctoritate Ponti-

tifi-

tificis, per *c. 5. cit. & c. fin. de pact.* ubi generaliter prohibetur omne pactum circa beneficia, uti & 6. interveniente quacumque pactione ſimoniaca, qualis etiam probabilius eſſet, ſi conveniretur de compenſatione pecuniaria, vel penſione, pro dimiſſo beneficio pinguiore, vel reditus ampliores ferente, per *c. fin. cit. t. t. ut benefic. Eccl. ſine diminut.* quia id foret ſimoniacum.

Objic. 1. contra ultimum membrum. Compenſatio pecuniaria ſolum ſtatuitur pro fructibus majoribus: ergo ſolum fit pro re temporali: ergo non committitur ſimonia, 2. in *c. 6. h. t.* approbatur permutatio duarum Eccleſiarum, in qua exceſſus redituum, quos una Eccleſia præbebat majores, per pecuniam fuit compenſatus: ergo. 3. Talis compenſatio fieri poteſt auctoritate Summi Pontificis: ergo non eſt ſimoniaca, ſaltem de jure divino & naturali. R. ad 1. *n. ant.* nam beneficiati permutantes non ſunt domini fundorum beneficialium, ex quibus percipiunt reditus, neque redituum futurorum, quos nondum perceperunt, ſed ſolum beneficiorum, ſeu tituli & juris percipiendi reditus, quod jus eſt ſpirituali officio annexum, nec iſta annexio ab Epiſcopo, minus ab ipſis permutantibus, tolli poteſt; & quia aliud non habent, hoc jus ſpirituali annexum dant vel promittunt pro pecunia, atque ideo committunt ſimoniam Juris divini, *arg. can. 7. cauſ. 1. q. 3.* Certe hoc modo etiam vendibilia redderentur omnia beneficia ſine ſimonia, quia venditor proteſtari poſſet ac dicere, quod ſolos reditus annuos a titulo abſtractos vel jus ad illos vendat, jus vero & titulum beneficii donet: quod nemo facile admiſerit. Ad 2. *C. Ant. N. Conſ.* quia Eccleſiarum illarum Paro-

chialium, quæ pleno jure fuerunt incorporatæ duobus Conventibus, fundi, ex quibus aliqui, ad unam Eccleſiam pertinentes, ferebant ampliores reditus, fuerunt aliquid mere temporale, ac inſuper in Conventuum dominio, atque ideo facile oſtenditur, quod mere temporale, nimirum ipſi fundi meliores, pecunia compenſatum fuerit: econtra beneficiati nullius rei, quam juris ac tituli beneficialis dominium habent, & ideo, ſi pro hoc paciſcuntur de compenſatione pecuniaria, conveniunt de temporali dando pro ſpirituali. Ad 3. *diſt. conſ.* non eſt ſimoniaca, ſi fiat auctoritate Pontificis, jus ad fructus futuros, vel exceſſum fructuum ſeparantis a titulo ſpirituali, qui ſolus id poteſt, *c. conſ.* ſi fiat ab inferiore quocumque, *n. conſ.*

TITULUS XX.

De Feudis.

SUMMARIUM.

1 2 3 4 *Quid & quotuplex ſit feudum.*
5 *Quibus modis acquiratur.*
6 7 *Quinam in illo ſuccedant.*
8 *Ad quid obligetur dominus directus.*
9 *Ad quid vaſſallus, ſeu feudatarius.*
10 *Actio feudalis.*
11 12 *Quibus modis amittatur feudum.*

1 FEudum, ſicut de emphyteuſi, cui valde vicinum eſt, diximus, ſumitur 1. *objective* pro ipſa re in feudum conceſſa, & ſic opponitur *allodio*, ſeu bonis *allodialibus*, 2. *effective* pro jure, quod ex conceſſione feudi tam *domino directo*, a quo conceditur quam *vaſſal-*

lo

lo ſeu *feudario*, aut *beneficiato*, a quo accipitur circa rem feudalem reſultat, 3. *formaliter* pro contractu ipſo, quo res conceditur in feudum. In hoc contractu *eſſentialia*, ſine quibus non conſiſtit, ſunt 1. mutua conventio & conſenſus, 2. translatio dominii utilis (quod nihil eſt aliud, quam jus utendi fruendi tanquam re propria, ſeu uſusfructus cauſalis) 3. & quidem rei immobilis, ſeu immobili æquivalentis, 4. retento tamen dominio directo, ſeu proprietate. 5. promiſſio fidelitatis ex parte accipientis. *Naturalia* vero, quæ quidem per ſe & ex natura hujus negotii inſunt, excludi tamen per conventionem poſſunt, qualia ſunt 1. ut benevole & gratis, ſine pretio, concedatur rei utilitas, 2. perpetuo, & cum jure ſuccedendi hæredibus indulto, 3. & quidem ſolis agnatis, ſeu maſculis, ab inteſtato venientibus, 4. ſub nova tamen inveſtitura, 5. & ſine poteſtate alienandi abſque conſenſu domini; 6. ut accipiens ſub juramento promittat fidelitatem, 7. & ſe obliget ad ſervitia perſonalia.

2 Dico 1. Feudum *formaliter & eſſentialiter* ſpectatum eſt contractus conſenſualis bonæ fidei, quo alicui conceditur res immobilis, aut immobili æquivalens, cum translatione dominii utilis, & ſub onere fidelitatis ſpecialis. Communis quoad rem ex 2. *feud. tit.* 1. 3. & 23. Prout vero involvit quoque *naturalia*, dicitur eſſe benevola ac perpetua conceſſio rei immobilis vel immobili æquivalentis, translato dominio utili retenta proprietate, in alterum ſub onere ſpecialis fidelitatis juratæ, ſervitii perſonalis, & inalienabilis in non hæredes agnatos ſine conſenſu domini. Communis feudiſtarum quoad rem. Differt ab *emphyteuſi*, quod in hac promittitur canon annuus & realis, non fi-

delitas, aut ſervitia perſonalia. A *Locatione*, quod in hac non concedatur dominium utile, ſed ſolum uſus rei. Ab *Uſufructu formali*, quod in hoc non dominium utile, ſed ſolum jus reale utendi fruendi alienis rebus certæ perſonæ tribuatur. A *cauſali* vero, quod in hoc non promittatur fidelitas aut obſequium perſonale. A *contractu cenſuali*, quod in hoc transferatur etiam dominium directum reſervata penſione annua. A *mutuo*, quod in hoc detur res fungibilis cum omni dominio. A *contractu libellario*, quod in hoc ſtatis temporibus res conceſſa revocetur data certa pecunia. *Objic.* 1. feudum non perficitur, niſi fiat traditio rei in feudum conceſſæ per inveſtituram: ergo non perficitur ſolo conſenſu: ergo non eſt contractus conſenſualis, 2. feudum eſt contractus per conſuetudinem introductus, quia Jus feudale eſt & dicitur *conſuetudinarium*: ſed hoc eſt ſtricti Juris: ergo & contractus feudalis, non bonæ fidei. R. ad 1. Traditio per inveſtituram eſt ſolum complementum accidentale & integrale ad transferendum jus in re, ſicut traditio in emptione-venditione, non ſubſtantiale. Ad 2. Licet ſit contractus per conſuetudinem primitus introductus, regulatur tamen præcipue ſecundum Jus commune ſcriptum, 2. *feud. tit.* 1. *pr.*

3 Dico 2. Feudum præſertim *objective* ſpectatum, dividitur in *proprium*, ſeu *rectum*, in quo nempe reperiuntur non ſolum eſſentialia, ſed etiam omnia naturalia feudi, quale in dubio eſſe præſumitur. Et in *improprium* ſeu *non rectum*, in quo ſolum eſſentialia, non vero omnia feudi naturalia concurrunt, ſeu quod in aliquo a natura feudi declinant. Species feudi *proprii* ſunt 1. feudum *nobile*, quod illum, cui confertur, vel ſupponit eſſe nobilem, vel facit

ex voluntate domini concedentis poteſtatem nobilitandi habentis: & *ignobile*, quod nobilem non ſupponit, nec nobilitatem confert. Si prius concedatur cum quadam poteſtate regali, vel cum jure exercendi regalia, ut ſi concedatur Regnum, Principatus, Comitatus, vel qui in Germania quoad hoc æquiparatur, Baronatus, vocatur *Regale*, quia per vexillum, ſi laico, & per ſceptrum, ſi conferatur eccleſiaſtico, fieri ſolet inveſtitura. 2. *Novum*, quod quis acquirit primus, & non per ſucceſſionem in jam acquiſito ab uno ex majoribus: ac *antiquum* ſeu *vetus*, quod etiam vocari ſolet *paternum*, vel *avitum*, quod quis acquirit per ſucceſſionem ab aliquo ex aſcendentibus, vel progenitoribus. 3. *Hæreditarium ex pacto & providentia*, h. e. in quo ex pacto primi acquirentis & proviſione Juris feudalis proſpectum eſt ſolis agnatis deſcendentibus, ut feudum conſervetur in familia, vel certa gente; quapropter & *familiare*, aut *gentilitium* dicitur, vel *feudum familiæ*, ſive dein deſcendentes agnati quoad alia defuncti vaſſalli bona hæredes ſint, ſive non. 4. *Eccleſiaſticum*, quod conceditur a Prælato eccleſiaſtico in bonis ad Eccleſiam pertinentibus; vel, ut eſt probabile, quod Prælato aut Communitati eccleſiaſticæ etiam a laico, ver. gr. ab Imperatore, conceſſum eſt: & *ſæculare*, quod a laico in bonis ad Eccleſiam non pertinentibus conſtituitur, & datur laico. 5. *Ligium* a ligando antonomaſtice dictum, quia ita arcte ligat vaſſallum, ut domino præſtet fidelitatem adverſus quoſcumque (excepto tamen ſemper Summo Pontifice, *argum. cap. 19. de Jurejur.*) & hinc a nemine, niſi a Superiorem non recognoſcente, concedi, nec a duobus dominis recipi poteſt, &

non Ligium, in quo vaſſallus ita ſe obligat domino ad fidelitatem, ut ſimul maneat obligatus antiquiori domino, a quo aliud habet feudum, item Summo Principi, nempe Imperatori, vel Regi: & tale cenſetur ordinarie eſſe fendum. 6. *Datum*, & *oblatum*: illud ſumit initium a conceſſione domini: iſtud a vaſſallo, qui rem propriam domino obtulit in titulum & nexum feudalem. Sed oblatum potius ad feuda impropria referendum eſt, quia in eo potius vaſſallus præſtat beneficium domino, quam accipiat.

4 Species feudi *improprii* ſunt 1. *hæreditarium*, vel *ſimpliciter* tale, in quo ſuccedunt omnes hæredes, etiam extranei, per teſtamentum vocati, proin multum habet de natura allodii, vel *ſecundum quid*, in quo ſuccedunt quidem ſoli deſcendentes, at non ſolum maſculi, ſed etiam feminæ, ſaltem deficientibus maſculis, aut ubi ſucceſſor feudalis adſtringitur ad facta defuncti præſtanda; aut alio modo ſucceditur, quam recepta feudorum natura exigit, 2. *Femineum*, quod vel primitus a femina fuit acquiſitum, vel cui adjectum eſt pactum, ut & feminæ ſuccederent, licet primus acquirens fuerit maſculus: huic opponitur *maſculinum*, cum enim feuda originaliter concedi conſueverint ob ſervitia militaria, & ad propagandas familias ſub eodem ſtemmate & nomine, ad quod utrumque non quadrant feminæ, feudum femineum recte inter impropria refertur. 3. *Francum* ſeu *liberum*, in quo vaſſallus vel ad nulla ſervitia, & oneroſas præſtationes, obligatur, vel ad certa tantum, non autem ad omnia, ver. grat. non ad militaria, licet per ſe illa exigeret natura feudi. 4. *Emptitium*, quod non gratis, ſed pro pecunia datur. 5. *Pignoratitium*,

quod

quod a Domino debitore conſtituitur pignoris loco, ita ut a domino poſſit redimi ſoluto debito, & non ſimpliciter tranſeat ad deſcendentes maſculos Vaſalli. 6. *Burſaticum*, quod nimirum ſervit burſæ domini, cui *relevium*, quod eſt vigeſima pars pretii, quo æſtimatur bonum feudale, proin 5. pro 100. ſolvi debet toties, quoties ſive in perſona domini, ſive in perſona Vaſalli contingit mutatio: & talia ſunt valde frequentia, & in Bavaria fere omnia plebeja & ruſtica, ac plerumque ſunt emptitia. In his ultimis per ſe non eſt obligatio præſtandi ſervitia perſonalia, aut canonem annuum. Succedunt hæredes ab inteſtato, etiam feminæ, licet petere debeant admiſſionem intra annum & diem. Si Vaſallus non habet hæredes ab inteſtato ſucceſſuros, poteſt per actum inter vivos alienare feudum requiſito conſenſu domini, quem tamen iſte ſine ſua cauſa negare nequit. Si vero habeat hæredes ab inteſtato, valide non alienat in extraneum ſine conſenſu domini, licet conſenſus hæredum non requiratur. Sed de his jus Bavar. *tit.*11. *art.*3. & 4. conſulatur. 7. *Feuda perſonalia* vel *temporalia*, quæ nimirum ad dies vitæ, vel ad tempus alicui conceduntur, uti feudum, *de camera*, quando ex ærario Principis alicui aſſignatur certa pecuniæ ſumma: feudum *de cavena*, quando ex cella Principis vel horreo certa vini vel frumenti quantitas: feudum *Quardiæ*, quando dicti proventus annui ob onus cuſtodiendi arcem vel alias res conceduntur; feudum *Caſtaldiæ*, quando ob onus adminiſtrandi œconomiam: feudum *Advocatiæ*, quando ob alia negotia: & feudum *Aulicum*, quando ob officium Aulicum alicui ad certum tempus conſtituuntur: *feudum ſolda-*

datæ vero, quando ſine omni onere. Sed hæc impropriiſſima feuda fere in deſuetudinem abierunt; exceptis in Germania quatuor officiis *Pincernæ*, *Dapiferi*, *Camerarii*, & *Mareſchalli*, quæ in Principatibus & Epiſcopatibus hodiedum durant, & cum feudis, quibus annexa ſunt, ad hæredes maſculos perpetuo tranſeunt. Reliquis ſucceſſerunt Stipendia, Salaria, & Penſiones gratuitæ.

5 Dico 3. Feudum *effective* præcipue ſumptum acquiritur tribus modis. 1. Contractu ſeu conventione feudali, quæ completur per inveſtituram, ut acquiratur jus in re. 2. Præſcriptione. 3. Succeſſione. Sed de ſingulis aliqua ſunt notanda, & quidem de *primo modo*. Inveſtituram, eſſe actum, quo dominus Vaſallo fidelitatem promittenti poſſeſſionem feudi concedit: ſi realiter eum introducat, vocatur inveſtitura *propria*, ſi ſolum tradatur ſignum cum verbis inveſtituram ſignificantibus, *abuſiva*: hanc aliqui negant ſufficere, ſed melius affirmant alii propter textum. 2. *feud. tit.* 33. præſertim cum in allodialibus traditio ficta, & per ſignum fieri poſſit, & jus feudale aliter non probetur diſponere; ſaltem ſufficiet ad hoc, ut facta traditione ſigni facultatem acquirat Vaſallus propria auctoritate capiendi poſſeſſionem actualem. Aliqua inveſtitura omnino neceſſaria eſſe dicitur 1 *F.* 25. cum dominia rerum non niſi traditionibus transferantur, non pactis *l.* 20. *C. de pactis*. Dein obſerva, Vaſallum poſſe feudum, vel partem feudi, rurſus alteri ſubinfeudare, & alterum inveſtire, etiam ſine conſenſu Domini, modo huic quoad ſervitia, aut alia, nihil damni emergat. 2. *feud* 34 §. 2. & non ultra tempus, quo ſubinfeudans retinet jus in feudo; nam

reſo-

reſoluto jure dantis reſolvitur & jus accipientis, ut habet Brocardicum, item obſerva, etiam communitatem eſſe capacem accipiendi feudum, tamen conſtituere debet *quaſi-Vaſallum*, qui accipiat inveſtituram; & quo mortuo communitas, utpote quæ nunquam moritur, petat renovationem inveſtituræ.

De *ſecundo modo* animadverte, eodem tempore per præſcriptionem acquiri feuda, quo allodia immobilia vel immobilibus æquivalentia, uti ſunt jura incorporalia, v. g. venandi &c. quia jus feudale nihil videtur immutaſſe circa tempus præſcriptionis: unde abſente titulo, nimirum inveſtitura, requiritur tempus longiſſimum 30. vel 40. annorum, ut quando quis 30. annis poſſedit rem allodialem alicujus tanquam feudalem, ipſi fidelitatem & ſervitia præſtando, atque ſic velut dominum agnoſcendo: aut viciſſim, quando rem propriam & allodialem tenuit tanquam feudalem, ac alteri tanquam domino directo, qui vero talis non erat, fidem & ſervitia exhibuit 30. annis: his caſibus præſcribitur jus feudale, a Vaſallo in priori, a domino autem in poſteriori caſu 2. *feud.*26. §.4. Econtra interveniente titulo ſufficit tempus longum, nempe 10. anni inter præſentes, & 20. inter abſentes: v. g. ſiquis per inveſtituram accipit rem in feudum ab eo, qui dominus rei non erat: vel ſiquis fuit inveſtitus in re feudali, ſed ad alium Vaſallum ſpectante, eamque poſſedit longo tempore, dominium utile acquirit, text. in 4. *feud.* 87. Nec enim apparet, cur plus temporis requiratur ad acquirendum dominium utile, quam ad acquirendum per viam præſcriptionis dominium plenum, ex directo & utili conflatum.

De *tertio modo* nota, ſucceſſorem ex Teſtamento non dari regulariter in feudo 1.6. 8. *pr.* niſi nempe vel *ſimpliciter hæreditarium* ſit, vel *novum*, in quo deſcendentes necdum habent jus quæſitum, vel *Burſaticum*, juxta jus Bavar. *art.*4. *cit.* vel denique niſi in feudo proprio accedat conſenſus tam domini directi quam Agnatorum. Proin in feudo *Gentilitio* ſeu *Hæreditario ex pacto & providentia* ſola ſucceſſio ab inteſtato locum obtinet, & quidem eo modo & ordine, quo ſucceditur in allodialibus 2. *feud.*37. *pr.* ubi nempe Jus feudale non diſponit aliter, uti in quibuſdam facit. Unde

6 Quæres, quinam ſuccedant in *feudo familiæ*, & proprio? R. niſi aliud per pacta conventum ſit, ſoli deſcendentes maſculi, naturales & legitimi ſimul, non laborantes vitio corporis aut menſis, & quidem primo filii, dein nepotes in infinitum: ac, ſi plures ſint in eodem gradu, in capita, niſi feudum ſit individuum. Communis ex jure feudali, nimirum 1. *feud.*1. 6. & 8. item 2. *feud.* 11.13.26.36.50. Ubi deficiunt deſcendentes, in feudo antiquo (non in novo 1. *feud.*1. §.2. & 2. *feud.*11.12.) vocantur Collaterales agnati, nempe fratres defuncti Vaſalli, eorumque filii, modo ſanguinem ducant a primo acquirente (& ſic etiam iſti vocari poſſunt deſcendentes reſpectu primi acquirentis) ſine diſtinctione intra fratres germanos, & conſanguineos, iterum in capita, liberi tamen unius fratris jam defuncti jure repræſentationis ac in ſtirpem; quod tamen jus repræſentationis ceſſat, ubi fratres, & eorum liberi defierunt: & tunc ſuccedunt ſemper agnati gradu proximiores ultimo poſſeſſori, non primo acquirenti, atque ita, ut, ſi feudum ſemel

ad

ad aliquam lineam collateralem pervenit, non ante ad aliam tranſeat, quam ſi illa penitus defecerit. Rurſus communis ex 1. *feud.* 8. 2. *feud.* 11.31. 50. Unde a ſucceſſione excluduntur 1. Aſcendentes, pater vel avus Vaſalli defuncti. 2. Filii naturales tantum, conſequenter & ſpurii, & legitimi tantum ſeu adoptivi, atque etiam legitimati, niſi legitimati ſint per ſubſequens Matrimonium. 3. Filii Clerici, aut Religioſi effecti, muti, ſurdi, cæci, claudi, furioſi, mente capti (licet hi vi conſuetudinis dicantur hodie admitti præſtitis per Vicarios ſervitiis) filiæ, neptes, & omnes feminæ; tum quia hæ perſonæ ad ſervitia militaria, & pleræque etiam ad propagandam in flore familiam, quæ ſunt propria & naturalia hujus feudi, non ſunt idoneæ. 4. Cognati tantum, ſeu ex feminis, filia vel ſorore Vaſalli, deſcendentes conſanguinei, item fratres uterini tantum: *ad cognatos* enim *beneficium* (feudum) *non pertinet*, *neque beneficii ſucceſſio* 2. *feud.* 11. *cit.*

Circa ſucceſſionem deſcendentium adhuc adverte 1. eos in feudo ſuccedere, licet a patre fuiſſent exhæredati quoad reliquam hæreditatem; quia feudum ipſis debetur & quæſitum eſt a primo acquirente & nulla ordinatio defuncti locum habet in feudo 1. *feud.* 8. Econtra 2. filium nec in feudo ſuccedere; ſi reliquam patris hæreditatem repudiet 2. *feud.* 45. 51. §.4. quod tamen ad alios agnatos non extenditur. 3. Filium, ſi ſuccedat in feudo obligari ad ſolvenda debita a patre contracta, regulariter tamen non agnati collaterales; quia filius ſolus non poteſt repudiare reliquam patris hæreditatem, ſi velit ſuccedere in feudo.

7 Dubitabis, an ergo Clerici & Religioſi, item feminæ, nunquam ſint capaces ſuccedendi

di in feudo? R. 1. In feudo familiæ & proprio nunquam juxta dicta. R. tamen 2. Clerici & Religioſi ad dies vitæ præ agnatis remotioribus capaces ſunt ſuccedendi in feudo improprio, & non ſtricte Gentilitio, nempe ſi feudum ſit hæreditarium, femineum, emptitium, francum, quod nulla requirit ſervitia perſonalia, vel ita, ut per alium præſtari poſſint, vel talia, quæ ſine indecentia a Clericis & Religioſis perſonaliter obiri poſſunt, uti eſſet benedicere Menſæ, concionari in aula &c. Ita enim ſupponitur 2. *feud.* 40. *ff. fin. in c.* 6. *&* 7. *de for. comp.* Et confirmatur ex conſuetudine, utique vel maxime attendenda in hac materia, vi cujus in Germania Epiſcopi, Abbates & alii Prælati Eccleſiaſtici feuda ab Imperio & Imperatore obtinent, imo & Canonici ad ſucceſſionem in feudis admittuntur, uti teſtantur præſtantiſſimi feudiſtæ apud & cum D. Chriſtoph. de Chlingenſperg *de feudis c.* 6. *q.* 18. R. 3. Feminæ pariter ſuccedunt in feudo femineo, hæreditario, emptitio &c. ſed ita, ut non admittantur, quamdiu Maſculus ſupereſt, etiam alterius lineæ, originem tamen habentis a primo acquirente; imo maſculus ex femina etiam deſcendens præfertur feminæ 2. *feud.* 17. 18. 30. niſi feudum ſit ſimpliciter hæreditarium, aut femineum cum jure primogenituræ.

Id quæſtionis eſt ventilatæ, an femina, alias feudi capax, ſemel a ſucceſſione per maſculum excluſa, maneat deinceps perpetuo excluſa, etiamſi poſtea omnes maſculi deficiant? Ad quod R. 4. Probabilius non manet perpetuo excluſa, ſed, ubi nullus ſupereſt amplius maſculus a primo acquirente deſcendens, ad ſucceſſionem admitti debet text. clarus in 2.

feud.

*feud. c.*17. *cit.* ibi: *non patet locus feminæ in feudi ſucceſſione, donec maſculus ſupereſt ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit inveſtitus:* ergo feminæ ſolum ſub conditione, *ſi* & *quamdiu* maſculus ſupereſt, excluditur, conſequenter maſculis deficientibus feudum aperitur feminæ, non domino. Ceterúm communis DD. ex æquitate & longiſſima praxi obſervat, feminis a feudo excluſis, & aliunde ex hæreditate non habentibus alimenta, & dotem competentem, ea præſtari & conſtitui debere in feudo non ſolum a fratre, ſed etiam a quovis agnato, ad quem devolvitur, imo & a domino, ſi ad hunc fuerit reverſum feudum.

Objic. 1. Vaſallus, ſi Clericus fiat aut Religioſus, amittit feudum jam habitum 2.*feud.*26 §. 4. quia *deſiit eſſe miles ſæculi, qui factus eſt miles Chriſti: nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium* 2. *feud.* 21. ergo multo minus admitti debet ad ſucceſſionem in feudo nondum habito, ut in terminis habet textus in 2. *feud.* 30. *in fin.* 2. In 1. *feud.* 6. §. 1. ſic habetur: *ſiquis eo tenore feudum acceperit: ut ejus deſcendentes maſculi & feminæ illud habere poſſint: relicto maſculo, ulterius feminę non admittuntur.* Et in ſubſequente §.2.dicitur *mutus feudum retinere non poteſt*, ac demum ſubjungitur: *& his omnibus caſibus feudum amittitur, & ad dominum revertitur*: ergo femina ſemel excluſa deinceps non amplius admittitur, & feudum aperitur domino, ſicut quando Vaſallus eſt mutus, qui ſuccedendi eſt incapax. R. ad 1. Illi textus exaudiendi ſunt de feudis ſtricte Gentilitiis, in quibus ſervitia perſonalia, ſtatui Eccleſiaſtico indecora, ac indiſpenſabiliter per ipſum Vaſallum præſtanda, exiguntur, non de aliis in quibus

jus

jus feudale non ſtringit, ut fatentur optimi feudaliſtæ, Roſent. Vultejus, Schrader. &c. licet heterodoxi; vel correctum eſt a jure Canonico *c. 6. & 7. citt.* utpote in præjudicium perſonarum Eccleſiaſticarum diſponere præſumens, eaque a ſucceſſione abſque cauſa excludere. Ad 2. to *ulterius* vel facit ſenſum, quod *ultra* h. e. juxta maſculum non ſuccedat femina, vel quamdiu maſculus ſupereſt, etiam ulterior ſeu remotior gradu. Verba finalia textus ſolum referenda ſunt ad metum, de quo in §.2. diſponitur, ita ut ſenſus ſit, *his omnibus caſibus*, ubi Vaſallus eſt mutus, *feudum ad dominum revertitur*. Ratio ſic interpretandi inter alias eſt hæc, ut evitetur contradictio juris feudalis, & textus minus clarus conformetur cum textu longe clariori *in 2.feud.17.cit.*

8 Dico 4. Dominus directus ex contractu feudali obligatur 1. Vaſallo præſtita fidelitatis promiſſione feudum tradere, eumque in vacuam poſſeſſionem mittere, conceſſo dominio utili. 2. Præſtare evictionem, ſi rem alienam, ignorante id Vaſallo, tradidit. 3. Servare viciſſim fidelitatem Vaſallo, nimirum cavere, ne Vaſallo, vel ejus rebus, aut familiæ vis inferatur aut periculum ſtruatur, ne injuria inferatur &c. 4. Præſtare culpam etiam levem, per quam ipſi nocuit. Sumuntur hæc ex 2. *feud. 6. 7. 25. & ex l. 5. §. 2. ff. commod.*

9 Dico 5. Vaſallus obligatur 1. Domino promittere, vel, ſi is exigat, etiam jurare fidelitatem, quæ conſiſtit in eo, ut avertat damna in vita, honore, & bonis domino, aut perſonis ei proxime conjunctis impendentia, conſilio & auxilio adjuvet, ac poſitive defendat in vita, honore & bonis ſecreta non propalet, ac nihil adverſus eum machinetur. 2. Præ-

ſtare ſervitia ſecundum tenorem conventionis & Inveſtituræ, vel ſecundum conſuetudinem, modo a domino requiſitus fuerit, imo, ubi gravius eſt periculum, etiam ultro. 3. Dominum tanquam Superiorem agnoſcere, & coram ipſo tanquam Judice, & paribus curiæ, ſeu Convaſallis, in cauſa feudali reſpondere. 4. Re feudali, prout decet diligentem patremfamilias, & juxta inita pacta, uti, ac frui, atque damna, quæ per culpam etiam levem intulit, compenſare. 5. Non alienare feudum (niſi ſit hæreditarium) irrequiſito domino. 6. Petere renovationem inveſtituræ intra annum & diem, quoties contingit mutari dominum, vel Vaſallum, ſoluto, prout hodierna habet praxis, relevio. Deſumuntur hæc ex 2. *feud.* 3. 6. 7. 23. 24. 44. 52. 55.

10 Dico 6. Ex his mutuis obligationibus utrique oritur *actio Feudalis* (quia eſt contractus bilateralis, & propterea bonæ fidei) Domino quidem adverſus Vaſallum ad ea præſtanda, ad quæ hunc, Vaſallo autem adverſus dominum ad ea præſtanda, ad quæ iſtum obligari diximus. Quæ actio eſt perſonalis, rei perſecutoria, utrinque tranſiens ad hæredes. Competunt inſuper utrique interdicta poſſeſſoria, & Vaſallo rei vindicatio utilis, domino autem directa, adverſus quoſcumque, uti de Emphyteuſi dictum eſt.

11 Dico 7. Feudum effective & objective ſumptum, amittitur ex triplici capite. 1. *Ex parte rei feudalis*, ut ſi intereat. 2. *Ex parte Domini*, ut ſi contra Vaſallum committat tale delictum, propter quod Vaſallus contra dominum delinquens amittit dominium utile 2. *feud. tit.* 26. *V. Domino committente & tit.* 47 aut ſi ſine conſenſu Vaſalli alienet proprietatem,

tem, excepto caſu, quo alienat univerſitatem bonorum, cui feudum eſt annexum per *tit. 6. & 26. feud.*2. aut ſi decedat ſine hærede; in his enim caſibus dominium directum cum utili conſolidatur, & ad Vaſallum devolvitur, qui & ſuccedit excluſo filio, ut tenent feudiſtæ communiter propter mutuam correlationem, & mutuum fidelitatis nexum, qui datur inter Dominum & Vaſallum, & ideo ad imparia judicari non debent. 3. *Ex parte Vaſalli*, quod dupliciter fieri poteſt. 1. Sine culpa ſeu delicto, ut ſi moritur ſine hærede ad feudum qualificato: ſi feudum refutat, h. e. renuntiat feudo, aut illius retinendi fit incapax, v. g. propter cœcitatem, & alius, ad quem agnationis jure devolvatur, non adeſt. Et in his caſibus feudum dicitur *aperiri Domino*. 2. Ex culpa ſeu delicto, quod in hac materia vocatur *Felonia*, propter quam feudum dicitur *committi*, *cadere in commiſſum*, *fieri caducum*.

Talia delicta vel ſunt *omiſſionis*, ut ſi intra annum & diem a cœpta poſſeſſione feudi negligenter inveſtituram non petit: ſi ſervitia, cum poſſet & deberet, præſtare renuit: ſi Domini vitam vel bona in periculo poſita eripere, machinationes noxias avertere, in prælio derelictum tueri, vel vulnerato aſſiſtere neglexit 1. *feud.* 22. 2. *feud.* 24. 52. *&c.* Vel ſunt *commiſſionis*, ut ſi directe offendit perſonam domini, vel ejus honorem, aut bona invaſit: ejus ſecreta revelavit: fœdus & amicitiam cum domini hoſtibus contraxit: ſi eum criminaliter accuſavit, vel ſponte teſtem aut Advocatum contra ipſum ſaltem in cauſa criminali agit; aut ſi indirecte offendit dominum, lædendo perſonas valde conjunctas aut

ad

ad illius familiam pertinentes, v. g. rem turpem habendo cum uxore, filia, ſorore domini, vel cum uxore filii, aut cum nepte ex filio: item ſi proprium parentem, nepotem &c. occidit, crimen læſæ Majeſtatis, vel aliud (licet nec directe nec indirecte in dominum directum) valde atrox commiſit, ex quo redditus infamis, honeſte in Curia domini ſtare non amplius poteſt. 1. *feud.* 5. 17. 21. & 2. *feud.* 6. 7. 24. 33. 51. 57. Denique ſi rem feudalem notabiliter fecit deteriorem: ſi illam effectu ſecuto alienare attentavit alienatione ceteroquin (præciſive conſenſu domini non adhibito) valida, & proprie dicta, per quam transfertur in alium utile dominium 2. *feud.* 6. 9. 38. 42. 44. 52. 55. Ad quam etiam refertur oppignoratio vera, per quam feudum oppignoratum ſimul traditur: non vero hypothecatio, licet & hæc invalida ſit, ſi fiat ſine conſenſu domini, & Agnatorum, ut iſti inde non teneantur: ſicut & tranſactio, quæ fit bona fide, & ita, ut res maneat feudalis, licet in collitigantem transferatur, eſt permiſſa, etiam ſine conſenſu domini. 2. *feud.* 26. *v. ſi Vaſallus de beneficio* & 2. *feud.* 43. Et in his caſibus, ſi feudum ſit novum, ſimpliciter revertitur ad dominum per *tit.* 24. *in fine v. ſi tamen F.* 2. ſi antiquum facienda eſt diſtinctio: vel enim delictum eſt commiſſum in ipſum dominum directe vel indirecte: vel facta injuſta alienatio, & feudum revertitur quidem immediate ad dominum, at ſolum quamdiu delinquens, aut ejus filii, aut deſcendentes (ſaltem ſi ſint hæredes delinquenti s in aliis bonis, uti ordinarie debent eſſe, ſi velint ſuccedere in feudo) vivunt, poſtea vero redit ad agnatos, 2. *feud.* 26. §. 5. & 2. *feud.* 31. 38.

31. 38. 44. 55. *&* 4. *feud.* 78. Vel delictum fuit commiſſum in extraneum, & tunc nullatenus ad dominum, ſed ad agnatos feudum pervenire debet. 2. *feud.* 24. *v. denique & cit.* 37. Sicut etiam, ſi Prælatus Eccleſiæ feloniam committat; ſolum tamdiu feudum revertitur ad dominum, quamdiu Prælatus vivit, aut non amovetur: dein vero redit ad ſucceſſorem. 2. *feud.* 40. *per c.* 76. *de R. J. in* 6. ibi: *delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.*

12 Dico 8. Ut feudum amittatur in caſu tam *aperturæ*, quam *feloniæ*, opus eſt voluntate domini declarantis ſe feudum velle pro *aperto* vel *commiſſo* habere. 2. *feud.* 21. 22. item ſententia vel condemnatoria ſi caducitas eſt dubia, vel declaratoria, ſi caducitas eſt notoria. 1. *feud.* 21. 22. 2. *feud.* 21. 22. *citt. Jus Bavar. tit.* 12. *art.* 6.

O. A. M. D. G.

2511942 D

Digitized by Google

B.N.C.F.
B. 17. 8. 19